DE

BIBLIOTHECIS

NOVA ACCESSIO

COLLECTIONI

MADERIANAE

ADJUNCTA

a

Joh. Alb. Fabricio.

HELMSTADII,

Typis & sumtibus Georg. Wolffgangi Hammii, Acad. Typogr. Anno MDCCIII.

VA1 15C6252

Exhibet nova hæc accessio
libellos sequentes:

RICHARDI a BVRI philobiblion. pag.1
GABR. NAVDAEI dissertationem de instituenda bibliotheca. pag.75
THEOPHILI SPIZELII dissertationem de bibliothecis, sacris bibliothecarum illustrium arcanis detectis præmissam. pag.136
CHRISTOPH. HEIDMANI orationem de bibliotheca IVLIA. pag.229
HERM. ab HARDT orationem de memorabilibus bibliothecæ RVDOLPHEAE. pag.273
CASP. SAGITTARII orationem de bibliotheca IENENSI. pag.297
IVLII a PFLVGK epistolam ad ill. Seckendorfium de bibliotheca BVDENSI. pag.310

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
I. A. S. D.

Stetit typographus noſter promiſſis, ſuperiori anno datis, & collectioni Maderianæ novam de ſcriptoribus bibliothecariis acceſſionem adjunxit. In ea hanc elegit methodum, quam in ſequentibus quoque annis, quousque id fieri poterit, B. C. D. obſervabit, ut vel methodum inſtruendæ bibliothecæ, vel generalem bibliothecarum hiſtoriam ſcribentibus, ſubjiceretur illi, qui ſingularium bibliothecarum deſignationem nobis dederunt. Illos inter primo loco numeramus Richardum a Buri, *cognomento Angemillium, qui ſub Eduardo Anglorum rege in eccleſia Dunelmenſi epiſcopus, in aula magnus cancellarius & theſaurarius fuit. Scripſit is, anno ante mortē nim. 1344. fundata Oxonii bibliotheca pulcherima,* Philobiblon,

seu librum de amore librorum & bibliothecarum institutione, *aliquoties excusum in Anglia, Gallia & nostra praecipue Germania, qua tertia jam vice illum exhibet. Elegantes in eo L. B. observabis meditationes de re bibliothecaria, dictionem vero talem, qua genium istorum temporum sapit, quaq; incuria atque ignorantia amanuensium admodum corrupta est. Richardum excipit* Bessarion, *qui Cpolitanus patriarcha a latinorum sectatoribus designatus, postea E. R. Cardinalis, episcopus Tusculanus & legatus Bononiae constitutus, quin ipso pontificatu secunda vice anno 1455. & 1471. dignus fuit judicatus. Erexit hic Venetiis, libris graecis magno sumtu in Italium transvectis, bibliothecam locupletissimam, cui Marcum Ant. Sabellicum, Roma lauto stipendio accitum, praefecit, eamque moriens Veneta reip. in aede S. Marci locandam, dono dedit. Ea ipsa occasione* ad senatum Venetum de bibliotheca sua epistolam *scripsit, qua libris a se collectis in sequentia quoque tempora prospexit. Tertium locum dedimus* Gabrieli Naudæo *Parisino, Cardinalium Francisci à Balneo, Francisci Barberini, Iulii Mazarini, ac demum serenissimæ Christinæ, reginæ Svecorū, bibliothecario, viro multiplici lectione plane incomparabili & vere*

ἐμψύχῳ

ἰμψύχω βιβλιοθήκῃ. *Debemus illi libellum, mole quidem exiguum, sed singulari eruditione refertum, scriptum hoc titulo*: Advis pour dresser une bibliotheque, consilium de bibliotheca instruenda, *quod ex lingua gallica in latinam transferri curavit typographus. De bibliotheca erigenda, conservanda, augenda & ornanda plane habet egregia, quibus aliis viam stravit, quando de re bibliothecaria scripserunt. Qui curam translationis in se suscepit, nihil in eo mutare ausus, etiam ea dedit, quæ interdum studio partium odioque religionis autor scripsit, ab æquis lectoribus facile illi condonanda. Huic junctum voluimus* Theophilum Spizelium, *venerandum olim ministerii Augustani seniorem, virum, judice Bosio, eximia pietate, eruditione & morum innocentia clarum. Instructissimam bibliothecam, cujus mihi semper dulcis est recordatio, ea lege is possedit, ut rem sacram & literariam omnibus illustraret viribus. Testis est liber, cui titulus*: sacra bibliothecarum illustrium arcana detecta. *Testes sunt* dissertatio præliminaris, *qua de bibliothecis in universum agit, operi præmissa, & subjuncta* coronis *de Ebræorum erga rem bibliothecariam studio. Utramque scriptionem ab ipso opere per typographum fuisse decerptam non improbabit*

B. Viri filius plurimum reverendus, qui publico inserviendi studium cum ipsa B. Parentis bibliotheca hæreditario jure sibi acquisivit. E numero illorum, qui singularium bibliothecarum historiam scripserunt, hac quidem vice IVLIA *nostra dedit* Christophorum Heidmannum, *eloquentiæ professorem clarissimum, qui serenissimo Principi* FRIDERICO VLRICO *Brunsvicensium & Luneburgensium Duci, de bibliotheca* IVLIA, *in aula Guelphica ante hoc tempus adservata, & in academiam nostram translata, tanquam illustri ornamento, senatus academici decreto* oratione *peculiari publicas egit gratias. In eadem fidem quoque solvit Venerabilis* Dn. Herm. ab Hardt, *præpositus Mariæ-montanus, qui memorabilia novæ bibliothecæ, quam serenissimus* RVDOLPHVS AVGVSTVS *Dominus noster clementissimus, publicis* IVLIAE *suæ usibus munificentissime dicavit, luculenta, & varietate rerum abundante, oratione in gratam ferè ætatis memoriam designavit. Plura autem interea rei illi librariæ accesserunt venerandæ antiquitatis monumenta omnis generis, nec non varia recentioris ævi scripta, quæ amplissimam scribendi materiam voluminibus sequentibus præbebunt. In academia Salana* B. Caspar. Sagittarius, *in histo-*

ria

ria utraque, sacra & profana, veteri & recentiori, nec non universa re literaria versatissimus, in promotione philosophiæ doctorum, orationem recitavit de bibliotheca academica, antiquaeque ac nova, cujus non minima portio est apparatus librorum Bosianus plane egregius. Ipsius quoque Sagittarii liberalitas, qua per testamentum omnes suos libros, compactos & incompactos, laudatæ bibliothecæ inferri voluit, digna omnino esset solenni gratiarum actione, ut posteris constaret, quanta vir ille beatus boni publici causa pertulerit & fecerit. Præsens volumen obsignat Iulii Pflugk *epistola ad illustrem Seckendorfium, de variis bibliothecæ Budensis fatis, quæ simul sistit librorum in ultima expugnatione repertorum catalogum, tumultuaria opera (neque enim aliter tunc fieri poterat) confectum, quem aliquando auctiorem speramus ex bibliotheca cæsarea Vindobonensi. Atque hoc est illud pensum, quod laudatus typographus hoc anno typis exscribendum sibi sumsit. Ego vero id unum in votis habeo, ut, quemadmodum prius volumen virum plurimum reverendum & clarissimum* M. Heinr. Pippingium *verbi divini ministrum, fautorem atque amicum nostrum, excitavit, ad retegenda* arcanæ bibliothecæ Thomanæ Lipsiensis sacra, *etiam posterior hæc collectio alios pro-*

provocet ad edenda similia monumenta, quæ rem litterariam omnem multis modis ornare & promovere possunt. Vale & studiis nostris fave. Dabam in academia IVLIA
A.O.R. *M DCCIII d. XXV Aprilis.*

Richardi de Buri,

Epiſcopi Dünelmenſis, Eduardi III. Anglorum Regis Cancellarii & Theſaurarii Regni

PHILOBIBLION.

Ex bibliotheca & recenſione

MELCHIOR. HAIMINSFELDII GOLDASTI.

Johannes Trithemius Abbas Spanhemenſis de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Richardus de Buri, epiſcopus Dunelmenſis, Eduardi Anglorum Regis III. Cancellarius, ad quem Franciſci Petrarchæ de Tule inſula interrogantis exſtat epiſtola, vir in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus & valde eruditus, atque in ſecularibus literis ſufficienter inſtructus, librorum amator ſingularis & celeberrimus, multis expenſis & laboribus in Univerſitate Oxonienſi inſignem bibliothecam fundavit, quam ad publi-

cam utilitatem inibi ſtudentium incredibili, ſtudio inſtituit. Scripſit de amore librorum & inſtitutione dictæ bibliothecæ pulcherrimum tractatum, quem græco ſermone prænotavit Philobiblion, *& ſic incipit poſt prologum,* Theſaurus deſiderabilis. *Claruit autem ſub Carolo Imperatore IV. anno Domini M CCC L.*

Iodocus Badius Aſcenſius Domino Confeſſori Regio Ciſtarcienſium Epiſcopo, Magiſtro noſtro, Laurentio Burello Carmelitæ candidiſſimo, doctiſſimo & diſertiſſimo cum omni reverentia

S.

Accepimus his diebus, Laurenti, Pater optime, lepidum quoddam opuſculum, Philobiblion *ab authore ſcriptum, & a tua paternitate ut imprimendum curemus, ad nos transmiſſum. Quam quidem provinciam, cum nullam recuſare nec velim nec audeam, lubentiſſimus obivi, quod & tuis laudatiſſimis inſtitutis digna, & frigentibus omnino languentibusque in re literaria animis perquam ſalubrem norim. Siquidem a teneris unguiculis, ſi vera de te prædicant, omnes bonos codices, ubi ubi fuerint, e ſitu ac tenebris in lucem edidiſti, præſagio nimirum felicisſimo, quo te per literarum ornamentum morumque ſpecimen ad tantum culmen emerſurum bonus inſpiravit animus. Salubrem autem deſidibus provinciam hanc auguro, quod (ſit modo ulla in eis honeſti animi vena) erubuerint tam precioſam ſuppellectilem (de libris loquor) hactenus neglexiſſe. Unum tamen vereor, quod & ægerrimo cuique evenire ſolet, quia hæc deſidiæ præſentiſſima antidota ſumere aut (ut medici dicunt) recipere contemnent. Sicut enim in concio-*

concionibus frustra quodammodo admoneas, quia non comparent, pessimos, ita in claris codicibus, quia lecturi non sint, pigerrimos. Utrobique tamen tuo, Pater in primis observande, rectissime fungendum censes munere. Vale & Johannem parvum bibliopolam optimum, qui hoc munus nobiscum, suscepit, nobiscum amore tuo prosequere. Ex Lutetia Parisiorum, ad Calendas Martias anno juxta eorundem calculos M.D.

Richardi de Buri Episcopi Dunelmensis

Philobiblion.

Prologus.

VNiversis Christi fidelibus, ad quos præsentis scripturæ tenor pervenerit, Richardus de Buri miseratione divina Dunelmensis Episcopus salutem in Domino sempiternam, piamque ipsius præsentare memoriam jugiter coram Deo in vita pariter & post fata. *Quid retribuam Domino pro omnibus, qvæ retribuit mihi?* devotissimus investigat psalmista, rex invictus & eximius prophetarum. In qva qvæstione gratissima semetipsum redditorem voluntarium, debitorem multipharium & sanctiorem optantem consiliarium re cognoscit, concordans cum Aristotele philosophorum principe, qui omnem de agibilibus qvæstionem *consilium* probat esse tertio & sexto ethicorum. Sane si propheta, tam mirabilis secretorum præscius divinorum præconsulere volebat tam sollicitè, quomodo gratè possit gratis data refundere, quid nos rudes regratiatores, & avidissimi receptores, onusti beneficiis divinis infinitis poterimus dignius velle? Procul dubio deliberatione solerti, & circumspectione multiplici, invitato primitus spiritu septiformi quatenus in nostra meditatione ignis illuminans

exardeſcat, viam impedibilem prævidere debemus attentius, quo largitor omnium de collatis muneribus ſuis ſponte veneretur reciproce, proximus revelatur ab onere, reatus contractus per peccantes qvotidie eleemoſynarum remediis redimant. Hujus ergo devotionis monitione præventus ab eo, qui ſolus bonam hominis & prævenit voluntatem & perficit, ſine qvo nec ſufficientia ſuppetit cogitandi, cujus, qvicqvid boni fecerimus, non ambigimus eſſe munus, diligenter tam penes nos, quam cum aliis inquirendo diſcuſſimus, qvod inter diverſorum generum pietatis officia primo gradu placeret altiſſimo, prodeſſetque potius eccleſiæ militanti. Et ecce mox noſtræ conſiderationis aſpectibus grex occurrit ſcholarium elegorum, qvin potius electorum, in quibus Deus artifex & ancilla natura morum optimorum & ſcientiarum celebrium plantaverunt radices; ſcilicet ita eos rei familiaris oppreſſit penuria, qvod obſtante fortuna contraria ſemina tam fœcunda virtutum in inculto juventutis agro roris debiti non rigata favore, areſcere compelluntur. Qvo fit, *ut lateat in obſcuris condita virtus clara*, ut verbis alludamus Boëtii, & ardentes lucernæ non ponuntur ſub modio, ſcil. præ defectu olei penitus exſtinguuntur: ſic ager in vere floriger ante meſſem exaruit; ſic frumenta in lolium, & vites degenerant in labruſcas. Ac ſic in oleaſtros olivæ ſilueſcunt, marceſcunt omnino tenellæ trabeculæ, & qvi in fortes columnas eccleſiæ poterant excreviſſe, ſubtilis ingenii capacitate dotati ſtudiorum gymnaſia derelinqunt. Sola invidia novercante repelluntur a philoſophiæ nectareo poculo violenter, qvam primo guſtaverunt proprio guſtu ferventius ſitibundi, liberalibus artibus habiles, & ſcripturis tantum dispoſiti contemplandis, orbati neceſſariorum ſubſidiis qvaſi quadam apoſtaſiæ ſpecie ad artes mechanicas propter victus ſolius ſuffragia ad eccleſiæ dispendium & totius cleri vilipendium revertuntur. Sic mater eccleſia pari-

pariendo filios abortire compellitur, qvinimo ab utero fœtus informis menſtruoſe dirumpitur, & pro paucis minimisque quibus contentatur natura alumnos amittit egregios poſtea promovendos in pugiles fidei & athletas. Heu qvam repente tela ſucciditur, dum texentis manus orditur! Heu quod ſol eclipſatur in aurora clariſima & planeta progrediens regiratur retrograde, ac naturam & ſpeciem veræ ſtellæ prætendens ſubito decidit & fit Aſſub. Qvid poterit pius homo intueri miſerius? quid miſericordiæ viſcera penetrabit acutius? qvid cor congelatum intus in calentes guttas reſolvit facilius? Amplius ergo arguentes a ſenſu contrarioqvantum profuit toti reipublicæ Chriſtianæ, non qvidem Sardenapali deliciis neque Crœſi divitiis enutrire ſtudentes, ſed melius mediocritate ſcholaſtica ſuffragari pauperibus ex eventu præterito recordemur. Qvot oculis vidimus, quot ex ſcripturis collegimus, nulla ſuorum natalium claritate fulgentes, nullius hæreditatis ſucceſſione gaudentes, ſed tantum proborum virorum pietate ſuffultos, apoſtolicas cathedras meruiſſe? Subjectis fidelibus præfuiſſe probiſſime? & ſuperborum & humilium colla jugo eccleſiaſtico ſubjeciſſe, & procuraſſe propenſius eccleſiæ libertatem? Qvamobrem perluſtratis humanis egeſtatibus usqveqvaqve caritativæ conſiderationis intuitu, huic tam caliginoſo generi hominum, in qvibus tamen tanta redolet ſpes profectus eccleſiæ, prælegit peculiariter noſtræ compaſſionis affectio pium ferre præſidium, & eisdem non ſolum de neceſſariis victui, verum multo magis de libris utiliſſimis ſtudio providere. Ad hunc effectum acceptiſſimum, coram domino noſtra jam ab olim vigilavit intentio indefeſſa. Hic qvidem amor extaticus tam potenter nos rapuit, ut terrenis aliis abdicatis ab animo acqvirendorum librorum ſolummodo flagremus affectu. Vt ergo noſtri finis intentio tam poſteris pateat quam modernis, & ora loqventium perverſa, qvantum ad

nos pertinet, obſtruamus perpetuo, tractatum parvulum edidimus: ſtylo quidem leviſſimo modernorum. Eſt enim ridiculum rhetoricis, qvando levis materia ſcribitur grandi ſtylo. Qvi tractatus amorem, qvem ad libros habuimus, ab exceſſu purgabit, devotionis intentæ propoſitum propalabit, & circumſtantias facti noſtri per viginti diviſi capitula luce clarius enarrabit. Qvia vero de amore librorum principaliter differit, placuit nobis more veterum latinorum ipſum græco vocabulo *Philobiblion* amicabiliter nuncupare.

Explicit prologus.

De commendatione ſapientiæ & librorum, in quibus ſapientia habitat.

CAPITVLVM PRIMVM.

THeſaurus deſiderabilis ſapientiæ & ſcientiæ, qvem omnes homines per inſtinctum naturæ deſiderant, cunctas mundi tranſcendit divitias infinite: cujus reſpectu lapides precioſi vileſcunt: in cujus comparatione argentum luteſcit, & aurum obriſcum exigua fit arena: cujus ſplendore tenebreſcunt viſui ſol & luna: cujus dulcore mirabili amareſcunt guſtui mel & manna. O valor ſapientiæ non marceſcens ex tempore virtus virens aſſidue, omne virus evacuans ab habente! O munus cœleſte liberalitatis divinæ deſcendens a patre luminum, ut mentem rationalem provehas usque ad cœlum! Tu es intellectus cœleſtis alimonia, quem qvi edunt, adhuc eſurient, qvem qvi bibunt adhuc ſitient: & languentium animas armonia lætificans, qvam qvi audit, nullatenus confundetur. Tu es morum moderatrix & regula, ſecundum qvam operans non peccabit. *Per te reges regnant & legum conditores juſta decernunt.* Per te depoſita ruſticitate naturæ elimatis ingeniis atqve linguis vitiorum ſentibus coëffoſſis radicitus, apices conſeqvuntur honorum, fiunt-

fiuntque patres patriæ & comites principum. Qui ſine te conflaſſent lanceas in ligones & vomeres, vel cum filio prodigo paſcerent fortaſſe ſues. Quo namque ſic lates potisſime multum præelecte theſaure? & ubi te invenient animæ ſitibundæ? in libris quidem procul dubio poſuiſti tabernaculum deſiderabile tuum, ubi te fundavit altisſimus, lumen luminnm, liber vitæ. Ibi namque te omnis, qui petit, accipit: qui quærit, invenit: & pulſantibus citius aperietur. In his Cherubin alas ſuas extendunt, & intellectus ſtudentium aſcendunt, & à polo usque ad polum proſpiciunt, à ſolis ortu usqve ad occaſum, ab aquilone ad meridiem. In his comprehenſibilis ipſe Deus altisſimus apprehenſibiliter continetur & colitur. In his patet natura cœleſtium, terreſtrium & inferorum. In his cernuntur jura, quibus omnis regitur politia, hierarchiæ cœleſtis diſtinguuntur officia, & dæmonum tyrannides deſcribuntur, qvos necideæ Platonis exſuperant, nec Cratonis cathedra continebat. In libris mortuos qvaſi vivos invenio: in libris futura prævideo: in libris res bellicæ diſponuntur: de libris prodeunt jura pacis. Omnia corrumpuntur & tabeſcunt in tempore: Saturnus quos generat, devorare non ceſſat: quoniam mundi gloriam operiret oblivio, niſi Deus mortalibus librorum remedia providiſſet. Alexander orbis dominator, Julius orbis & urbis invaſor, qui & in arce & arte primus, in unitate perſonæ aſſumſit imperium. Fidelis Fabricius & Cato rigidus hodie caruiſſent memoria, ſi librorum ſuffragia defuiſſent. Turres ad terram ſunt dirutæ; civitates everſæ putredine perierunt triumphales. Nec qvicqvam reperiet rex vel papa, quo perenniter privilegium conferatur qvam per libros. Reddit vicisſitudinem liber factus, ut, qvamdiu liber ſupererit, actor manens athanatos neqveat interire, teſte Ptolomæo in prologo Almageſti: *Non fuit*, inqvit, *mortuus, qvi ſcientiam vivificavit.* Qvis igitur infinito theſauro librorum doctus ſcriba

profert

profert nova & vetera per qvodcunque alterius ſpeciei precium limitabit? veritas vincens ſuper omnia, qvæ regem vivum & mulieres ſupergreditur, qvam amicis præhonorare beneficium obtinet ſanctitatis; qvæ eſt via ſine devio & via ſine termino. Cui ſacer Boëtius attribuit triplex eſſe, in mente, voce & ſcripto. In libris videtur manere utilius & fructificare fœcundius ad profectum. Nam veritas vocis perit cum ſonitu: veritas mente latens eſt ſapientia abſconſa & theſaurus inviſus: veritas vero qvæ lucet in libris, omni ſe diſciplinali ſenſui manifeſtare deſiderat. Viſui dum legitur: auditui dum auditur, amplius vero & tactui ſe commendat qvodammodo, dum tranſcribi ſe ſuſtinet, colligari, corrigi, & ſervari. Veritas enim mentis clauſa licet ſit poſſeſſio nobilis animi, tamen cum caret ſocio non conſtat eſſe jucundam, de qva nec viſus iudicat nec auditus. Veritas vero vocis ſoli patet auditui, viſum latens, qvi plures nobis differentias rerum oſtendit, affixaqve ſubtiliſſimo motui incipit & definit qvaſi ſimul. Sed veritas ſcripta libri non ſucceſſiva ſed permanens palam ſe præbet aſpectui, & per ſpirituales vias oculorum veluti veſtibula ad ſenſus communis & imaginationis atria tranſiens thalamum intellectus ingreditur, in cubile memoriæ ſe recondens, ubi æternam mentis congenerat veritatem. Poſtremo penſandum qvanta doctrinæ commoditas ſit in libris, qvam facilis, qvam arcana, qvam toto libris humanæ ignorantiæ paupertatem ſine verecundia denudamus. Hi ſunt magiſtri, qvi nos inſtruunt ſine virgis & ferula, ſine verbis & cholera, ſine pannis & pecunia. Si accedis, non dormiunt, ſi inqvirens interrogas, non ſe abſcondunt, non remurmurant, ſi oberres, cachinnos neſciunt, ſi ignores. O libri ſoli liberales & liberi? qvi omni petenti tribuitis, & omnes manumittitis vobis ſedulo ſervientes. Qvot rerum millibus typice viris doctis commendamini in ſcriptura modo divinitus inſpirata. Vos enim

eſtis

eſtis profundiſſimæ ſophiæ fodinæ : ad qvas ſapiens filium ſuum mittit, ut inde theſauros effodiat, Proverb. V. Vos putei aqvarum viventium, qvos pater Abraham primo fodit, Iſaac eruderavit, qvosqve nituntur obſtruere Philiſtini, geneſis viceſimo 6to. Vos eſtis revera ſpicæ gratiſſimæ, plenæ granis, ſolis apoſtolicis manibus confricandæ, ut egrediatur cibus gratiſſimus famelicis animabus Matth. XII. Vos eſtis urnæ aureæ, qvibus manna reconditur atqve petræ melliſluæ, imo potius favi mellis, ubera uberrima lactis vitæ, promtuaria ſemper plena. Vos lignum vitæ, atqve qvadripartitus fluvius paradiſi, qvo mens humana paſcitur & aridus intellectus imbuitur & rigatur. Vos arca Noæ & ſcala Jacob, canalesque qvibus fœtus intuentium coloratur. Vos lapides teſtimonii, & lagenæ ſervantes lampades Gedeonis, pera David, de qva limpidiſſimi lapides extrahuntur, ut Goliath proſternatur. Vos eſtis aurea vaſa templi, arma clericorum militiæ, qvibus tela neqviſſimi deſtruuntur, olivæ fœcundæ, vineæ Engadi, ficus ſterileſcere neſcientes, lucernæ ardentes, & optima qvæqve ſcripturæ libris adaptare poterimus, ſi loqvi libeat figurate.

CAP. II.

Capitulum autem iſtud ſecundum canit, qvod libri divitiis & deliciis corporalibus ſint præponendi.

SI quodlibet juxta gradum valoris gradum mereatur amoris, valorem vero librorum ineffabilem perſvadet præſens capitulum, non tamen liquet lectori, quid ſit concludendum probabiliter. Non enim demonſtrationibus in morali materia utimur, recordantes, quoniam diſciplinati hominis eſt certitudinem quærere, ſicut rei naturam perſpexerit tolerare, Ariſtotele philoſopho atteſtante ethicorum primo & metaphyſicæ ſecundo: quoniam nec Tullius requirit Euclidem, nec Euclidi Tullius facit fidem. Hoc re-

vera ſive logice ſive rhetorice ſvadere conamur, quod, quæcunque divitiæ vel deliciæ cedere debent libris in anima ſpirituali, ubi ſpiritus, qui eſt charitas, ordinat charitatem. Primo quidem, quia in libris ſapientia continetur plus, quam omnes mortales comprehendunt. Sapientia vero divitias vilipendit, ſicut capitulum antecedens allegat. Præterea Ariſtoteles de problematibus. 3. problemate 10. iſtam determinat quæſtionem, *propter qvid antiqui in gymnaſticis & temporalibus agoniis præmia ſtatuerunt potioribus, nullū uni præmium ſapientiæ decreverunt? hanc quæſtionem ita ſolvit: in gymnaſticis exercitiis præmium eſt melius & eligibilius illo, pro quo datur. Sapientia autem nihil melius eſſe conſtat. Quamobrem ſapientiæ nullum potuit præmium aſſignari.* Igitur nec divitiæ nec deliciæ animam antecellunt. Rurſus amicitiam divitiis præponendam eſſe ſolus negabit inſipiens, cum ſapientiſſimus hoc teſtatur, amicitiæ vero veritatem archiphiloſophus præhonorat, & verus Zorababel omnibus anteponit. Subſunt igitur deliciæ veritati. Veritatem vero potiſſime & tuentur & continent ſatis libri, imo ſunt veritas ipſa ſcripta, qvia pro nunc librorum aſſeres librorum non aſſerimus eſſe partes. Quamobrem divitiæ ſubſunt libris, præſertim cum precioſiſſimum genus divitiarum omnium ſint amici, ſicut ſecundo de conſolatione teſtatur Boëtius: quibus tamen librorum veritas eſt per Ariſtotelem præferenda. Amplius vero cum divitiæ ad ſolius corporis ſubſidia primo & principaliter pertinere noſcantur: veritas vero librorum ſit perfectio rationis, quæ *bonum humanum* proprie nominatur. Ergo apparet, quod libri homini ratione utenti ſunt divitiis cariores. Præterea enim illud, quo fides defenditur commodius, dilatatur diffuſius, prædicatur lucidius, digibilius debet eſſe fideli. Hoc autem eſt librorum veritas libris inſcripta. Qvod evidentius figuravit ſalvator, quando contra tentationem præliaturus viriliter ſe ſcuto

circum-

circumdedit veritatis, non cujuslibet sed scriptæ, scriptum est præmittens, qvod vivæ vocis articulo erat prolaturus; Matth. IV. Rursus igitur felicitatem nemo dubitat esse divitiis præponendam. Consistit enim felicitas in operatione nobilissimæ & divinioris potentiæ quam habemus, dum videlicet intellectus vacat totaliter veritati sapientiæ contemplandæ: quæ est delectabilissima omnium operationum secundum virtutem, sicut princeps philosophorum Arist. determinat 4. Ethic. propter quod & philosophia videtur habere admirabiles delectationes puritate & firmitate, ut ibidem scribitur consequenter. Contemplatio autem veritatis nunquam est perfectior quam per libros, dum actualis imaginatio continuata per actum intellectus super visas veritates non sustinet interrumpi. Quamobrem libri videntur esse felicitatis speculativæ immediatissima instrumenta. Unde Arist. sol physicæ veritatis, ubi de eligendis distribuit methodos, docet, quod philosophari est simpliciter eligibilibus quam ditari, quamvis casu, ex circumstantiis puta necessariis, indigenti ditari qvam philosophari sit potius eligendi 3tio Topic. Ad hæc cum nobis libri sint commodissimi magistri, ut præcedens assumit capitulum, eisdem non immerito tam amorem quam honorem tribuere convenit magistralem. Tandem cum omnes natura scire desiderant ac per libros scientiam veritatis præoptandam divitiis omnibus adipisci possimus, quis homo secundum naturam vivens librorum non habeat appetitum? quamvis vero porcos margaritas spernere videamus, nihil in hoc prudentis læditur opinio, quominus oblatas comparet margaritas. Preciosior igitur est cunctis opibus sapientiæ libraria, & omnia quæ desiderantur, hinc non valent comparari? Prov. 3. Quisquis igitur fatetur se veritatis, felicitatis, sapientiæ, scientiæ, vel etiam fidei zelatorem, librorum necesse est se fateatur amatorem.

CAP. III.

Capitulum qvidem tertium , qvod libri ſemper debent emi niſi in duobus caſibus.

Correlarium nobis gratum de prælectis elicimus, paucis tamen (ut credimus) acceptandum. Nullam videlicet debere cariſtiam hominem impedire ab emtione librorum, cum ſibi ſuppetat, quod petitur pro eisdem , niſi ut obſiſtatur malitiæ venditoris, vel tempus emendi oportunius exſpectetur. Quoniam ſi ſola ſapientia præcipuum facit libri, quæ eſt infinitus theſaurus hominibus, & ſi valor librorum eſt ineffabilis, ut prædicta ſupponunt, qualiter probabitur carum eſſe cõmercium, ubi bonum emitur infinitum? Quapropter libros libenter emendos & invite vendendos ſol hominum Salomon nos hortatur Prov. XXIII. *veritatem*, inquit, *eme*, *& noli vendere ſapientiam*, ſed quod rhetorice vel logice ſvademus adſtruamus hiſtoriis rei geſtæ. Archiphiloſophus Ariſt., qvem Averroës datum putat qvaſi regulam in natura , paucos libros Speuſippi poſt ipſius deceſſum pro ſeptuaginta duobus millibus ſeſtertiis ſtatim emit. Plato prior tempore ſed doctrinis poſterior Philolai Pythagorici librum emit pro millibus denariorum, de quo dicitur Timæi dialogum excerpſiſſe. Sic refert A. Gellius noctium atticarum lib 2 cap. 16. Hæc autem narart A. Gellius, ut perpendat inſipiens, quantum vilipendant ſapientes pecuniam comparatione librorum. Et e contrario ut omni ſuperbiæ ſtultitiam cognoſcamus annexam , libet hic Tarqvinii ſuperbi ſtultitiam recenſere in parvipenſione librorum, qvam refert idem A. Gellius lib. 1. noctium atticarum cap. 19. Vetula qvædam omnino incognita ad Tarqvinium ſuperbum regem Romanorum ſeptimum dicitur acceſſiſſe, venales offerens novem libros, in qvibus (ut aſſeruit) divina continebantur oracula , ſcilicet immenſam pro iisdem po-

poſcit

poſcit pecuniam, in tantum ut rex diceret, eandem delirare. Illa commota tres libros in ignem projecit, & pro reſiduis ſummam, qvam prius, exegit, rege negante, rurſus tres libros in ignem projecit, & ad hæc pro tribus reſiduis eandem ſummam popoſcit. Tandem ſtupefactus ſupra modum Tarqvinius ſummam pro tribus gaudet exſolvere, pro qva novem poterat redemiſſe. Vetula ſtatim diſparuit, qvæ nec prius nec poſtea viſa fuerat. Hi ſunt libri Sibyllini, qvos qvaſi qvoddam divinum oraculum per aliqvem de qvindecim viris conſulebant Romani & qvindecim viratus creditur officium habuiſſe. Qvid aliter hæc Sibylla prophetiſſa tam vario facto ſuperbum regem edocuit, niſi qvod vaſa ſapientiæ ſacri libri omnem humanam æſtimationem excedunt? Et ſicut de regno cœlorum dicitur, tantum valet, qvantum habes.

CAP. IV.

Capitulum qvartum qvanta bona proveniant per libros, & qvod mali clerici ſunt libris plurimum ingrati.

PRogenies viperarum parentes proprios perimens, atqve ſemen neqvam ingratiſſimi cuculi, qvæ cum vires acceperit virium largitricem ſuam nutriculam necat: Sic clerici degeneres erga libros. Redite prævaricatores ad cor, & qvod per libros recipitis fideliter computetis, & invenietis libros totius nobilis ſtatus veſtri creatores, ſine qvibus procul dubio defeciſſent promotores. *Ex perſona librorum.* Ad nos nempe rudes penitus & inertes reptaſtis, ut parvuli ſapiebatis, ut parvuli evigilantes imploraſtis participes fieri lactis noſtri. Nos ergo protinus lacrymis veſtris tacti, mamillam grammaticæ porreximus exſugendam, qvam dentibus atqve lingua contractaſtis aſſidue, donec direpta nota barbariæ noſtris linguis inciperetis magnalia Dei fari.

Posthæc philosophiæ vestibus valde bonis, dialectica & rhetorica, qvas apud nos habuimus & habemus, vos induimus, cum essetis nudi atqve tabula depingenda. Omnes enim philosophiæ domestici sunt vestiti duplicibus, ut tegatur tam nuditas qvam ruditas intellectus. Posthæc ut alati more seraphico super cherubin scandentes transmisimus ad amicum, ad cujus ostium, cum tam improbe pulsaretis, tres panes commodarentur intelligentiæ trinitatis, in qva consistit finalis felicitas cujuslibet viatoris, qvodsi vos hæc munera non habere dixeritis, confidenter asserimus, qvod vel ea per incuriam perdidistis collata, vel in principio desides respuistis oblata. Si hæc videantur ingratis pusilla, adjicimus his majora. Vos estis genus lectum, regale sacerdotium, gens sacra & populus acqvisitionis: vos peculiarem in sortem domini computati: vos sacerdotes & magistri Dei, imo vos antonomastice ipsa ecclesia dicimini, qvasi laici non sint ecclesiastici nuncupandi. Vos laicis postpositis psalmos & hymnos concinitis in cancellis, & altari Dei servitis altario participantes, verum conficitis corpus Christi, in qvo Deus ipse vos non solum laicis, imo paulo magis angelis honoravit. Cui enim aliqvando angelorum dixit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech?* Vos corporis crucifixi testimonium dispensatis pauperibus, ubi jam qværitur inter dispensatores, ut fidelis qvis inveniatur. Vos estis pastores gregis diversi tam exemplo qvam verbo doctrinæ, qvi vobis tenetur rependere lac & lanam. Qvi sunt illorum omnium largitores, o clerici? nonne libri? reminisci libeat supplicamus, qvod per nos clericis sunt concessa egregia privilegia libertatum. Per nos siquidem vasa sapientiæ & intellectus imbuti cathedras scanditis magistrales vocati ab hominibus Rabbi. Per nos in oculis laicorum mirabiles velut magna mundi luminaria dignitates ecclesiæ secundum sortes varias possidetis,

detis. Per nos, cum adhuc carebatis genarum lanugine in ætate tenera constituti, tonsuram portatis in vertice, prohibentem statum ecclesiæ sententia formidandum: *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Et qui eos tetigerit temere, violenter anathematis vulnere ictu proprio feriatur. Tandem ætate succumbente malitiæ figuræ pythagoricæ bivium attingentes, ramum lævum eligitis, & retrorsum abeuntes sortem Domini præassumtam dimittitis, socii facti furum. Sicqve proficientes in pejus, latrociniis, homicidiis & multigenis impudicitiis maculati, tam fama qvam conscientia tabefacta sceleribus, compellente justitia in manicis & compedibus coarctati servamini, morte turpissima puniendi. Tunc elongatur amicus & proximus, nec est, qvi doleat vicem vestram. Petrus jurat, se hominem non novisse: vulgus clamat justitiario; *crucifige eum, crucifige, qvoniam, si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris.* Jam perit omnis fuga: jam ante tribunal oportet assisti, nec locus suppetit appellandi, sed solum suspendium exspectatur. Dum sic tristitia compleverit cor miseri & solæ camenæ laceræ fletibus ora rigant, fit balatus angustiis undiqve memor nostri, & ut evitet mortis propinqvæ periculum antiqvatæ tonsuræ, qvam dedimus, parvũ præfert signaculum, supplicans ut vocemur in medium, & collati muneris testes simus. Tunc misericordia statim moti occurrimus filio prodigo & a portis mortis servum eripimus fugitivum. Legendus liber porrigitur non ignotus, & ad modicam balbutientis præ timore lecturam judicis potestas dissolvitur, accusator subtrahitur, mors fugatur. O carminis empirici mira virtus? o diræ cladis antidotum salutare! o lectio preciosa psalterii, qvæ meretur hoc ipso liber vitæ deinceps appellari. Sustineant laici seculare judicium, ut vel insuti culleis enatent ad Neptunum, vel in terra plantati Plutoni fructificent, aut Vulcano per incendia holocausta se offerant medullata,

vel

vel certe ſuſpenſi victimæ ſiunt Iunoni; dum noſter alumnus ad lectionem unicam libri vitæ pontificis commendatur cuſtodiæ, & rigor in favorem convertitur. Ac dum forum transfertur a laico, a librorum alumno clerico mors differtur. Ceterum jam de clericis, qvi ſunt vaſa virtutum, nos loqvamur? Qvis de vobis pulpitum vel ſcabellum prædicaturus aſcendit, nobis penitus inconſultis? Qvis ſcholas lecturus vel diſputaturus vel prædicaturus ingreditur, qvi noſtris comatibus non fulcitur? Primum optas volumen cum Ezechiele comedere, qvo venter memoriæ dulceſcat extrinſecus. Et modo ſint pantheræ refertæ, redoleat extrinſecus receptorum aromatum odor ſvavis, ad cujus anhelitum coanhelent accedere homines, beſtiæ & jumenta. Sic natura noſtra in vobis familiarius operante latenter auditores accurrunt benevoli, ſicut adamas trahit ferrum neqvaqvam invite. Qvinimo infinita librorum multitudo jacet Pariſiis vel Athenis: ſimiliter reſonant in Britannia vel in Roma. Qvieſcentes qvippe moventur, dum ipſis loca ſua tenentibus auditorum intellectibus circumqvaque feruntur. Nos deniqve ſacerdotes, pontifices, cardinales, & papam, ut cuncta in hierarchia eccleſiaſtica collocentur, in ordine literarum ſcientia ſtabilimus. A libris namqve ſumit originem, qvicqvid boni provenit ſtatui clericali. Sed hæc hactenus. Piget reminiſci, quæ dedimus populo clericorum degeneri, qvæ magis videntur perdita, qvam collata qvæcunqve minima tribuuntur ingratis. Deinceps inſiſtemus parum pro recitandis injuriis, qvas rependunt vilipenſionibus & jacturis. De qvibus nec ſingula genera recitare ſufficimus, imo vix proxima genera ſingularum. In primis de domiciliis clericorum nobis jure hæreditario debitis vi & armis expellimur. In qvodam interiori cubiculo cellulas habebamus qvietas, ſed proh dolor his nefandis temporibus penitus exulantes improperium patimur extra

por-

portas. Occupant ei loca noſtra nunc canes & aves, nunc beſtia bipedalis, ſc. mulier, cujus habitatio vitabatur a clericis, a qua ſemper ſuper aſpidem & baſiliſcum alumnos noſtros docuimus fugiendum, qvamobrem iſta beſtia noſtris ſtudiis ſemper æmula, nullo die placanda, finaliter nos conſpectos in angulo jam defunctæ araneæ ſola tela protectos in rugam fronte collecta virulentis ſermonibus detrahit & ſubſannat: ac nos in tota domus ſuppellectili ſemper vacuos hoſpitari demonſtrat, & ad unumquodque œconomiæ ſervitium queritur ocioſos, & mox in capitegia precioſa, ſyndonem & ſericum, & coccum bis tinctum, veſtes, & varias farraturas, lanam & linum conſulit commutandos. Et quidem merito, ſi videret intrinſeca cordis noſtri: ſi noſtris privatis interfuiſſet conſiliis: ſi Theophraſti vel Valerii perlegiſſet volumen, vel ſaltem Eccleſiaſtici 5. cap. auribus intellectus audiſſet. Quapropter conquerimur de hoſpitis nobis injuſte ablatis: de veſtibus non quidem datis, ſed de datis antiquitus violenter manibus laceratis, in tantum quod adhæſit pavimento anima noſtra, conglutinatus in terra eſt venter noſter & gloria noſtra in pulverem redacta eſt. Morbis variis laboramus dorſa lateraque: dolentes jacemus membratim paralyſi diſſoluti, nec eſt, qui cogitet, nec eſt, qui benigne malagma procuret. Candor nativus & luce perſpicuus jam in fuſcum & croceum eſt converſus, ut nemo medicus, qui nos reperiat, dubitet ictericia nos infectos. Atteriam patiuntur nonnulli de nobis, ſicut extremitates retortæ inſinuant evidenter. Fluvius aut fumus ac pulvis, quibus infeſtamur aſſidue, radiorum viſualium aciem hebetarunt, & jam lippientibus oculis ophthalmiam ſuperducunt. Ventres noſtri duris terſionibus viſcerum, quæ vermes edaces non ceſſant corrodere, conſumuntur & utriusque lateris ſuſtinemus putredinem, nec invenitur quisquam, qui cedri reſina nos lineat, vel quattriduano jam putrido clamans dicat, *Lazare, veni foras!*

foras. Nullo circumligantur ligamine vulnera noſtra ſæva, quæ nobis innoxiis inferuntur atrociter, nec eſt ullus, qui ſuper vulnera noſtra cataplasmet, ſed pannoſi & algidi in angulos tenebroſos abjicimur in lacrymis, vel cum ſancto Hiob in ſterqvilinio collocamur, vel quod nefas videtur mihi effari, in abyſſis abſcondimur cloacarum. Pulvinar ſubtrahitur evangelicis ſupponendum lateribus, quibus primo deberent de ſortibus clericorum ſubſidia, & ſic ad ſuo famulatui deputandos proſpere communis victus neceſſariis derivati. Rurſus de alio genere calamitatis conqüerimur, quæ perſonis noſtris crebrius irrodatur injuſte. Nam in ſervos venundamur & ancillas & obſides in tabernis absque redemtione jacemus. In cellariis crudelibus ſubdimur, ubi mactari tam pecora, quam jumenta ſine piis lacrymis non videmur. Et ubi milleſies morimur, ipſo metu morimur, qui in virum poſſet cadere conſtantem. Judæis committimur, Sarracenis, hæreticis, & paganis, quorum ſemper toxicum formidamus, per quos nonnullos de noſtris parentibus per venenum peſtiferum conſtat eſſe corruptos. Sane nos, qui architectonici reputari debemus in ſcientiis, & ſubjectis nobis mechanicis imperamus, ſubalternorum regimini vice verſa committimur, tanquam ſi monarcha ſumme nobilis ruſticanis calcaneis ſubſternatur. Sartor & ſutor & ſciſſor quicunque aut cujuslibet operis artifex incluſos nos cuſtodit in carcere, pro ſuperfluis & laſcivis deliciis clericorum. Jam volumus proſequi novum genus injuriæ, quo tam in noſtris perſonis lædimur quam in fama, qua nihil carius poſſidemus. Generoſitati noſtræ omni die detrahitur, dum per pravos compilatores, translatores, transformatores nova nobis auctorum nomina imponuntur, & antiqua nobilitate mutata, regeneratione multiplici renaſcentes degeneramus omnino. Sic quod vilium vitricorum nobis nolentibus affiguntur nomina, & verorum

rum patrum nomina filiis ſubducuntur. Verſus Virgilii adhuc ipſo vivente qvidam pſeudoverſificus uſurpavit, & Martialis Coci libellos Fidentinus quidam ſibi mendaciter arrogavit, quem idem Martialis merito redarguit ſub his verbis:

Quem recitas meus eſt, o Fidentine, libellus:
Sed male dum recitas incipit eſſe tuus.

Quid ergo mirum, ſi defunctis noſtris autoribus ſuas per nos fimbrias ſimiæ clericorum magnificant, cum eisdem ſuperſtitibus nos, recenter editos rapere moliantur. Ah quoties nos antiquos fingitis nuper natos, & qui patres ſumus, filios nominare conamini. Quique vos ad eſſe clericale creavimus, ſtudiorum veſtrorum fabricas appellatis. Revera de Athenis extitimus oriundi, qui fingimur nunc Romani. Semper namque Carmentis latruncula fuit Cadmi. Et qui nuper naſcebamur in Anglia, cras Pariſiis renaſcemur: & inde delati Bononiam, Italicam ſortiemur originem nulla conſangvinitate ſuffultam. Heu quam falſis ſcriptoribus nos exarandos committitis, quam corrupte nos legitis & medicando necatis, quos pio zelo corrigere debebatis! interpretes barbaros ſuſtinemus multoties, & qui linguarum idiomata neſciunt, nos de lingua ad linguam transferre præſumunt: ſicque proprietate ſermonis ablata, fit ſententia contra ſenſus autoris turpiter maculata. Bene generoſa fuiſſet librorum conditio, ſi turris Babelonis nullatenus obfuiſſet præſumtio, ſi totius humani generis unica deſcendiſſet ſermonis ſpecies propagata. Utinam prolixæ noſtræ querelæ, ſed pro materia qvam habemus breviſſimæ, clauſulam ſubjungimus. In nobis & ei commutatur naturalis uſus in eum uſum, qvi eſt contra naturum, dum paſſim pictoribus ſubdimur literarum ignaris, & aurifabris proh dolor commendamur nos, qui ſumus lumen fidelium animarum, ut fiamus ac ſi non eſ-

semus sapientiæ sacræ vasa repositoria bractearum: devolvimur indebite in laicorum dominium, qvod est nobis amarius omni morte, quoniam hi vendiderunt populum nostrum sine precio, & inimici nostri judices nostri sunt. Liqvet omnibus ex præmissis, qvod infinita possemus in clericos invectiva convitiari, si non honestati proprie parceremus. Nam miles emeritus clypeum veneratur & arma, gratusque Coridon aratro tepescenti bigæ, trahæ, tribulæ ac ligoni: & omnis artifex manualis hypoduliam propriam suis exhibet instrumentis: solus ingratus clericus parvi pendit, & negligit illa, per qvæ sui honoris auspicia semper sumsit.

CAP. V.

Quod boni religiosi libros scribunt, mali aliis occupantur.

RElig'onum veneranda devotio in librorum cultu solet esse sollicita & in eorum colloquiis sicut in omnibus divitiis delectari. Scribunt namque nonnulli propriis manibus inter horas canonicas intervallis captatis, & tempora pro quiete corporis accommodata fabricandis codicibus concesserunt. De quorum laboribus hodie in plerisque splendent monasteriis illa sacra gazophylacii Cherubicis literis plena, ad dandam scientiam salutis studentibus atque lumen delectabile semitis laicorum. O labor manualis felicior omni cura georgica! o devota sollicitudo, qvo nec meretur Martha corrumpi nec Maria! o domus jucunda, in qua Racheli formosæ Lya non invidet fœcunda, sed contemplatio cum activa gaudia sua miscet. Felix providentia pro futuro infinitis posteris valitura, cui nulla virgultorum plantatio, nulla seminum satio comparatur, nulla castrorum constructio munitorum. Quamobrem

obrem immortalis debet esse patrum illorum memoria, quos solius sapientiæ delectabat thesaurus. Qui contra futuras caligines, luminosas lucernas artificiosissime providerunt, & contra famem audiendi verbi Dei panes non subcinericeos, neque hordeaceos, nec muscidos, sed panes azymos de puriſſima ſimila ſacræ ſophiæ confectos accuratiſſime parant, quibus eſurientes feliciter cibantur. Hi fuerunt autem probiſſimi pugiles chriſtianæ militiæ, qui noſtram infirmitatem armis fortiſſimis munierunt. Hi fuerunt ſuis temporibus vulpium veneratores cautiſſimi, qui nobis jam ſua retia reliquerunt, ut parvulas caperemus vulpeculas, quæ non ceſſant florentes vineas demoliri. Vere patres egregii benedictione perpetua recolendi, felices merito fuiſſetis, ſi vobis ſimilem ſobolem genuiſſe, ſi prolem degenerem nec æquivocam reliquiſſe in ſequentis temporis ſubſidium licuiſſet. Sed qvod dolentes referimus, iam Therſites ignavus arma contrectat Achillis & dextrariorum phaleræ electæ pigritantibus aſinis ſubſternuntur. Aquilarum nidis cæcutientes noctuæ dominantur, & in accipitris pertica reſidet vecors milvus. Liber Bacchus reſpicitur, & in ventrem projicitur, nocte dieque liber codex deſpicitur, & a manu rejicitur longe lateque, atque ſi cujusdam æqvivocationis multiplicitate fallatur ſimplex plebs moderna, dum liber potationum præponitur libro patrum, calicibus epotandis non codicibus emendandis indulget hodie: quibus laſcivam Timothei muſicam pudicis moribus æmulam non verentur adjungere, ſicque cantus ludentis non planctus lugentis officium efficitur monachale. Greges & vellera, fruges & horrea, porri & holera, potus & pathera, lectiones ſunt hodie & ſtudia monachorum, exceptis quibusdam paucis electis, in quibus parum præcedentium non imago, ſed veſtigium remanet aliquale. Rurſus nulla nobis materia miniſtratur

omnino, qua de noſtro cultu vel ſtudio commendentur hodie canonici regulares. Qui licet a geminata regula nomen portant eximium, Auguſtini tamen regulæ notabilem neglexere verſiculum, quo ſub his verbis clericis ſuis commendamur: *Codices certa hora ſingulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiet.* Hunc devotum ſtudii canonem vix obſervat aliquis poſt eccleſiaſtica cantica repetita, ſed ſapere quæ ſunt ſeculi & relictum aratrum intueri ſumma prudentia reputatur. Tollunt pharetram & arcum, apprehendunt arma & ſcutum, eleemoſynarum tributum canibus tribuunt, non egenis, inſerviunt aleis & taxillis, & his, qvæ nos ſecularibus inhibere ſolebamus. Ut non quidem miremur, ſi nos non dignemur reſpicere, qvos ſic ſuis moribus cernunt contraire. Patres igitur reverendi patrum veſtrorum dignemini vos reminiſci & librorum ſacrorum propenſius indulgere ſtudio, ſine quibus quælibet vacillabit religio, & ſine quibus nullum præberi poterit lumen mundo.

CAP. VI.

De laude religioſorum mendicantium priorum cum reprehenſione modernorum.

PAuperes ſpiritu, ſed fide ditiſſimi, mundi peripſima & ſal terræ, ſeculi contemtores, & hominum piſcatores, quam beati eſtis, ſi penuriam patientes pro Chriſto animas veſtras ſcitis in patientia poſſidere. Non enim vos ultrix iniquitatis inopia, nec parentum adverſa fortuna, nec violenta neceſſitas ſic oppreſſit inedia, ſed devota voluntas & electio Chriſti formis, qua viram illam optimam prædicavit. Sane vos eſtis ſemper poſt parentes novi fœtus, pro patribus & propheris noviter ſubſtituti divinitus, ut in omnem terram exeat ſonus veſter, ut noſtris ſalutaribus inſtituti

ſtituti doctrinis cunctis regibus & gentibus, promulgetis inexpugnabilem fidem Chriſti. Porro fidem patrum potiſſime libris eſſe incluſam ſecundum capitulum ſupra ſatis aſſeruit, quo conſtat luce clarius, quod librorum debetis eſſe zelotypi, qui præ ceteris chriſtianis ſeminare jubemini ſuper omnes aquas, quia non eſt perſonarum acceptor altiſſimus, nec vult mortem peccatorum piiſſimus, qui occidi voluit pro eisdem: ſed contritos corde mederi deſiderat atque lapſos erigi & perverſos corrigi ſpiritu lenitatis. Ad quem effectum ſaluberrimum alma mater eccleſia vos plantavit gratuitos, plantatosque rigavit favoribus & rigatos privilegiis ſuffulcivit, ut cum paſtoribus & curatis coadjutores eſſetis ad procurandam ſalutem fidelium animarum. Unde & prædicatorum ordinem propter ſacræ ſcripturæ ſtudium & proximorum ſalutem principaliter inſtitutum conſtitutiones pronunciant eorundem, ut non ſolum ex regula præſulis Auguſtini, qui codices ſingulis diebus jubet eſſe petendos; verum mox cum earundem conſtitutionum prologum legerint, ex ipſius libri capite ad amorem librorum ſe noverint obligatos. Sed proh dolor quod tam hos quam alios iſtorum ſectantes effigiem à paterna cura librorum & ſtudio ſubtraxit triplex cura ſuperflua, ventris videlicet, veſtium & domorum. Sunt enim (neglecta ſalvatoris providentia, quem Pſalmiſta circa pauperem & mendicum promittit eſſe ſollicitum) circa labentis corporis indigentias occupati, ut ſint epulæ ſplendidæ, veſtesque contra regulam delicatæ: nec non & ædificiorum fabricæ ut caſtrorum propugnacula tali proceritate, quæ paupertati non conveniat exaltatæ. Propter hæc tria nos libri, qui ſemper eos proveximus ad perfectum, & inter pprentes & nobiles ſedes honoris conceſſimus, elongati a cordis affectibus quaſi inter ſupervacua reputamur: excepto quod quibusdam quaternis parvi valoris inſiſtunt,

fiſtunt, de quibus nenias & apocrypha deliramenta producunt, non ad refocillativum animorum edulium, ſed potius ad pruritum aurium auditorum. Sacra ſcriptura non exponitur quaſi trita per vicos & omnibus divulgata ſupponitur, cujus tamen fimbrias pauciſſimi tetigerunt, cujus etiam tanta eſt profunditas, ut ab humano intellectu, quantumcunque vigilet, ſummo ocio & maximo ſtudio nequeat comprehendi, ſicut ſanctus aſſerit Auguſtinus. De hac mille moralis diſciplinæ ſententias enucleare poterit, qui indulget aſſidue: ſi tamen oſtium aperire dignetur ille, qui condidit ſpiritum pietatis, quæ & recentiſſima novitate pollebunt, & ſapientiſſima ſvavitate auditorum intelligentias removebunt. Quamobrem paupertatis evangelicæ profeſſores primarii poſt utrumque ſalutatas ſcientias ſeculares toto mentis ingenio recollecto hujus ſe ſacræ ſcripturæ laboribus devenerunt nocte dieque in lege Domini meditantes. Quicquid vero poterant a famelcente ventre furari vel corpori ſemitecto ſurripere, illud lucrum præcipuum arbitrantes codicibus adſcripſerunt. Quorum contemporanei ſeculares tam officium intuentes quam ſtudium libros eos, quos in diverſis hinc inde mundi partibus ſumtuoſe collegerant, ad totius eccleſiæ ædificationem contulerunt. Sane diebus iſtis cum ſint tota diligentia circa quæſtus intenti, præſumtione probabili credi poteſt, ſi per Antropopathos ſermo fiat, Deum circa eos minorem ſollicitudinem gerere, qvos de ſua promiſſione perpendit diffidere, in humanis providentiis ſpem habentes, corvum non conſiderantes nec lilia, qvos paſcit & veſtit altiſſimus. Danielem & Habacuc cocti pulmenti diſcophorum non penſatis, nec Eliam recolitis nunc in deſerto per angelos nunc in torrente per corvos, nunc in Sarepta per viduam largitate divina, quæ dat eſcam omni carni tempore opportuno, a famis inedia liberatum. Climate miſerabili (ut timetur) deſcen-

deſcenditis, cum divinæ pietatis diffidentia prudentiæ ſollicitudinem generat terrenorum. Sollicitudo quoque nimia terrenorum amorem adimit tam librorum qvam ſtudiorum: & ſic cedit paupertas hodie per abuſum in verbi Dei diſpendium, quam ſolum propter ipſius adminiculum elegiſtis: uncinis pomorum, ut populus fabulatur, puerulos ad religionem attrahitis, quos profeſſos doctrinis non inſtruitis: vi & metu, ſicut exigit ætas illa, mendicativis diſcurſibus ſuſtinetis intendere, atque tempus, in qvo poſſent addiſcere in captandis favoribus amicorum, conſumere ſinitis in offenſam parentum, puerorum periculum & ordinis detrimentum. Sicque nimirum contingit, qvod qvi parvuli minime cogebantur inviti, grandiores effecti docere præſumant indigni penitus & indocti, & parvus error in principio, maximus fit in fine. Eſt ſic namque in grege veſtro promiſcuo laicorum quædam multitudo plurimis oneroſa: qui tamen ſe ad prædicationis officium tanto improbius ingerunt, quanto minus ea, qvæ loqvuntur, intelligunt in contemtum ſermonis domini & in perniciem animarum. Sane contra legem in bove & aſino aratis, cum doctis & indoctis culturam agri dominici committitis pari paſſu. Scriptum eſt: *Boves arabant & aſinæ paſcebantur juxta eos.* Quanqvam diſcretorum eſt prædicare, ſimplicium vero per auditum ſacri eloqvii ſub ſilentio ſe cibare. Quot lapides mittitis in acervum Mercurii his diebus? Quot eunuchis ſapientiæ nuptias procuratis? quot cæcos ſpeculatores ſuper eccleſiæ muros circumire præcipitis? O piſcatores inertes ſolis retibus alienis utentes, qvi rupta vix emperice reficitis: nova vero nullatenus commodatis, aliorum ſtudia recitatis, aliorum ſapientiam ſuperficialiter repetitis, theatrali ſtrepitu labiatis. Qvemadmodum pſittacus idiota auditas voces effigiat, ſic tales recitatores fiunt omnium, ſed nullius auditores, aſinam Balaami mitantes, qvæ licet intrin-

ſecus inſenſata, lingva tamen diſertafacta eſt tam Domini qvam prophetæ magiſtra. Reſipiſcite pauperes Chriſti, & nos libros inſpicite ſtudioſe, ſine qvibus in præparatione evangeliipacis nunqvam poteritis debite calciari. Paulus Apoſtolus prædicator veritatis & doctor eximius gentium iſta ſibi per Timotheum pro omni ſuppellectili tria juſſit afferri, penulam, libros & membranas, 2 Timoth. c. ult: viris evangelicis formam præbens, ut habitum deferant ordinatum, libros habeant ad ſtudendi ſubſidium, & membranas, qvas Apoſtolus maxime ponderat ad ſcribendum. *Maxime*, inquit, *& membranas.* Revera mancus eſt clericus & ad multarum rerum jacturam turpiter qvidem mutilatus, qvi artis ſcribendi totaliter eſt ignarus. Aërem vocibus verberat, & præſentes tantum ædificat, abſentibus & poſteris nihil parat. Atramentarium ſcriptoris geſtabat vir in renibus, qvi frontes gementium Tau ſignabat Ezech. 9. inſinuans figurate, quia ſi qvis ſcribendi peritia careat, prædicandi pœnitentiam officium non præſumat. Tandem in præſentis calce capituli ſupplicant vobis libri, juvenes neſcios ingenio aptos ſtudiis applicare neceſſaria miniſtrantes, qvos non ſolummodo veritatem, verum & diſciplinam & ſententiam doceatis, verberibus terreatis, attrahatis blanditiis, molliatis munuſculis, & pœnoſis rigoribus, ut & Socratici moribus & doctrinis Peripatetici ſimul fiant. Heri qvaſi undecima vos diſcretus paterfamilias introduxit in vineam, ante ſero penitus pigeat ociari. Utinam cum prudenti villico mendicandi tam improbe verecundiam haberetis. Tunc enim procul dubio nobis libris & ſtudio propenſius vacaretis.

CAP. VII.

Deploratio deſtructionis librorum per bella & incendia.

Pacis

PAcis autor & amator altiſſime diſſipa gentes bella volentes, quæ ſuper omnes peſtilentias libris nocent. Bella namque carentia rationis judicio furioſos efficiunt impetus in adverſa: & dum rationis moderamine non utuntur, ſine differentia diſcretionis progreſſa, vaſa deſtruunt rationis. Tunc prudens Apollo Plutoni ſubjicitur: & tunc Phroneſis pariens mater fit Phreneſis. & in Phreneſis redigitur poteſtatem. Tunc pennatus Peſagus ſtabulo Coridonis includitur, & facundus Mercurius ſuffocatur. Tunc Pallas prudens erroris mucrone tunditur, & jucundæ Pierides truculenta furoris tyrañide ſupprimuntur. O crudele ſpectaculũ, ubi Phœbum philoſophorum Ariſtotelẽ, cui omni dominii dominus ipſe commiſit dominiũ, ſceleroſis manibus vinculatum, ſerramentis infamibus compeditum laniſtrarum humeris a Socratis ædibus cernitur aſportari, & qui in mundi magiſtratu magiſterium atque ſuper imperatorem imperium meruit obtinere, injuſtiſſimo jure belli videres ſubjici vili ſcurræ. O poteſtas iniqviſſima tenebrarum, quæ Platonis non veretur peſſundare divinitatem probatam, qui ſolus aſpectui creatoris priusquam bellantis chaos placaret litigium, & antequam entelechiam induiſſet, ſpecies ideales objicere dignus fuit, ut mundum archetypum demonſtraret autori, & de ſuperno exemplo mundus ſenſibilis duceretur. O lacrymoſus intuitus! quo moralis Socrates, cujus actus, virtus, & ſermo doctrinæ, qui de naturæ principiis politiæ produxit juſtitiam vitioſi viſpilionis addictus videtur ſervituti. Pythagoram plangimus armoniæ parentem cum cantricibus furiis flagellatum atrociter vice cantus gemitus edere columbinos. Miſeremur Zenonis principis Stoicorum, qui ne conſilium proderet, linguam morſu ſecuit & expuit in tyrannum intrepide. Heu jam rurſus Adiomeritatritus in mortario piſtillatur. Certe non ſufficimus ſingulos libros luctu lamentari condigno, qvi in diverſis mundi

partibus bellorum discrimine perierunt. Horribilem tamen stragem, qvæ perauxiliares milites secundo bello Alexandrino contigit in Ægypto stylo flebile memoramus, ubi decem millia voluminum ignibus conflagrarunt, quæ sub regibus Ptolomæis per multa curricula temporum sunt collecta, sicut recitat Aulus Gellius noctium atticarum lib. 6. cap. XVI. Quanta proles Athlantica tunc occubuisse putabitur, orbium motus, omnes conjunctiones planetarum, galaxiæ naturam, & generationes prognosticas cometarum, & quæcunque in cœlo fiunt vel æthere comprehendentes? Quis tam infaustum holocaustum, ubi loco cruoris incaustum offertur, non exhorreat? Pruinæ candentes pergameni crepitantis sanguine vernabantur, ubi tot innocentiũ millia, in qvorum ore non inventum est mendaciũ, flamma vorax consumsit: ubi tot scrinia veritatis æternæ ignis parcere nesciens in fœtentem cinerem commutavit. Minoris facinoris æstimatur tam Ieptæ qvam Agamemnonis victima, ubi pia filia virgo, patris gloria jugulatur. Quot labores celebris Herculis tunc periisse putamus, qvi ob astronomiæ peritiam collo flexo, cœlum describitur sustuliisse, cum iam secundo Hercules flammis sit injectus. Arcana cœlorum, qvæ Ionanchus non ab homine neqve per hominem didicit, sed divinitus inspiratus accepit; qvæcunque Zoroastes germanus ejusdem immundorum servitor spirituum deseruit; qvæ etiam sacratus Enneck Prothi præfectus, priusqvam deferretur de seculo, prophetavit, imo, qvæqve primus Adam filios docuit, ut raptus in extasi in libro æternitatis præviderat, flammis illis nefandis probabiliter æstimantur esse destructa. Ægyptiorum religio, qvam liber Logostaliosiæ commendat egregie polios veterum Athenarum: qvæ cum millibus annorum Athenis Græciæ præcesserunt carmina, Chaldæorum considerationes, Arabum & Indorum ceremoniæ, Judæorum architecta, Babylonio-

loniorum noe georgica, Mosis præsagia, Josuæ planimetria, Samsonis ænigmata, Salomonis problemata a cedro Libani usque ad hyssopum planissime disputata, Æsculapii antidota, Cadmi grammatica, Parnasi poëmata, Apollinis oracula, argonautica Jasonis, stratagemata Palamedis, & alia infinita scientiarum secreta hujusmodi incendiis creduntur sublata. Numqvid Aristotelem de circuli qvadratura syllogismus apodicticus latuisset, si libros veterum, methodos naturæ totius habentium, permisissent nefanda prælia supereſſe. Nec de mundi æternitate problema neutrum feciſſet: nec de intellectuum humanorum pluralitate eorumque perpetuitate, ut verisimiliter creditur, dubitasset ullatenus, si perfectæ scientiæ veterum invisorum bellorum pressuris obnoxiæ non fuissent per bella. Namque ad patrias peregrinas dissipamur, obtruncamur, vulneramur, & enormiter mutilamur, sub terra fodimur, in mari submergimur, flammis exurimur, & omni necis genere trucidamur. Quantum sanguinis nostri effudit Scipio bellicosus cum everſioni Carthaginis Romani Imperii impugnatricis & æmulæ anxius incumbebat? Quot millia millium prælium decennale Trojanum ab hac luce transmisit? Quot per Antonium, Tullio jam occiso, externarum provinciarum latebras adierunt? Quot de nobis per Theodoricum, exulante Boëtio, in diversa mundi climuata, sicut oves percusso pastore sunt dispersi. Quot Seneca succumbente Neronis malitiæ, cum & nolens & volens portas mortis adiret, ab eo divisi retrocesimus lacrymantes, & in qvibus partibus hospitari deberemus ignorantes. Felix fuit illa librorum translatio, qvam in Persas de Athenis Xerxes feciſſe describitur, qvos rursus de Persis in Athenas Seleucus reduxit. O gaudium gratiosum, o mira lætitia! qvã tunc cerneres in Athenis cũ proli suæ genetrix obviaret tripudians, matrisq; thalamum senescenti jam soboli denuo

demonſtraret, reaſſignatis hoſpitiis veteribus inqvilinis. Mox tabulata cedrina cũ lignis & trabibus levigatis aptiſſime complanantur, auro & ebore epigrammata deſignantur camerulis, qvibus ipſa volumina reverenter illata ſvaviſſime collocantur, ſic ut nullum alterius ingreſſum impediat vel propinqvitate nimia fratrem ſuum lædat. Ceterum qvidem infinita ſunt diſpendia, qvæ per ſeditiones bellorum, librorũ generi ſunt illata. Et qvoniam qvidem infinita nullatenus transgredi atq; pertranſire contingit, hic familiariter ſtatuemus qverimoniæ noſtræ Gades & ad preces, qvibus incepimus, regyramus habenas, rogantes ſuppliciter, ut rector Olympi ac mundi totius diſpenſator altiſſimus firmet pacem, & bella removeat, ac tempora faciat ſua protectione tranquilla.

CAP. VIII.

De multiplici opportunitate autoris in colligendis libris circumquaque.

CUm omni negotio tempus ſit & opportunitas, ut teſtatur Eccleſiaſtes cap. VIII. jam progredimur enarrare multiplices opportunitates, quibus in acqviſitione librorum propoſita divinitate propitia juvabamur. Qvamvis enim ab adoleſcentia noſtra ſemper ſpecialem ſocialemque communionem cum viris literatis & librorum dilectoribus delectaremur habere, ſuccedentibus proſperis regiæ majeſtatis conſecuti notitiam, & in ipſius acceptati familia facultatem ſuſcepimus ampliorem ubilibet viſitandi pro lubitu, & venandi quaſi ſaltus quosdam delicatiſſimos, tum privatas, tum communes, tum regularium tum ſecularium librarias. Sane dum invictiſſimi principis ac ſemper magnifice triumphantis Regis Angliæ Eduardi III. poſt conquæſtum, cujus tempora conſervare dignetur altiſſimus, diutine & tran-

tranquille ; primo quidem ſuam concernentibus curam; deinde item. regni ſui, cancellarii ſcil. ac theſaurarii, fungeremur officiis, præſtabatur nobis aditus facilis, regalis favoris intuitu, ad librorum latebras libere perſcrutandas. Amoris quippe noſtri fama volatilis jam ubique percrebuit, tantumque librorum & maxime veterum ferebamur cupiditate langveſcere ; poſſe vero qvemlibet noſtrum per qvaternos facilius quam per pecuniam adipiſci favorem: quamobrem cum ſupra dicti principis recolendæ memoriæ bonitatis ſuffulti poſſemus obeſſe & prodeſſe, preficere & officere vehementer tam majoribus quam puſillis, affluxerunt loco encœniorum & munerum, locoque donorum & jocalium cœnulenti qvaterni ac decrepiti codices noſtris tam aſpectibus qvam affectibus precioſi. Tunc nobiliſſimorum monaſteriorum aperiebantur armaria, referebantur ſcrinia & ciſtulæ ſolvebantur, & per longa ſecula in ſepulchris ſoporata volumina expergiſcuntur attomata, quæque in locis tenebroſis latuerunt, novæ lucis radiis perfunduntur. Delicatiſimi quondam libri corrupti & abominabiles jam effecti murium qvidem fœtibus cooperti, & vermium morſibus terebrati jacebant exanimes. Et qvi olim purpura veſtiebantur & byſſo, nunc in cinere & cilicio recubantes oblivioni traditi videbantur domicilia tinearum. Inter hæc nihilominus captatis temporibus magis voluptuoſe concedimus, qvem feciſſet medicus delicatus inter aromatum apothecas, ubi amoris objectum reperimus & fomentum. Sic ſacra vaſa ſcientiæ ad noſtræ diſpenſationis pervenerunt arbitrium, qvædam data, quædam vendita, & nonnulla pro tempore accommodata, nimirum cum nos pleriqve de ejusmodi donariis cernerent contentatos, ea ſponte noſtris uſibus ſtuduerunt tribuere, qvibus ipſi libentius caruerunt, qvam ea, qvæ noſtris aſſiſtentes ſervitiis abſtulerunt. Quorum tamen negotia ſic expedite

cura-

curavimus gratioſe, ut eisdem emolumentum accreſceret, nulla tamen juſtitia detrimentum ſentiret. Porro ſi ſcyphos aureos & argenteos, ſi eqvos egregios, ſi nummorum ſummas non modicas amaſſemus, tunc temporis dives nobis ærarium inſtaurare potuiſſemus. Sed revera libros non libras maluimus, codicesqve plus dileximus, qvam florenos ac panſletos exiguos phaleratis prætulimus paleſcedis. Adhæc ejus Principis ſempiternæ memoriæ legationibus crebris functi, & ob multiplicia regni negotia, nunc ad ſedem Romæ, nunc ad curiam Franciæ, nunc ad mundi diverſa dominia tædioſis ambaſſiatibus & periculoſis temporibus mittebamur, Icircumferentes tamen illam, qvam aqvæ plurimæ neqvierunt exſtinguere, charitatem librorum. Hæc enim peregrinationum abſynthia qvaſi qvædam pigmenta dulcoravit. Hæc poſt perplexas intricationes, & ſcrupuloſas cauſarum anfractus, & vix egreſſibiles reipublicæ labyrinthos ad reſpirandam parumper temperiem auræ lenis aperiunt. O beate Deus Deorum in Sion, qvantus fluminis impetus voluptatis lætificavit cor noſtrum, qvoties paradyſum mundi Pariſiis viſitare vacavimus moraturi: ubi nobis ſemper dies pauci præ amoris magnitudine videbantur. Ibi bibliothecæ jucundæ ſuper cellas aromatum redolentes: ibi virens viridarium univerſorum voluminum: ibi prata Academica terræ motu trementia Athenarum, Peripateticorum diverticula, Parnaſſi promunctoria, & porticus Stoicorum: ibi cernitur tam artis qvam ſcientiæ menſurator Ariſtoteles, cujus eſt totum, qvod eſt optimum in doctrinis, in regione duntaxat transmutabili ſublunari: ibi Ptolemæus epicyclos & eccentricos anges, atqve genzachar planetarum figuris & numeris emeritur: ibi Paulus arcana revelat: ibi Dionyſius hierarchias coordinat & diſtinguit: ibi qvicqvid Cadmus grammatice recollegit, & Phœnices,

nices, totum virgo Carmentis charactere repræsentat latino: ibi revera thesauris apertis & sacculorum corrigiis resolutis pecuniam læto corde dispersimus, atqve libros impreciabiles luto redemimus & arena. Neqvaqvam malum est, insonuit omnis emtor. Sed ecce qvam bonum & qvam jucundum, arma clericalis militiæ congregare in unum, ut suppetat nobis unde hæreticorum bella conterere, si insurgant. Amplius opportunitatem maximam nos captasse cognoscimus per hoc, qvod ab ætate tenera magistrorum & scholarium ac diversarum artium professores, qvos ingenii perspicacitas, ac doctrinæ celebritas clariores effecerant, relegato qvolibet partiali favore, exqvisitissima sollicitudine nostræ comitivæ conjunximus; qvorum consolativis colloqviis confortati, nunc argumentorum ostensivis investigationibus, nunc physicorũ processuũ ac catholicorũ doctorũ tractatuũ recitationibus, velut multiplicatis & alternatis ingenii ferculis, dulcius fovebamur. Tales in nostro tyrocynio commilitones elegimus; tales in thalamo collaterales habuimus; tales in hospitio commensales; & tales penitus in omni fortuna sodales. Verum qvia nulla felicitas diu durare permittitur, privabamur nonnunqvam luminum aliqvorum præsentia corporali, cum eisdem promotiones ecclesiasticæ ac dignitates debitæ prospiciente justitia de cœlo provenerunt. Qvo fiebat, ut incumbentes, sicut oportuit, curæ propriæ, se à nostris cogerentur obseqviis absentare. Rursus compendiosissimam semitam subjungemus, per qvam ad manus nostras pervenit librorum tam veterum, qvam novorum plurima multitudo. Religiosorum siqvidem paupertatem susceptam pro Christo nunqvam indignantes horruimus: verum ipsos ubiqve terrarum in nostræ compassionis ulnas admisimus mansvetas, affabilitate familiarissima in personæ nostræ devotionem alleximus, allectosqve beneficiorum liberalitate munifica fovimus propter Deum. Qvorum sic eramus omnium bene-

factores communes, ut nihilominus videremur qvadam paternitatis proprietate singulos adoptasse. Istis in statu qvolibet facti sumus refugium, istis nunqvam clausimus gratiæ nostræ sinum. Qvamobrem istos votorum nostrorum peculiarissimos zelatores meruimus habere & tam opere qvam opera permotores. Qvi circumeuntes mare & aridam, orbis ambitum perlustrantes, universitatum qvoqve diversarum provinciarum generalia studia perscrutantes, nostris desideriis militare studebant certissima spe mercedis. Qvis inter tot argutissimos venatores lepusculus delitescere? qvis pisciculus istorum nunc hamos, nunc retia, nunc sagenas evaderet? A corpore legis divinæ usqve ad qvaternum sophismatum externorum nihil istos præterire poterit scrutatores. Si in fonte fidei christianæ curia sacrosancta Romana sermo devotus insonuit vel si pro novis causis qvæstio ventilabatur extranea; si Parisiensis soliditas, qvæ plus antiqvitati discendæ, qvam veritati subtiliter producendæ jam studet; si Anglicana perspicacitas, qvæ antiqvis perfusa luminaribus novos semper radios veritatis emittit, qvicqvam ad augmentum scientiæ vel declarationem fidei promulgavit, hoc statim nostris recens infundebatur auribus, nullo denigratum semiverbio, nulla nugacitate corruptum, sed de prælo purissimi torcularis in nostræ memoriæ dolia deferendũ transfibat. Cum vero nos ad civitates & loca contingeret declinare, ubi præfati pauperes conventus habebant, eorum armaria ac qvæcunque librorum repositoria visitare non piguit: imo ibi in altissima paupertate, altissimas divitias thesaurizatos invenimus: non solum in eorum sarcinulis & sportellis micas de mensa dominorum cadentes reperimus pro catellis, verum etiam panes propositionis absqve fermento, panemqve angelorum omne in se delectamentum habentem: imo horrea Joseph plena frumentis, totamqve Ægypti suppellectilem, atqve dona ditissima, qvæ regina Saba detulit Salomon.

Hi

Hi sunt formicæ continue congregantes in messe & apes argumentosæ fabricantes jugiter cellas mellis. Hi successores Bezeleel ad excogitandum qvicqvid fabrefieri poterit in argento & auro & gemmis, qvibus templum ecclesiæ decoretur. Hi prudentes polymitarii, qvi super humerale ac rationale pontificis, sed & vestes varias efficiunt sacerdotum. Hi cortinas, saga, pellesqve arietum rubricatas resarciunt, qvibus ecclesiæ militantis tabernaculum contegatur. Hi sunt agricolæ seminantes, boves triturantes, tubæ buccinantes, pleiades emicantes & stellæ manentes in ordine suo, qvæ Sysaram expugnare non cessant. Et ut veritas honoretur salvo judicio cujuscunqve licet, hi super horam undecimam vineam sint ingressi dominicam, sicut amantissimi nobis libri c. 6. supra anxius allegabant, plus tamen in hac hora brevissima sacratorum librorum adjecerunt propagini, qvam omnes residui vinitores, Pauli sectantes vestigia, qvi vocatione novissimus, prædicatione primus, multo latius evangelium Christi sparsit. De istis ad statum pontificalem assumti nonnullos habuimus de duobus ordinibus, prædicatorum videlicet & minorum, nostris assistentes lateribus, nostræ qvoque familiæ commensales, viros utiqve tam moribus qvam literis insignitos: qvi diversorum voluminum correctionibus, expositionibus, tabulationibus, ac compilationibus indefessis studiis incumbebant. Sane qvamvis omnium religiosorum communicatione multiplici, plurimorum operum copiam tam novorum quam veterum assecuti fuerimus; prædicatores tamen extollimus merito speciali præconio in hac parte, qvod eos præ cunctis religiosis suorum sine invidia gratissimæ communicationis invenimus, ac divina qvadam liberalitate perfusos, sapientiæ luminosæ probavimus non avaros sed idoneos professores. Præter has opportunitates omnes prætactas, stationariorum ac librariorum notitiam non solum intra natalis sui provinciam, sed

per regnum Franciæ, Teutoniæ & Italiæ comparavimus dispersorum faciliter pecunia prævolante : nec eos ullatenus impedivit distantia, neqve furor maris absterruit, nec eis æs pro expensa defecit, qvin ad nos optatos libros transmitterent vel offerrent. Sciebant enim pro certo, qvod spes eorum in sinu nostro reposita defraudari non poterat, sed restabat apud nos copiosa redemtio cum usuris. Deniqve nec rectores scholarium puerorumq; rudium pædagogos, nostra neglexit communis singulorum captatrix amoris : sed potius cum vacaret eorum hortulos & agellos ingressi, flores superficietenus redolentes collegimus, ac radices effodimus obsoletas, studiosis tamen accommodas, & qvæ possent, digesta barbarie raucida, pectorales arterias eloqventiæ munere medicare, inter hujusmodi pleraqve comperimus renovari dignissima, qvæ solerter elimata, turpi larva vetustatis depositа, merebantur venustis vultibus denuo reformari. Qvæ nos adhibita necessariorum sufficientia, in futuræ resurrectionis exemplum resuscitata, qvodammodo redivivæ reddidimus sospitati. Cæterum apud nos in nostris atriis multitudo non modica semper erat antiqvariorum, scriptorum, colligatorum, correctorum, illuminatorum & generaliter omnium, qvi poterant librorum servitiis utiliter insudare. Postremo omnis utriusqve sexus, omnisqve status vel dignitatis conditio, cujus erat cum libris aliqvale commercium, cordis nostri januas pulsu poterat aperire facillimo, & in nostro gremio commodosum reperire cubile. Sic omnes admisimus codices afferentes, ut nec præcedentum multitudo fastidium posteriorum efficeret, vel hesternum beneficium præcollatum, præjudicium pareret hodierno. Qvapropter cum omnibus memoratis personis qvasi qvibusdam adamantibus attractivis librorum jugiter uteremur, fiebat ad nos desideratus accessus vasorum scientiæ, & multifarius volatus voluminum optimorum. Et hoc est, qvod præsenti cap. sumsimus enarrare.

CAP.

CAP. IX.

Qvod antiqvi ſtudentes præcedunt modernos fervore diſcendi.

Licet noſtris deſideriis novitas modernorum nunqvam fuerit oneroſa, qvi vacantes ſtudiis, ac primorum patrum ſententiis qvicqvam vel ſubtiliter vel utiliter adjicientes grata ſemper affectione colimus, antiqvorum tamen examinatos labores ſecuriori cupiditate cupivimus perſcrutari. Sive enim naturaliter viguerunt perſpicaciori mentis ingenio, ſive inſtantiori ſtudio forſitan indulſerunt, ſive utriusqve ſuffulti ſubſidio profecerunt, hoc unum comperimus evidenter, qvod vix ſufficiunt ſucceſſores priorum comperta diſcutere, atqve ea per doctrinæ captare compendium, qvæ antiqvi anfractuoſis adinventionibus effoderunt. Sicut enim corporis probitate præſtantiores legimus præceſſiſſe, qvam moderna tempora exhibere noſcantur, ita luculentioribus ſenſibus præfulſiſſe plerosqve opinari nullatenus eſt abſurdum, cum utrosqve opera, qvæ fecerunt, inattingibiles poſterisæqve præbent. Vnde Focas in prologo grammaticæ ſuæ ſcribit.

Omnia cum veterum ſint explorata libellis,
Multa loqvi breviter ſit novitatis opus.

Nempe ſi de fervore diſcendi ac diligentia ſtudii fiat ſermo, illi philoſophiæ vitam totam integre devoverunt: noſtri vero ſeculi contemporanei paucos annos fervidæ juventutis æſtuantes viciſſim incendiis vitiorum ſegniter applicant, & cum ſedatis paſſionibus diſcernendæ ambiguæ veritatis acumen attigerint, externis implicati negotiis retrocedunt, & philoſophiæ gymnaſiis valedicunt. Muſtum fumoſum juvenilis ingenii philoſophiæ difficultati delibant, vinumque maturius defecatum oeconomicæ ſollici-

tudini largiuntur. Amplius ficut Ovidius primo de vetula merito lamentatur:

Omnes declinant ad ea, qvæ lucra miniſtrant:
Utque ſciant, diſcunt pauci, plures ut abundent.

Sic te proſtituunt, o virgo ſcientia! ſic te venalem faciunt caſtis amplexibus aptam, non te propter te qværentes, ſed lucra per te, ditarique volunt potius, qvam philoſophari. Et intra ſic:

Philoſophia
Exilium patitur, & philopecunia regnat:

qvam conſtat eſſe violentiſſimum toxicum diſciplinæ. Qvaliter vero non aliter terminum ſtudiop fuerunt antiqvi qvam vitæ, declarat Valerius ad Tiberium lib. VIII. cap. 7. per exempla multorum, *Carneades*, inqvit: *laboriosius ac diutinus ſcientiæ miles fuit. Siqvidem expletis ſc. annis idem illi vivendi ac philoſophandi finis fuit. Et Socrates XCIV. agens nobiliſſimum librum, Sophocles prope centeſimum annum agens Oedipodem*; i. e. librum de geſtis Oedipodis ſcripſit: *Simonides LXXX anno carmina ſcripſit.* A. Gellius non affectavit diutius vivere, qvam eſſet idoneus ad ſcribendum, teſte ſe ipſo in prologo noctium Atticarum. Fervorem autem ſtudii, qvem habebat Euclides Socraticus recitare ſolebat Taurus philoſophus, ut juvenes ad ſtudium animaret, ſicut refert A. Gellius lib. VI. c. 10. voluminis memorati. Athenienſes namque cum Megarenſes adirent, decreverunt, qvod ſi qvis de Megarenſibus Athenas intraret, capite plecteretur. Tunc Euclides, qvi Megarenſis erat, & ante illud decretum Socratem audierat, muliebri ornamento contectus de nocte ad Socratem, ut eum audiret, ibat de Megaris ad Athenas vinginti millia paſſuum & redibat. Imprudens & nimius fuit fervor Archimedis, qvi geometriæ facultatis amator nomen edicere noluit, nec a

figura

figura protacta caput erigere, qvo vitæ mortalis fatum prolongaſſet: ſed indulgens ſtudio plus qvam vitæ, ſtudioſam figuram vitali ſanguine cruentavit? qvam plurima hujusmodi noſtri propoſiti ſunt exempla, nec ea qvidem transcurrere brevitas affectata permittit. Sed qvod dolentes referimus, iter prorſus diverſum incedunt clerici celebres his diebus. Ambitione ſiqvidem in ætate tenera laborantes ac præſumtionis pennas Icareas ineptis & inexpertis lacertis fragiliter coaptantes pileum magiſtralem immaturi præripiunt, fiuntque pueruli facultatum plurimum profeſſores immeriti, qvas neqvaqvam pedetentim pertranſeunt, ſed ad inſtar caprearum ſaltatim aſcendunt. Cumque parum de grandi torrente guſtaverint, arbitrantur ſe totum funditus ſorbuiſſe, vix faucibus humectatis. Et qvia in primis rudimentis tempore congruo non fundantur ſuper inſtabile fundamentum, opus ædificant ruinoſum. Jamque profectos pudet addiſcere, quæ tenellos decuerat didiciſſe, & ſic profecto coguntur perpetuo luere, qvod ad faſces indebitos præpropere ſalierunt, propter hæc & his ſimilia tyrones ſcholaſtici ſoliditatem, qvam veteres habuerunt, eam paucis lucubratiunculis non attingunt, qvantumque fungantur honoribus, cenſeantur nominibus, auctorizentur habitibus, locenturque ſolenniter in cathedris ſeniorum. Priſciani regulas & Donati ſtatim de cunis erepti, & ſic celeriter ablactati pertingunt categorias perihermenias, in cujus ſcriptura ſummus Ariſtoteles calamum in corde tinxit, infantuli balbutie reſonant impubes & imberbes. Qvarum facultatum itinera diſpendioſo compendio, damnoſoque diplomate transmeantes in S. Moſen manus injiciunt violentas, ac ſe tenebroſis aqvis in nubibus aëris faciliter aſpergentes, ad Pontificatus infulam caput parant nulla decoratum canicie ſenectutis. Promovent plurimum iſtam peſtem, juvantque ad iſtum phantaſticum

ſticum clericatum tam pernicibus paſſibus attingendum Papalis proviſio ſeductivis precibus impetrata, nec non & preces, qvæ repelli non poſſunt, Cardinalium, & potentium amicorum cupiditas & parentum; qvi ædificantes Sion in ſanguinibus prius ſuis nepotibus & alumnis eccleſiaſticas dignitates aucupant, qvam naturæ ſucceſſu, vel doctrinæ, tempore matureſcant. Ideo proh dolor paroxismo, qvem plangimus Pariſienſe Palladium noſtris mœſtis temporibus cernimus jam ſublatum, ubi tepuit imo ubi fere friguit zelus ſcholæ tam nobilis, cujus olim radii lucem dabant univerſis angulis orbis terræ. Quieſcit ibidem jam calamus omnis ſcribæ, nec librorum generatio propagatur ulterius, nec eſt, qvi

incipiat novus autor haberi.

Involvunt ſententias ſermonibus imperitis, & omnis logicæ proprietate privantur: niſi qvod Anglicanas ſubtilitates, qvibus palam detrahunt, vigiliis furtivis addiſcunt. Minerva mirabiles nationes hominum circuire videtur, & a fine usque ad finem attingit fortiter, ut ſe ipſam communicet univerſis. Judæos, Babylonios, Ægyptis atque Græcos, Arabes & Latinos eam jam petranſiſſe cernimus, jam Athenas deſeruit, jam a Roma receſſit, jam Pariſios præterivit, jam ad Britanniam inſularum inſigniſſimam, quin potius microcoſmum, acceſſit feliciter, ut ſe Græcis & Barbaris debitricem oſtendat, qvo miraculo conjicitur a plerisqve, qvod ſicut Galliæ jam ſophia tepeſcit, ſic ejusdem militia penitus evirata langueſcit.

CAP. X.

Quod ſucceſſive ſcientia ad perfectionem crevit, & qvod autor grammaticam græcam & hebræam procuravit.

Sapientiam veterum exqvirentes aſſidue, juxta ſapientis conſilium Eccleſiaſt. XXXIX. *Sapientiam*, inqvit, omni-

omnium antiquorum exqvirit sapiens. Non in illam opinionem dignum duximus declinandum, ut primos artium fundatores omnem ruditatem eliamasse dicamus, scientes ad inventionem cujusqve fidelium conamine ponderatam, pusillam efficere scientiæ portionem, sed plurimorum investigationes sollicitas, qvasi datis symbolis singulatim scientiarum vigentia corpora ad immensas, qvas cernimus, copias successivis augmentationibus succreverunt. Semper namqve discipuli magistrorum sententias iterata fornace liqvantes, præneglectam scoriam excoxerunt, donec fieret aurum electum, probatum, terra purgatum septuplum, & nullius erronei vel dubii admixtione fucatum. Neqve enim Aristoteles qvamvis ingenio giganter floreret, in qvo naturæ complacuit experiri, qvantum mortalitati rationis posset admittere, qvemqve paulo minus ab angelis minoravit altissimus: illa mira volumina, quæ totus vix capit orbis ex digitis suis suxit. Qvinimo Babyloniorum, AEgyptiorum, Chaldæorum, Persarum & Medorum, qvos omnes diserta Græcia in thesauros suos transtulerat, sacros libros oculis linceis penetrando perviderat. Qvorum recta dicta recipiens, aspera complanavit, superflua resecuit, diminuta supplevit, & erronea delevit. Ac non solum sincere docentibus, sed etiam oberrantibus regratiandum censuit, qvasi viam præbentibus, veritatem facilius inqvirendi, sicut ipsemet in secundo Metaphysicæ clare docet. Sic multi jurisperiti condidere pandectas, sic medici multi tegni, sic & Avicenna canonem, sic Plinius molem illam historiæ naturalis, sic Ptolomæus edidit Almagestum. Qvemadmodum namqve in scriptoribus annalium considerare non est difficile, qvod semper posterior præsupponit priorem, sine qvo prælapsa tempora nullatenus enarrare valeret, sic est in scientiarum autoribus æstimandum. Nemo namque solus qvamcunque scientiam generavit, cum inter veterrimos & novellos, intermedios

reperimus? antiqvos qvidem si nostris ætatibus comparentur; novos vero, si ad fundamina referantur. Et istos doctissimos arbitramur. Qvid feciſſet Virgilius latinorum poëta præcipuus, si Theocritum, Lucretium, & Homerum minime ſpoliaſſet, & in eorum vitula non erraſſet? Qvid nisi Parthenium Pindarumqve, cujus eloqventiam non modo potuit imitari, aliqvatenus lectitaſſet. Qvid Salluſtius, Tullius, Boëtius, Macrobius, Lactantius, Martianus, imo tota cohors generaliter latinorum, si Athenarum ſtudia vel græcorum volumina non vidiſſet. Parum certe Hieronymus trium linguarum peritus in ſcripturæ gazophylacium, Ambroſius, Auguſtinus, qvi tamen literas græcas ſe fatetur odiſſe, imo Gregorius, qvi prorſus eas neſciſſe deſcribitur, ad doctrinam eccleſiæ contuliſſent, si nihil eiſdem doctior Græcia commodaſſet. Cujus rivulis Roma rigata, ſicut prius generavit philoſophos ad græcorum effigiem, pari forma poſtea protulit orthodoxæ fidei tractatores. Sudores ſunt græcorum ſymbola, qvæ cantamus, eorundem declarata conciliis, & multorum martyrio confirmata. Cedit tamen ad gloriam Latinorum per accidens hebetudo nativa, qvoniam ſicut fuerunt in ſtudiis minus docti, ſic & in erroribus minus mali. Ariana nempe malitia fere totam eclipſavit eccleſiam. Neſtoriana neqvitia, blaſphema rabie debachari præſumſit in virginem. Nam tam nomen qvam definitionem θεοτόκος abſtuliſſet & reginæ, nisi miles invictus Cyrillus monomachiæ congreſſum paratus exſufflaſſet. Innumerabiles nobis ſunt græcarum hæreſium tam ſpecies qvam autores. Nam ſicut fuerunt ſacroſanctæ fidei primitivi cultores, ita primi zizaniorum ſatores, prout dicitur & producuntur hiſtoriis fide dignis Sicqve poſterius profecerunt in prius, qvod dum inconſutilem domini tunicam ſcindere niterentur, claritatem doctrinæ philoſophicæ perdiderunt totaliter, ac nouis tenebris excœcati decidunt in abyſſum, niſi ille ſua occulta

culta dispensat potentia, cujus sapientiam numerus non metitur. Hæc hactenus. Nam hic nobis subducitur judicandi facultas. Vnum tamen elicimus ex prædictis, damnosa hodie nimis est studio latinorum græci sermonis inscitia, sine qvo scriptorum veterum dogmata sive christianorum sive gentilium neqveunt comprehendi. Idemqve de arabico in plerisqve tractatibus astronomicis, ac de hebraico textu sacræ bibliæ verisimiliter est censendum, qvibus defectibus provide Clemens qvintus occurrit, si tamen prælati qvæ faciliter statuunt, fideliter observarent. Qvamobrem grammaticam tam græcam qvam hebræam nostris scolaribus providere curavimus cum qvibusdam adjunctis: qvorum adminiculo studiosi lectores in dictarum linguarum scriptura, lectura, nec non intellectu poterunt informari, licet proprietatem idiomatis solus auditus auris animo repræsentet.

CAP. XI.

Qvod leges proprie non sunt scientia, nec libri.

IN libris juris positivi lucrativa peritia dispensandis terrenis accommoda, qvanto hujus seculi filiis famulatur utilius, tanto minus ad capescenda sacræ scripturæ mysteria & arcana fidei sacramenta filiis lucis confert: utpote qvæ disponit peculiariter ad amicitiam hujus mundi, per qvam homo, Jacobo testante, Dei constituitur inimicus. Hæc nimirum lites humanas, qvas infinitas producit cupiditas, intricatis legibus, qvæ ad utrumqve duci possunt, extendit crebrius qvam exstinguit: ad qvas tamen sedandas à jurisconsultis & piis principibus dignoscitur emanasse. Sane cum contrariorum sit eadem disciplina, potentiaqve rationalis ad oppositа valeat, simulqve sensus humanus proclivior sit ad malum: hujus facultatis exercitatoribus accidit, ut plerumqve litibus extendendis indulgeant plusqvam paci, & jura non secundum legislatoris intentum referant, sed ad suæ ma-

machinationis effectum verba retorqveant violenter. Qvamobrem licet mentem noſtram librorum amor poſſideret à puero, qvorum zelo languore vitæ voluptatis accepimus, minus tamen librorum civilium appetitus noſtris adhæſit affectibus, minusqve hujusmodi voluminibus acqvirendis conceſſimus tam operæ qvam expenſæ. Sunt enim utilia, ſicut ſcorpio in tyriaca, qvemadmodum libro de pomo & morte Ariſtoteles, ſol doctrinæ, de logica diffinivit. Cernebamus inter leges & ſcientias qvandam naturæ differentiam manifeſtam, dum omnis ſcientia jucundatur & appetit, qvod ſuorum principiorum præcordia introſpectis viſceribus pateant, & radices ſuæ pullulationis emineant, ſuæque ſcaturiginis emanatio luceat evidenter. Sic enim ex cognato & conſono lumine veritatis concluſionis ad principia, ipſum corpus ſcientiæ lucidum fiet totum, non habens partem aliqvam tenebrarum. At vero leges, cum ſint qvædam pacta humana, ſtatuta ad civiliter vivendū vel juga principum ſuperjecta cornibus ſubditorum, recuſant reduci ad ipſam ſynderiſim veritatis ac æqvitatis originem, eo qvod plus habere ſe timeant, de voluntatis imperio, qvam de rationis arbitrio. Qvapropter cauſas legum diſcutiendas non eſſe ſvadet in pluribus ſententia ſapientum. Nempe conſvetudine ſola leges multæ vigorem acqvirunt, non neceſſitate ſyllogiſtica, ſicut artes, prout ſecundo politicæ adſtruit Ariſtoteles, phœbus ſcholæ, ubi politiam redarguit Hypodami, qvæ novarum legum inven oribus præmia largiri pollicetur, qvia leges veteres abrogare, & novas ſtatuere eſt ipſarum, qvæ ſunt, valetudinem infirmare. Qvæ enim ſola conſvetudine ſtabilitatem accipiunt, hæc neceſſe eſt diſſvetudine dirimantur. Ex quibus liqvide fatis conſtat, qvod ſicut leges nec artes ſunt, nec ſcientiæ, ſic nec libri legum, libri ſcientiarum vel artium proprie dici poſſunt. Nec eſt hæc facultas inter ſcientias recenſenda, qvam licet geologiam appropriato vocabulo nominare. Liberi

bri vero liberalium literarum tam utiles sunt scripturæ divinæ, qvod sine ipsorum subsidio frustra ad ipsius notitiam intellectus aspiret.

CAP. XII.

De utilitate & necessitate grammaticæ.

CUm librorum lectionibus foveremur assidue, qvos moris erat quotidie legere vel audire, perpendimus evidenter, qvantum impediat intellectus officium vel unius vocabuli semiplena notitia, dum nullius enunciationis sententia cujus pars quantalibet ignoratur. Quapropter exarticorum verborum interpretationes mira sedulitate jussimus annotari, antiqvorumque grammaticorum orthographiam, prosodiam, etymologiam & dyasynthesin inconcussa curiositate consideravimus, terminosqve vetustate nimia caligantes descriptionibus congruis delucidari curavimus, qvatenus iter planum nostris studentibus pararemus. Hæc est sane sententia totalis, qvare tot grammaticorum antiqva volumina emendatis codicibus renovare studuimus, ut stratas regias sterneremus, qvibus ad artes quascunque nostri futuri scholares incederent inoffense.

CAP XIII.

De excusatione poesis & utilitate ejusdem.

OMnia genera machinarum, qvibus contra poëtas solius nudæ veritatis amatores objiciunt, duplici refellentur umbone: qvia vel in obscœna materia gratus cultus sermonis addiscitur, vel ubi ficta sed honesta sententia tractatur naturalis vel historialis veritas indagatur sub eloqvio typicæ fictionis. Quamvis nimirum omnes homines natura scire desiderent, non tamen omnes delectantur æqvaliter addiscere; qvinimo studii labore gustato

& ſenſuum fatigatione percepta, plerique nucem abjiciunt inconſulte, priusqvam teſta ſoluta nucleus attingatur. Innatus eſt homini duplex amor, videlicet propriæ libertatis in regimine & aliqvantæ voluptatis in opere. Unde nullus ſine cauſa alieno ſe ſubdit imperio, vel opus quodcunque exercet cum tædio ſua ſponte. Delectatio namque perficit operationem, ſicut pulchritudo juventutem, ſicut Ariſt. veriſſime dogmatizat, lib. X. Ethic. Idcirco prudentia veterum adinvenit remedium, qvo laſcivum genus humanum caperetur quodammodo pio dolo, dum ſub voluptatis yconio delicata Minerva deliteſceret in occulto. Muneribus parvulos ſolemus allicere, ut illa gratis velint addiſcere, qvibus eos vel invite intendimus applicare. Non enim natura corrupta eo impetitur, qvo prona ſe pellit ad vitia, transmigrat ad virtutes. Hoc enim brevi verſiculo nobis declarat Horatius, ubi artem poëticam tradit, dicens,

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poëtæ.

Hoc idem alio verſu ejusdem libri potenter inſinuavit ita dicens:

Omne tulit punctum, qvi miſcuit utile dulci.

Quod Euclidis diſcipulos rejecit Ellefuga qvaſi ſcopulus eminens & abruptus, qvi nullo ſcholarium ſuffragio ſcandi poſſet. *Durus eſt*, inqviunt, *hic ſermo & qvis poteſt eum audire.* Filius inconſtantiæ, qvi tandem in alinum transformari volebat philoſophiæ nullatenus forſitan ſtudium dimiſiſſet, ſi eidem contecta voluptatis velamine familiariter occurriſſet: ſed mox Cratonis cathedra ſtupefactus & quæſtionibus infinitis quaſi qvodam fulmine ſubito repercuſſus nullum prorſus videbat refugium niſi fugam. Hæc in excuſationem adduximus Poëtarum, jamque ſtudentes intentione debita in eisdem oſtendimus inculpandos. Ignorantia qvidem ſolius unius vocabuli prægrandis ſententiæ impedit intellectum, ſicut proximo capitulo eſt aſſumtum.

Cum

Cum ergo dicta sanctorum poetarum figmentis freqventer alludant, evenit necesse est, vt nescio poëmate introducto tota ipsius autoris intentio penitus obstruatur. Et certe, sicut dicit Cassiodorus libro suo de institutione divinarum literarum, non sunt parva censenda, sine qvibvs magna constare non possent. Restat ergo ut ignoratis poëtibus ignoretur Hieronymus, Augustinus, Boëtius, Lactantius, Sidonius, & plerique alii, qvorum letaniam prolixum capitulum non teneret. Venerabilis a. Beda hujusmodi dubitationis articulum discussione declaravit dilucida, sicut recitat compilator egregius Gratianus plurium repetitor autorum, qvi sicut fuit avarus in compiiationis materia, sic confusus reperitur in forma, scribens distinctione tricesima septima. *Turbat acumen: Seculares qvidem nostras legunt ad voluptatem poëtarum figmentis, & verborum ornatu delectati. Quidnam vero ad eruditionem eas addiscunt, ut errores gentilium legendo detestentur & utilia, qvæ in eis invenerint, ad usum sacræ eruditionis devoti innectant, tales laudabiliter seculares literas addiscunt.* Hæc Beda. Hac institutione salutifera moniti sileant detrahentes studentibus in poëtis ad tempus, nec ignorantes, hujusmodi connescientes desiderent, qvia hoc simile est solatio miserorum. Statuat sibi qvisque piæ inventionis affectum, & de qvacunque materia observatis virtutis circumstantiis faciat studium Deo gratum. Etsi in poëta profecerit, qvemadmodum magnus Maro de se fatetur in Ennio, studium non amisit.

CAP. XIV.

De illis, qvi præcipue deberent libros diligere.

REcolligenti prædicta palam est perspicuum, qvi deberent esse librorum præcipui dilectores. Qvi namque sapientia magis egent ad sui status officium utiliter exeqven-

qvendum, hi potiſſime ſacris vaſis ſapientiæ propenſiorem procul dubio exhibere tenentur ſollicitum grati cordis affectum. Eſt autem ſapientiæ officium bene ordinare, & alios & ſeipſum ſecundum phœbum philoſophorum Ariſtotelem proœmio Metaphyſicæ, qvi nec fallit, nec fallitur in humanis. Quapropter principes & prælati, judices & doctores, & qvicunque reipublicæ directores, ſicut præ aliis ſapientia opus habent, ita præ aliis vaſorum ſapientiæ zelum debent habere. Philoſophiam nimirum confixit Boëtius in ſiniſtra qvidem ſceptrum, & in dextra libros geſtantem, per qvod univerſis evidenter oſtenditur, nullam poſſe rempublicam debite regere ſine libris. *Tu*, inqvit Boëtius loqvens philoſophiæ, *hanc ſententiam Platonis ore ſanxiſti, beatas fore respublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel eorum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet.* Rurſus hoc nobis inſinuat ipſe geſtus imaginis, qvod qvanto dextra ſiniſtram præcellit, tanto contemplativa vita dignior eſt activa, ſimulque ſapientis intereſſe monſtratur nunc ſtudio veritatis, nunc diſpenſationi temporalium indulgere viciſſim. Philippum legimus Diis regratiatum devote, qvod Alexandrum conceſſerant temporibus Ariſtotelis eſſe natum, cujus inſtructione educatus, regni paterni moderamine dignus eſſet, dum Phaëton ignarus regiminis fit currus auriga paterni: nunc vicinitate nimia, nunc remota diſtantia mortalibus æſtum Phœbus infeliciter adminiſtrat, ac ne omnes periclitarentur ſubjecti pro iniqvo regimine juſte metuit fulminari. Referunt tam græcorum qvam latinorum hiſtoriæ, qvod nobiles inter eos principes non fuerunt, qvi literarum peritia caruerunt. Sacra lex Moſaica præſcribens regi regulam, per qvam regat, librum legis divinæ ſibi præcipit habere deſcriptum. Deutr. XVII. Secundum exemplar a ſacerdotibus exhibendum, in qvo ſibi legendum eſſet, omni-

omnibus diebꝰ vitæ ſuæ. Sane labilitatē humanæ memoriæ, & inſtabilitatem virtuoſæ voluntatis in homine ſatis noverat Deus ipſe, qvi condidit, qvi & fingit qvotidie corda hominum ſingillatim. Qvamobrem qvaſi omnium malorum antidotum voluit eſſe librum, cujus lectionem & uſum tanqvam ſaluberrimum ſpiritus alimentum qvotidianum jugiter eſſe juſſit; qvo refocillatus intellectus nec enervis, nec dubius trepidaret ullatenus in agendis. Iſtud eleganter Johannes Saresburienſis pertractat in ſuo Polycratico libro IV. Cæterum omne genus hominum, qvi tonſura vel nomine clericali præfulgent, contra qvos libri IV. V. & VI. capitulis qverebantur, libris tenentur veneratione Papæ famulari.

CAP. XV.

De multiplici effectu ſcientiæ, quæ in libris continetur.

HVmanum excedit ingenium, qvantumcunqve de fonte Pegaſi potatum, inſtantis capituli titulum explicare perfecte, linguis hominum & angelorum qvis loqvatur? ſi in Mercurium transformaretur aut Tullium: ſi dulceſcat Titi Livii eloqventia lactea: ſi Demoſthenis ſvavitate peroret: aut Moſi balbutiem allegabit, vel cum Hieremia ſe puerum neſcientem confitebitur adhuc loqvi, vel imitabitur reſonantem in montibus altis Echo. Amorem namqve librorum, amorem ſapientiæ conſtat eſſe ſicut 2. cap. eſt probatum. Hic autem amor philoſophia græco vocabulo nuncupatur, cujus virtutem nulla comprehendit creata intelligentia, qvoniam creditur omnium bonorum mater eſſe cap. VII. Æeſtus qvippe carnalium vitiorum qvaſi cœlitus ros exſtinguit, dum motus infenſus virtutum animalium vires naturalium virtutum remittit, otio penitus effugato. Qvo ſublato,

— — *periere cupidinis arcus omnis.*

Hinc Plato in Phœdone; *in hoc*, inqvit, *manifestus est philosophus, si absolvit animam a corporis differentiis aliis hominibus. Anima* (inqvit Hieronymus) *scientiam scripturarum & carnis vitia non amabit.* Demonstravit hoc Xenocrates deiformis in constantia rationis, qvem nobile scortum Phyrne nomine, statuam diffinivit non hominem, cum nullis valeret eum illecebris evivare. Qvemadmodum Valerius libr. IV. c. 3. plene refert. Hoc ipsum noster Origines ostendit, qvi, ne eum ab omnipotenti fœmina effœminari contingeret; utriusqve sexus medium per abnegationem exteriorum elegit. Animosum qvippe remedium, nec naturæ modo consentaneum, nec virtuti, cujus est hominem non insensibilem facere passionum, sed subortas à fomite rationes enecare mucrone: rursus mundana & pecunias parvi pendunt, qvotqvot amor affecit librorum, dicente Hieronymo ad Vigilantium ep. LIV. *Non est ejusdem hominis aureos nummos & scripturas probare.* Vnde a qvodam metrice sic dictum est:

Nulla libris erit apta manus ferrugine tincta,
Nec nummata qveunt corda vacare libris.
Nummipete cum libricolis neqveunt simul esse:
Ambos crede mihi non tenet una domus.

Nullus ergo potest Mammoni & libris servire. Vitiorum deformitas in libris maxime reprobatur, ut inde dicuntur vitia detestari, qvi libros dilexerunt perscrutari. *Dæmon*, qvi à scientia nomen habet, per librorum scientiam potissime triumphatur, cujus fraudes multipliciter flexuosæ, milleqve pernicioſi meandri per libros panduntur legentibus, ne transfigurans in angelum lucis dolis circumveniat innocentes. Divina nobis per libros reverentia revelatur, virtutes, qvibus colitur, propalantur expressius, atqve merces describitur, qvam, qvæ nec fallit, nec fallitur, veritas polli-

pollicetur. Imago ſimillima futuræ beatitudinis eſt ſacrarum contemplatio literarum, in qvibus nunc creator, nunc creatura conſpicitur ac de torrente perpetuæ jucunditatis hauritur fides, fundatur potentia literarum, ſpes librorum ſolatio confirmatur, ut per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Charitas non inflatur, ſed ædificatur per verarum literarum notitiam, imo ſuper libros ſacros conſtat luce clarius eccleſiam ſtabilitam. Delectant libri proſperitate feliciter arridente: conſolantur individue nubila fortuna terrente: pactis humanis robur attribuunt: nec feruntur ſententiæ graves ſine libris. Artes & ſcientiæ conſiſtunt in libris, qvorum emolumenta nulla mens ſufficeret enarrare, qvanti pendenda eſt mira librorum potentia, dum per eos fines tam orbis qvam temporis cernimus, & ea, qvæ non ſunt, tanqvam ea, qvæ ſunt, qvaſi in qvodam æternitatis ſpeculo contemplamur; montes ſcandimus, & abyſſorum voragines in libris perſcrutamur. Species piſcium, qvos communis aer neqvaqvam ſalubriter continet, intuemur. Codicibus fluviorum, & fontium, & diverſarum terrarum proprietates diſtinguimus. Metallorum atqve gemmarum genera & mineræ cujusqve materias de libris effodimus: herbarumqve vires, arborum, & plantarum, prolemqve totam pro lubitu cernimus Neptuni, Cereris & Plutonis. Qvod ſi nos cœlicolas viſitare delectat, ſuppeditantes Taurum, Caucaſum & Olympum, Jovis regna tranſcendimus, & ſeptem territoria planetarum funiculis & circulis emetimur. Ipſum tandem firmamentum ſupremum, ſignis, gradibus & imaginibus varietate maxima decoratum luſtramus. Ibi polum antarcticum, qvem nec oculis vidit, nec auris audivit, inſpicimus. Luminoſum iter galaxiæ, & animalibus cœleſtibus pictoratum zodiacum delectabili jucunditate miramur. Hinc per libros ad ſeparatas tranſimus ſubſtantias, & ut cognatas intelligentias in-

tellectus ſalutet, primamqve cauſam omnium, aut motorem immobilem infinitæ virtutis oculo mentis cernat, & amore inhæreat ſine fine. Ecce per libros adducti beatitudinis noſtræ mercedem attingimus, dum adhuc exiſtimus viatores. Qvid plura? Procul dubio ſicut Seneca docente octogeſima qvarta epiſtola, qvæ incipit: *Deſii jam de te eſſe ſolicitus: Ocium ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura*, ita revera à ſenſu contrario, literarum ſeu librorum negocium concludimus eſſe vitam. Rurſus per libros tam amicis qvam hoſtibus intimamus, qvæ neqvaqvam ſecure nunciis commendamus: qvoniam libro plerumqve *ad Principum thalamos ingreſſus conceditur, qvo repelleretur penitus vox autoris*, ſicut Tertullianus in principio apologetici ſui dicit. Carceribus & vinculis cuſtoditi, ademtaqve penitus corporis libertate librorum legationibus utimur ad amicos, eisqve cauſas noſtras expediendas committimus, qvo nobis fieret cauſa mortis acceſſus. Per libros præteritorum reminiſcimur, de futuris qvodammodo prophetamus, præſentia, qvæ labuntur & fluunt, ſcripturæ memoria ſtabilimus. Felix ſtudioſitas, & ſtudioſa felicitas præpotentes eunuchi, de qvo actuum octavo narratur, qvem amor propheticæ lectionis accenderat tam ardenter, qvod nec ratione itineris à lectione ceſſaret, Reginæ Candacis palatium oblivioni tradiderat, gazas, qvibus præerat, à cura cordis ſemoverat, & tam iter, qvam currum, qvo ferebatur, neglexerat: ſolus amor libri totum ſibi vendicaverat domicilium caſtitatis. Qvo diſponente mox fidei januam meruit introire. O gratioſus amor librorum, qvi gehennæ filium & alumnum Tartari per baptismalem gratiam filium fecit regni? Ceſſet jam ſtylus impotens infiniti negotii conſummare tenorem, ne videatur aggredi temere, qvod in principio fatebatur impoſſibile cuiqvam eſſe.

CAP.

CAP. XVI.

De libris novis scribendis, & antiquis reparandis.

SIcut necessarium est reipubl. pugnaturis militibus arma providere militaria, & congestas victualium copias præparare, sic ecclesiæ militanti contra paganorum & hæreticorum insultus, operæ precium constat esse librorum sanorum multitudine communire. Verum qvia omne, qvod seruit mortalibus per lapsum temporis mortalitatis dispendia patitur, necesse est vetustate tabefacta volumina innovatis successoribus instaurari, ut perpetuitas, quæ repugnat naturæ individui, concedatur speciei. Hinc est, qvod signanter dicit Ecclesiastes; *faciendi plures libros, nullus est finis.* Sicut enim librorum corpora ex contrariorum commixtione compacta suæ compositionis continuum sentiunt detrimentum, sic per prudentiam clericorum est reperire remedium, per qvod liber sacer solvens naturæ debitum hæreditarium obtineat substitutum, & simile semen sacri sacro mortuo sustineatur: verificeturque statim illud Ecclesiastici XXX: *mortuus est pater illius & qvasi non est mortuus, similem enim post se reliqvit filium.* Sunt ergo transcriptores veterum qvasi qvidam propagatores recentium filiorum, ad qvos paternum devolvatur officium, ne municipium minuatur. Sane hujusmodi transcriptores *antiquarii* nominantur, qvorum studia inter ea, qvæ complentur labore corporeo, Cassiodorus sibi placere confitetur de institutione divinarum literarum cap. 3. ita subdens: *Felix*, inquit, *scientia, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, linguas digitis aperire, salutem mortalibus tacitum dare, & contra diaboli tentationes illicitas calamo & atramento pugnare.* Hæc ille. Porro scriptoris officium Salvator exercuit, dum inclinans se

deorsum digito scribebat in terra Johannis VIII. ut nullus quantumcunq; nobilis dedignetur hoc facere, qvod sapientiam Dei Patris intuetur feciſſe. O scripturæ ſerenitas ſingularis, ad cujus fabricam inclinatur artifex orbis terræ, in cujus tremendo nomine flectitur omne genu! O venerandum artificium ſingulariter præ cunctis praxibus, qvæ hominis manu fiunt, cui pectus dominicum incurvatur humiliter, cui digitus Dei applicatur vice calami functus? Cæterum Dei filium vel araſſe, texuiſſe vel fodiſſe non legimus: nec quicqvam aliud de mechanicis decebat divinam ſapientiam humanatam niſi ſcribendo literas exarare: ut diſcat qvilibet generoſus aut ſciolus, qvod hominibus digiti tribuuntur ad ſcribendi negotium, potius qvam ad bellum. Unde librorum ſententiam approbamus, quæ clericum inertem ſcripturæ cenſuerunt qvodammodo mancum fore, cap. VI. ſupra. Scribit juſtos in libro viventium Deus ipſe. Lapideas quidem tabulas digito Dei ſcriptas Moſes accepit. *Scribat librum, qvi judicat*, Hiob proclamat. *Digitos ſcribentis in pariete, mene mene techel phares*, Balthaſar tremens vidit Dan. V. *Ego*, inqvit Jeremias, *ſcribebam in volumine atramento* Jerem. XXXVI. *Quod vides, ſcribe in libro*, Chriſtus Johanni charo ſuo præcepit Apoc. I. Sic Eſaiæ, ſic Joſuæ officium ſcriptoris injungitur, ut tantæ artis peritia futuris in poſterum commendetur. In veſtimento & in femore ſcriptum habet Rex regum & Dominus dominantium Chriſtus ipſe, ut ſine ſcriptura neqveat apparere perfectum omnipotentis regium ornamentum. Defuncti docere non deſinunt, qvi ſacræ ſcientiæ libros ſcribunt. Plus Paulus ſcribendo ſacras epiſtolas eccleſiæ profuit fabricandæ, qvam gentibus & Judæis evangelizando ſermone. Nempe per libros quotidie continuat comprehenſor, qvod olim in terra poſitus inchoavit viator. Sicque verificatur de doctoribus libros ſcribentibus

ſermo

sermo propheticus Danielis XII. *Qvi ad justitiam eruditi sunt multos, erunt qvasi stellæ in perpetuas æternitates.* Porro sollicitudinem antiqvorum, priusqvam Deus originalem mundum cataclysmo dilueret, adscribendam miraculo non naturæ catholici decrevere doctores, ut Deus tantum eis vitæ concederet, qvantum reperiendis & in libris scribendis scientiis convenirent: inter qvas astronomiæ miranda diversitas, ut experimentaliter visui subderetur, sexcentorum annorum periodum (secundum Josephum) reqvirebat: verum tamen non abnuunt, qvin terra nascentia illius temporis primitivi utilius alimentum præstarent mortalibus qvam modernis: qvo dabatur non solum hilarior corporis entelechia, sed etiam diuturnior florens ætas. Ad qvam non modicum contulit, quod virtuti vivebant omnimode, resecato superfluo voluptatis. Igitur quisquis Dei munere est ditatus juxta consilium Spiritus sancti Ecclesiastici XXXVIII *sapientiam scribe in tempore vacuitatis, ut præmium tibi cum beatis & spatium augeatur ætatis.* Cæterum si ad mundi principes divertamus sermonem. Imperatores egregios invenimus non solum artis scribendi peritia floruisse, sed & ipsius operi plurimum indulsisse. Julius Cæsar primus omnium & tempore & virtute commentarios reliqvit tam belli gallici qvam civilis a semetipso conscriptos. Item de analogia duos libros, & Anticatones totidem, & poëma qvod inscribitur *Iter* & opuscula alia multa fecit, ut tam Julius qvam Augustus cautelas scribendi literam occultarent. Nam Julius qvartam literam posuit loco primæ, & sic deinceps alphabetum expendit: Augustus vero secundam pro prima & pro secunda tertiam & ita deinceps usus fuit. Hic in Mutinensi bello in maxima mole rerum qvotidie & legisse & scripsisse traditur, ac etiam declamasse. Tiberius lyricum carmen scripsit, & poëmata qvædam græca. Claudius similiter tam græci

qvam

qvam latini sermonis peritus varios libellos fecit. Sed præ aliis & his Titus in scribendi peritia floruit, qvi cujuscunque volebat literam mutuavit facillime. Unde se fatebatur falsarium maximum, si libuisset, fieri potuisse. Hæc omnia Svetonius de vita VII Cæsarum annotavit.

CAP XVII.

De libris munde tractandis & collocandis.

NOn solum Deo præstamus obseqvium novorum librorum præparando volumina, sed & sacræ pietatis exercemus officium, si eosdem nunc illæse tractemus, nunc locis idoneis redditos illibatæ custodiæ commendemus, ut gaudeant puritate, dum habentur in manibus, & reqviescant secure, dum in suis cubilibus reconduntur. Nimirum post vestes & vascula corpori dedicata dominico, sacri libri merentur a clericis honestius contrectari, qvi toties præsumunt attingere manu fœda. Quamobrem exhortari studentes super negligentiis variis reputamus expediens, qvæ imitari faciliter semper possent, & mirabiliter libris nocent. In primis qvidem circa claudenda & aperienda volumina sit matura modestia, ut nec præcipiti festinatione solvantur, nec inspectione finita sine clausura debita dimittantur. Longe namque diligentius librum qvam calceum convenit conservari. Est enim scholarium gens perperam educata communiter, & nisi majorum regulis refrenetur, infrunitis inscitiis insolescit. Aguntur petulantia, præsumtione tumescunt; de singulis iudicant tanqvam certi, cum sint de omnibus inexperti. Videbis fortasse juvenem cervicosum, in studio segniter residentem. Et dum hyberno tempore hyemis alget, nasus irriguus frigore comprimente distillat, nec prius se dignatur emunctorio tergere, qvam subjectum librum madefecerit turpi rore.

rore. Cui utinam loco codicis corium ſubderetur ſutoris. Vnguem habet ſimo fœtente refertum, giganti ſimillimum, qvo placentis materiæ ſignat locum. Paleas diſpertitur innumeras, qvas diverſis in locis collocat evidenter, ut feſtuca reducat, qvod memoria non retentat. Hæ paleæ, qvia nec venter libri digerit, nec priusqvam eas extrahit, primo qvidem librum à ſolita junctura diſtendunt, & tandem negligenter oblivioni commiſſæ putreſcunt. Fructus & caſeum ſuper librum expanſum non veretur comedere, atqve ſcyphum hinc inde diſſolute transferre. Et qvia non habet eleemoſynarum ſacculum præparatum, in libris dimittit reliqvias fragmentorum. Garrulitate continua ſociis oblatrare non deſinit, & dum multitudinem rationum adducit à ſenſu phyſico vacuarum, librum in gremio ſubexpanſum humectat ſpargine olivarum. Qvid plura? ſtatim duplicatis cubitis reclinatur in codicem, & per breve ſtudium ſoporem invitat prolixum, ac pro reparandis rugis limbos replicat foliorum ad libri non modicum detrimentum. Jam imber abiit & receſſit, & flores apparuerunt in terra noſtra, tunc ſcholaris, qvem deſcribimus, librorum neglector potius qvam inſpector, viola, primula atqve roſa, nec non qvadrifolio, farciet librum ſuum: tunc manus aqvoſas & ſcatentes ſudore volvendis voluminibus applicabit: tunc pulverulentis undiqve chirothecis in candidam membranam impinget, & indice veteri pelle veſtito venabitur paginam lineatam: tunc ad pulicis mordentis aculeum ſacer liber objicitur, qvi tamen vix clauditur intra menſem, ſicqve pulveribus introjectis tumeſcit, qvod claudentis inſtantiæ non obedit. Sunt autem ſpecialitet cohercendi à contractatione librorum juvenes impudentes, qvi cum literarum figuras effigiare didicerint, mox pulcherrimorum voluminum, ſi copia concedatur, incipiunt fieri gloſſatores incongrui, & ubi largiorem mar-

ginem circa textum perſpexerint, monſtruoſe appariant alphabetum, vel aliud frivolum qvalecunqve, qvod imaginationi occurrit, incaſtigatus calamus protinus exarare præſumit. Ibi lariniſta, ibi ſophiſta, ibi qvilibet ſcriba indoctus, aptitudinem pennæ probat, qvod formoſiſſimis codicibus, qvoad uſum & precium, creberrime vidimus obfuiſſe. Sunt iterum fures libros enormiter detruncantes, qvi pro epiſtolarum chartis ſchedulas literales abſcindunt, litera ſola ſalva, vel finalia folia, qvæ ad libri cuſtodiam dimittuntur, ad varios uſus & abuſus aſſumunt. Qvod genus ſacrilegii ſub interminatione anathematis prohiberi deberet. Convenit autem prorſus ſcholarium honeſtati, ut qvoties ad ſtudium à reſectione reditur, præcedat omnino lotio lectionem, ne digitis ſagimine delibutis, aut ſignacula libri ſolvat, aut folia prius volvat. Puerulus autem lachrymoſus capitalium litterarum non admiretur imagines, nec manu fluida polluat pergamenum. Tangit enim illico, qvicqvid videt. Porro laici, qvi librum æqve reſpiciunt reſupine transverſum, ſicut ſerie naturali expanſum, omnium librorum communione penitus ſunt indigni. Hoc etiam clericus diſponat, ut olens ab ollis lixa cineriis librorum folia non contingat illotus, ſed qvi ingreditur ſine macula, pretioſis codicibus miniſtrabit. Conferret autem plurimum tam libris qvam ſcholaribus manu ũhoneſtarum mundicia, ſi non eſſent ſcabies & puſtulæ characteres clericales. Librorum defectibus, qvoties advertuntur, eſt citius occurrendum: qvoniam nihil grandeſcit citius qvam ſciſſum, & fractura, qvæ ad tempus negligitur, reparabitur poſtea cum uſura. De librorum armariis mundiſſime fabricandis, ubi ab omni læſione ſerventur ſecuri, Moſes mitiſſimus nos informat Deuter. XXI. *Tollite*, inqvit, *librum iſtum, & ponite eum in latere archiſœderis Domini Dei veſtri.* O locus ido-

idoneus & bibliotheca conveniens, qvæ de lignis Cethmi imputribilibus facta fuit, auroqve per totum interius & exterius circumtecta. Sed & omnem in honestatis negligentiam circa libros tractandos, suo Salvator exclusit exemplo, sicut legitur Luc. IV. Cum enim scripturam propheticam de se scriptam in libro tradito perlegisset, non prius librum ministro restituit, qvam eundem suis sacratissimis manibus plicuisset. Qvo facto studentes docentur clarissime circa librorum custodiam qvantumcunqve minima negligi non debere.

CAP. XVIII.

Autor contra suos detractores.

NIhil iniqvius in humanis perpenditur, qvam qvod ea, qvæ geruntur justissime, malignorum obliqviis pervertuntur. Et inde reportat qvis famam criminis, unde magis meruit speciem honoris. Oculo simplici perpetrantur plurima, nec sinistra dextræ se commiscet. Nullo fermento massa corrumpitur, neqve vestis ex lino lanaqve contexitur. Perversorum tamen præstigiis opus pium mendaciter transformatur in monstrum. Hæc est nimirum peccatricis animæ reprobanda conditio, qvod non solum in factis moraliter dubiis pro pejore sententiat; imo freqventer illa, qvæ speciem boni habent, neqvitiosa subversione depravat. Qvamvis enim amor librorum ex objecti natura præferat honestatem, miro tamen modo obnoxios nos efficit judiciis plurimorum, qvorum admirationibus obtrectati nunc de curiositate superflua, nunc de cupiditate in illa duntaxat materia, nunc de vanitatis apparentia, nunc de voluptatis intemperantia circa literas notabamur. Qvorum revera vituperiis non plus qvam caniculorum latratibus move-

hamur, illius ſolius teſtimonio contentati, ad qvem renes & corda pertinet perſcrutari. Cum enim voluntatis ſecretæ finalis intentio homines lateat, cordium inſpectori pernicioſæ temeritatis merentur redargui, qvi humanis actibus, qvorum non vident fontale principium, epigramma tam faciliter ſuperſcribunt ſiniſtrum. Finis enim ſe habet in operabilibus, ſicut principia in ſpeculativis, vel ſuppoſitiones in mathematicis, teſte philoſophorum principe VII. Ethic. Qvapropter ſicut ex principiorum evidentia concluſionis veritas declaratur, ita plerumqve in agibilibus ex honeſti finis intentione bonitas moralis in opere ſigillatur, ubi alias opus ipſum judicari deberet indifferens qvoad mores. Nos autem ab olim in præcordiis mentis noſtræ propoſitum geſſimus radicatum, qvatenus opportunis temporibus exſpectatis divinitus aulam qvandam in reverenda univerſitate Oxonienſi, omnium artium liberalium nutrice præcipua, in perpetuam eleemoſynam fundaremus, neceſſariisqve reditibus ditaremus numeroſis ſcholaribus occupatam noſtrorum librorum jocalibus ſuperditaremus, ut ipſi libri & ſinguli eadem communes fierent, qvantum ad uſum & ſtudium non ſolum ſcholaribus aulæ tactæ, ſed per eos omnibus univerſitatis prædictæ ſtudentibus in æternum ſecundum modum & formam, qvam ſeqvens capitulum declarabit. Qvapropter ſincerus amor ſtudii zelusqve orthodoxæ fidei ad ædificationem eccleſiæ confirmandæ pepererunt in nobis ſollicitudinem hanc ſtupendam nummicolis, ut collectos codices undecunque venales neglectis ſumtibus emeremus, & qvi venundari non debebant, tranſcribi honeſtius faceremus. Cum enim delectationes hominum ex diſpoſitione corporum cœleſtium, cui mixtorum complexio freqventer obedit, diverſimode diſtinguantur: ut hi in architectura, illi in agricultura; hi in venationi-

tionibus, illi in navigationibus: hi in bellis, illi in ludis eligant conversari: cecidit circa nostræ Mercurialis species voluptatis honestæ, qvam ex rectæ rationis arbitrio, cujus nulla sidera dominantur imperio, in honorem ordinavimus majestatis supremæ, ut unde mens nostra tranqvillitatem reperit reqviei, inde devotissime crescceret cultus Dei. Qvamobrem desinant obtrectantes sicut cœci de coloribus judicare. Vespertiliones de luce disceptare non audeant, atqve trabes gestantes in oculis propriis, alienas vestucas eruere non præsumant. Cessent commentis satyricis suggillare, qvæ nescsiunt, & occulta discutere, qvæ humanis experientiis non patescunt. Qvi nos fortassis affectu commendassent benevolo, si ferarum venatui, alearumqve lusui, dominarum applausui vacassemus.

CAP. XIX.

De ordinatione provida, qvaliter libri extraneis concedantur.

Difficile fuit semper sic homines limitare legibus honestatis, qvin astutia successorum terminos niteretur præcedentium transilire & statutas infringere regulas insolentia libertatis; qvamobrem de prudentum consilio certum modum præfiximus, per qvem ad utilitatem studentium librorum nostrorum communicationem & usum volumus devenire. In primis enim libros omnes & singulos, de qvibus catalogum fecimus specialem, concedimus & donavimus intuitu charitatis comitati scholarium in aula Oxonienſi degentium, in perpetuam eleemosynam pro anima nostra & parentum nostrorum, nec non pro anima illustrissimi regis Angliæ Eduardi III post conqvestum,

& devotiſſimæ dominæ reginæ Philippæ conſortis ejusdem, ut iidem libri omnibus & ſingulis univerſitatis dictæ villæ ſcholaribus & magiſtris tam regularibus qvam ſecularibus commodentur pro tempore, ad profectum & uſum ſtudentium, juxta modum qvem immediate ſubjungimus, qvi eſt talis: Qvique de ſcholaribus in aula præfata commorantibus aſſignentur per ejusdem aulæ magiſtrum, qvibus librorum cuſtodia deputetur, de qvibus qvinque perſonis tres & nullatenus pauciores librum vel libros ad inſpectionem & uſum duntaxat ſtudii valeant commodare: ad copiandum vero & tranſcribendum nullum librum volumus extra ſepta domus concedi. Igitur cum ſcholaris qvicunque ſecularis vel religioſus, qvos in præſenti favore ad paria judicamus, librum aliqvem commodandum petiverit, conſiderent diligenter cuſtodes, an librum talem habuerint duplicatum, & ſi ſic, commodent ei librum cautione recepta, qvæ librum traditum in valore tranſcendat judicio eorum: fiatque ſtatim tam de cautione qvam de libro commodato memorialis ſcriptura continens nomina perſonarum, qvæ librum tradunt, & illius, qvi recepit cum die & anno Domini, qvo contingit fieri commodatum. Si vero cuſtodes invenerint, qvod ille liber, qvi petitur, duplicatus non fuerit, talem librum non commodent cuicunque, niſi fuerit de comitiva ſcholarium dictæ aulæ, niſi forte ad inſpectionem infra ſepta domus vel aulæ prædictæ, ſed non ad ulterius deferendum. Scholari vero cuilibet prædictæ aulæ liber qvicunqve per tres de prædictis cuſtodibus valeat commodari, nomine tamen ſuo cum die, qvo librum recipit, primitus annotato: nec tamen ipſe poſſit librum ſibi traditum alteri commodare, niſi de aſſenſu trium de cuſtodibus ſupra dictis: & tunc deleto nomine primi, nomen ſecundi cum tempore traditionis ſcribatur. Ad

hæc

hæc omnia obſervandum cuſtodes ſinguli fidem præſtent, qvando eis cuſtodia hujusmodi deputatur. Recipientes autem librum vel libros, ibidem jurabunt, qvod eum vel eos ad alium uſum niſi ad inſpectionem vel ſtudium nullatenus applicabunt, quodque illum vel illos extra villam Oxonienſem cum ſuburbio, nec deferent, nec deferri permittent. Singulis autem annis computum reddent prædicti cuſtodes magiſtro domus & duobus, qvos ſecum duxerit de ſuis ſcholaribus aſſumendum: vel ſi eidem non vacaverit, tres deputet inſpectores alios a cuſtodibus, qvi librorum catalogum perlegentes, videant qvod omnes habeant vel in voluminibus propriis vel ſaltem per cautiones præſentes. Ad hunc etiam computum perſolvendum temporis credimus opportunius, a calendis Junii usque ad feſtum ſeqvens glorioſiſſimi martyris S. Thomæ. Hoc autem omnino adjicimus, qvod qvilibet, cui liber aliqvis fuerit commodatus, ſemel in anno librum præſentet cuſtodibus, & ſuam, ſi voluerit, videat cautionem. Porro ſi contingit fortuito per mortem, furtum, fraudem vel incuriam librum perdi, ille qvi perdiderit, vel ejusdem procurator, ſeu etiam executor precium libri ſolvat, & ejusdem recipiat cautionem. Qvod ſi qvalitercunque cuſtodibus ipſis lucrum evenerit, in nihil aliud qvam in librorum reparationem & ſubſidium convertatur.

CAP XX.

Auctor petit orationes & notabiliter docet orare ſtudentes.

TEmpus jam efflagitat terminare tractatum, qvem de amore librorum compegimus: in qvo contemporaneorum noſtrorum admirationibus de eo, qvod tantum libros

bros dileximus, rationem reddere nisi sumus. Verum qvia vix datur aliqvid operari mortalibus, qvod nullius pulvere aspergatur vanitatis, studiosum amorem, qvem ita diuturnum ad libros habuimus justificare penitus non audemus, quin fuerit forsitan nobis quandoque occasio alicujus negligentiæ venialis, qvamvis amoris materia sit honesta, & intentio regulata. Si namque cum omnia fecerimus, servos nos inutiles dicere teneamur; si Hiob sanctissimus sua opera omnia verebatur; si juxta Esaiam qvasi pannus menstruatæ, omnes sunt justitiæ nostræ: qvis de perfectione cujuscunque virtutis præsumat jactare, quin ex aliqva circumstantia valeat reprehendi, qvæ forsitan a seipsa non poterat deprehendi. Bonum enim ex integris causis, malum omnifarie, sicut Dionysius de divinis nominibus nos informat. Quamobrem in nostrarum iniqvitatum remedium, qvibus nos omnium creatorem crebrius offendisse cognoscimus, orationum suffragia petituri studentes nostros futuros dignum duximus exhortari, qvatenus sic tam nobis qvam aliis eorundem futuris benefactoribus fiant grati, qvod beneficiorum nostrorum providentiam spiritualibus retributionibus recompensent. Vivamus in eorum memoriis funerati, qvi in nostris vixerunt benevolentiis nondum nati, nostrisque nunc vivunt beneficiis sustentati. Clementiam redemtionis implorent instantiis indefessis, qvatenus negligentiis nostris parcat, peccatorum reatibus pius judex indulgeat, lapsus nostræ fragilitatis pallio pietatis operiat, & offensas qvas & pudet & pœnitet commisisse benignitate divina remittat: conservet in nobis ad sufficiens spatium pœnitendi suarum munera gratiarum, fidei firmitatem, spei sublimitatem, & ad homines latissimam charitatem: flectat superbum arbitrium ad culparum suarum lamentum, ut deploret transactas elationes vanissimas,

simas, & retractet indignationes amarissimas, ac delectationes insanissimas detestetur. Vigeat sua virtus in nobis, cum nostra defecerit, & qvi nostrum ingressum sacro baptismo consecravit gratuito, nostrum processum ad statum apostolicum sublimavit. Laxetur à nostro spiritu amor carnis: evanescat penitus metus mortis, desideret dissolvi & esse cum Christo. Et in terris solo corpore constitui cogitatione & aviditate in æterna patria conversemur. Pater misericordiarum & Deus totius consolationis filio de siliqvis revertenti benignus occurrat, drachmam denuo repertam recipiat, & in thesauros æternos per sanctos angelos transmittat. Castiget vultu terrifico exitus nostri hora spiritus tenebrarum, ne latens in limine portæ mortis Leviathan, serpens vetus, insidias improvisas calcaneo nostro paret. Cum vero ad terrendum tribunal fuerimus advocati, ut cuncta, qvæ corpore gessimus, attestante conscientia referamus. Consideret humanitas juncta Deo effusi sui sancti sanguinis precium, & advertat divinitas humana carnalis naturæ figmentum, ut ibi transeat fragilitas impunita, ubi clemens pietas cernitur infinita: & ibi respicet spiritus miseri, ubi instat judicis proprium misereri. Amplius refugium spei nostræ post Deum, virginem & reginam theotocam benedictam, nostri semper studentes salutationibus satagant frequentare devotis, ut qvi propter nostra facinora tripli ata meruimus judicem invenire turbatum, per ipsius suffragia semper grata mereamur eundem reperire placatum. Deprimat pia manus brachium æqvæ libræ, qva nostra tam parva qvam pauca merita pensabuntur, ne qvod abest, præponderet gravitas criminum, & damnandos dejiciat in abyssum. Clarissimum autem meritis Cuthbertum, cujus gregem pascendum indigni suscepimus, omnium cultu studeant venerari, devote rogantes assidue, ut suum qvidem licet indi-

gnum vicarium precibus excuſare dignetur feliciter, & qvem ſucceſſorem admiſit in terris, procuret effici confeſſorem in cœlis. Puris denique tam mentis qvam corporis precibus rogent Deum, ut ſpiritum ad imaginem Trinitatis creatum poſt præſentis miſeriæ incolatum, ad ſuum reducat primordiale prototypum, ac eidem concedat perpetuum fruibilis faciei conſpectum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.

BESSARIONIS
Patriarchæ Conſtantinopolitani & Cardinalis Thuſculani
EPISTOLA
Ad
Principem Senatumqve Venetorum miſſa ann. 1469. qva bibliothecam ſuam omnis generis libris inſtruc-tiſſimam eidem Senatui defert ac donat

Illuſtriſſimo atque invictiſſimo Principi

DN. CHRISTOPHORO MORO,

Duci & inclzto Venetorum Senatui

S.

EQvidem ſemper à tenera fere pueriliqve ætate omnem meum laborem, omnemqve operam, ſtudium, curamqve adhibui, ut, qvoscunqve poſſem, libros in omni diſciplinarum genere compararem. Propter qvod non modo plerosqve & puer & adoleſcens manu mea conſcripſi, ſed qvicqvid pecuniolæ ſeponere interim parca frugalitas potuit, in his coëmendis abſumſi. Nullam enim magis dignam atqve præclaram ſuppellectilem, nullum utiliorem præſtantioremqve theſaurum parare mihi poſſe exiſtimabam. Vocibus pleni, pleni antiqvitatis exemplis, pleni moribus, pleni legibus, pleni religione vivunt, converſantur, loqvunturqve nobiſcum. Docent nos, inſtituunt, conſolantur: resqve à memoria noſtra remotiſſimas qvaſi præſentes nobis exhibent, & ante oculos ponunt. Tanta eſt eorum poteſtas, tanta dignitas, tanta majeſtas, tantum deniqve numen, ut, niſi libri forent, rudes omnes eſſemus atqve indocti: nullam fere præteritarum rerum memoriam, nullum exemplum, nullam deniqve nec humanarum nec divinarum rerum cognitionem haberemus. Eadem una, qvæ hominum corpora contegit, etiam nomina obrueret. Qvamvis autem huic rei toto animo ſemper incubuerim, ardentiori tamen ſtudio poſt Græciæ excidium & deteſtandam Byzantii captivitatem in perqvirendis libris græcis omnes meas vires, omnem facultatem, omnem curam, omnemqve operam conſumſi. Verebar enim & vehementiſſime

tiſſime formidabam, ne cum cæteris rebus tot excellentiſſimi viri, tot ſummorum virorum ſudores atqve vigiliæ, tot lumina orbis terræ brevi tempore periclitarentur atqve perirent. Qvemadmodum etiam ſuperiori tempore tantam jacturam fecimus, ut ex ducentis viginti millibus librorum, qvæ Plutarchus refert in bibliotheca Apamæorum fuiſſe, vix mille ætate noſtra ſuperſint. Conati autem ſumus, qvantum in nobis fuit, non tam multos qvam optimos libros colligere, & ſingulorum operum ſingula volumina. Sicqve cuncta fere ſapientum græcorum opera, præſertim qvæ rara erant inventu difficiliaqve coëgimus. Cæterum cum hæc ſæpe mecum repeterem, parum deſiderio meo ſatisfeciſſe videbar, niſi pariter providerem, ut libri, qvos tanto labore & ſtudio coëgerim, me vivo ita collocarentur, ut etiam defuncto diſſipari, alienariqve non poſſent, ſed in loco aliqvo tuto ſimul ac commodo ad communem hominum tam græcorum qvam latinorum utilitatem ſervarentur. Hoc igitur cogitanti mihi, multasqve Italiæ urbes animo volventi, ſola tamen veſtra inclyta atqve ampliſſima civitas occurrit, in qva animus meus omni ex parte conqvieſceret. Primo enim non videbam, qvem locum eligere tutiorem poſſem, qvam eum, qvi æqvitate regitur, legibus tenetur, in unitate ac ſapientia gubernatur, ubi virtus continentiæ, gravitatis, juſtitiæ, fidei domicilium eſt: ubi imperium ut maximum eſt atqve ampliſſimum, ita æqvabile & moderatum, animi in conſulendo liberi, nulli libidini, nulli delicto obnoxii; prudentes imperii clavum tenent; & boni malis proponuntur, ac privatorum commodorum obliti totum corpus reipublicæ unanimi conſenſu & ſumma integritate procurant. Ex qvibus ſperandum eſt, civitatem veſtram (qvod optamus) in dies magis & vires & nomen propagaturam. Dehinc intelligebam, nullum locum à me eligi poſſe commodiorem ac noſtris

præſertim hominibus aptiorem. Cum enim in civitatem veſtram omnes fere totius orbis nationes maxime confluant, tum præcipue Græci, qvi è ſuis provinciis navigio venientes, Venetiis primum deſcendunt. Ea præterea vobiscum neceſſitudine devincti, ut ad veſtram appulſi urbem, qvaſi alterum Byzantium introire videantur. Poſt hæc qvomodo poterit hoc beneficium à nobis honeſtius locari, qvam apud eos homines, qvibus ego multis eorum in me beneficiis devinctus obſtrictusqve eſſem, & in eam civitatem, qvam mihi ſubjugata Græcia pro patria elegiſſem: & in qvam accitus à vobis atqve honorificentiſſime receptus fuiſſem. Itaqve conſcius mortalitatis meæ & ingraveſcentem jam ætatem, diverſosqve, qvibus affligimur, morbos, & cætera, qvæ evenire poſſent, conſiderans, omnes libros meos utriusqve linguæ ſacratiſſimæ Aedi B. Marci veſtræ inclytæ civitatis dono dedi atqve dedicavi: ſentiens talem me animum & Excellentiæ Veſtræ & gratitudini meæ, & qvam mihi communem eſſe voluiſtis, patriæ debuiſſe, ut vos ac liberi poſteriqve veſtri, qvi me virtute ac ſapientia veſtra multisqve in me beneficiis addictum, deditum, obſtrictumqve habetis, hæredes laborum meorum fructus uberes diuturnosqve capiatis: dein cæteri, qvi bonarum diſciplinarum ſtudioſi erunt, veſtra cauſa capiant. Qvapropter & donationem ipſam & librorum indicem, & Pontificis Maximi decretum ad veſtras Excellentias minimus, precantes Deum, ut Reipubl. veſtræ omnia bene, feliciter proſpereqve eveniant, & pacem habeat, tranqvillitatem, otium, concordiamqve perpetuam. Valeant Excellentiæ Veſtræ feliciter! Viterbi IV. No. Majas.

Beſſarion Cardinalis, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Baſilicæ B. Marci Venetiis dicavit

GABRI-

GABRIELIS NAVDAEI
Parisiensis
DISSERTATIO
DE
INSTRVENDA BIBLIOTHECA,
Ad
Illustrissimum Dominum Præsidem
DE MESME
e gallico in latinum idioma
translata
per
P. I. L. M.

Omnia, quæ magna sunt, atque admirabilia, tempus aliquod, quo primum efficerentur, habuerunt. Quintil. l. 12.

Ad

Ad Lectorem.

CUm præsens dissertatio non ex instituto, scripta sit: sed occasione cujusdam colloqvii orta, qvod ante aliqvot menses mihi contigit cum viro celeberrimo, qvi tum copiam mihi fecerat, bibliothecam suam mirifica cum voluptate lustrandi, nunqvam sane in mentem venisset, eandem e privatis scriniis in publicam lucem protrudere. At qvoniam innocenti plurium amicorum curiositati, qvi descriptam identidem desiderabant, neqve melius neqve promtius me satisfacere posse deprehendi, tandem me vinci passus sum, ut typis mandaretur; non minus ad evitandos sumtus & molestias amanuensium, qvam ex ingenito amore commodi publici, studioqve literati orbis: cui si institutio hæc ex asse satisfacere non valet, pro manuductione saltem esse poterit, meliora in hoc literarum genere molientibus; ne parte aliqva felicitatis suæ libellus iste diutius defraudetur. Qva vel maxime ratione inductus, primus intendi vires, ut glaciem, qvod ajunt, frangerem, & primas qvasi lineas ducerem in gratiam eorum, qvibus forte per otium licebit, opellam hanc nostram incudi reddere. De qvo labore si Benev. Lector mihi tantillum se debere agnoscet, humanitatem ejus magnopere habebo deprædicandam. Sin minus, hoc unice illum rogatum velim, ut tam meos, qvam typographi errores benigne excuset.

In

In primum ſtruendæ ordinatim
bibliothecæ auctorem

GABR. NAVDAEVM

Epigramma.

COmpoſuiſſe libros promtum & triviale cuique eſt:
Librorum auctores compoſuiſſe, tuum eſt.

Ejusdem luſus.

BIbliotheca licet tot ſis Naudæe librorum,
Cuſa hæc non tamen eſt bibliotheca tua.
Non etenim veluti plantam parit altera planta,
Bibliothecam aliam bibliotheca parit.
Si tamen iſta tua eſt, mihi credito, non niſi monſtrum eſt,
Cum biblothecam aliam bibliotheca parit.
At monſtrum eſſe negas, quod docta Lutetia laudat:
Ergo divinæ fabrica mentis erit.
Non dium eſt, inquis, humanâ conditum ab arte:
Dic ergo tua tu bibliotheca quid eſt?

J. C. FREY, Doct. Medic.
& Philoſophor. in Acad. Pariſ.
Decanus.

Syllabus

Præcipuorum capitum hujus tractatus.

I. *In erigendis & instruendis bibliothecis curiosi esse debemus, & quare?*

II. *Methodus, sive ratio, juxta quam bibliotheca aliqua ritè instrui potest.*

III. *Numerus librorum, quantus esse debeat in aliqua bibliotheca?*

IV. *Quales libri comparandi?*

V. *Quibus mediis comparari possint?*

VI. *Quid considerandum sit circa locum, ubi reponere libros volumus?*

VII. *De ordine librorum decenti.*

VIII. *De eorundem ornatu.*

XI. *Quis finis omnium præcipuus esse debeat in ejusmodi bibliotheca instruenda?*

De instruenda bibliotheca
Ad
Illustrissimum Dominum Præsidem
DE MESME.

† † †

Juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisqve legi, manibusqve teneri. Hor. L. 1. Epist. 19.

NVllius arrogantiæ me damnabis, Illustrissime Præses, qvod sub rei inauditæ titulo, tanqvam suspensa hedera, dissertationem hanc meam venditem, qvam Tibi eo qvo par est affectu atqve observantia consecro: testor enim hos oculos meos, in tanto ac fere infinito scriptorum numero hunc ad usqve diem vidisse me nullum, cujus ductum seqvi possemus in delectu librorum, aut qvi media suppeditaverit, illos comparandi, modumqve tradiderit, eos ita disponendi, ut in splendida & sumtuosa bibliotheca tàm commode qvàm magnificè se repræsentent.

Est qvidem in manibus consilium *Johannis Baptistæ Cardonæ* Episcopi Tortosani, de instruenda & amplificanda bibliotheca regia, dicta Escuriali: qvis vero non videt, illum nimis obiter hanc tractasse materiam, ut rem exigui momenti. Jam absit, ut talis neglectus à bono proposito absterreat eos, qvi penitius rem introspicere, majoremqve super hac lucem in alios transfundere satagunt, sperantes, se vel ob ipsam conatus difficultatem satis excusatos, atqve ab omni culpa & calumnia immunes fore.

Præterea non eſt cujus vis, hoc ſtudio feliciter defungi; non cuivis contingit hanc adire Corinthum: via moleſtiarum plena eſt. Qvam difficulter acqviritur ſuperficiaria duntaxat omnium artium & ſcientiarum cognitio? qvàm ægrè abſtrahimur à præjudiciorum tyrannide, qvæ aliorum cogitata noſtro metiri pede dictatoriè nobis imperat? de tam diverſis tot auctorum ingeniis, eorumqve meritis dextrè, ac ſine affectu judicare, hoc opus, hic labor eſt, qvi ſatis ſuperqve nos convincit, vere dici poſſe de bono bibliothecario, qvod Juſtus Lipſius de duobus aliis hominum generibus non minus aptè qvàm eleganter pronunciavit: *Conſules* in electis *fiunt quotannis, & novi Proconſules; Solus aut Rex, aut Poëta non qvotannis naſcitur.*

Sed dum ego nunc, Illuſtriſſime Domine, eo usqve audaciæ progreſſus ſum, ut Tibi has lucubrationes meas offerre non dubitaverim, non eo id factum eſſe animo velim ſentias, ac ſi meo judicio tantum tribuerem, & negotio tam arduo expediendo me parem eſſe crederem, aut philautiæ prurigine adactus, ex ingenii mei ſuppellectile illud promitterem, qvod paucis adeò datum eſt. Studium erga Te meum, qvo Tibi ſemper placere cupio, hoc erat ille ſtimulus, qvi me ſolus impulit, ut ſententiis doctorum virorum, atqve librorum notitia excellentium, in unum qvaſi faſciculum collectis, media diverſa, celeberrimis bibliothecariis multo uſu comprobata, propriæ induſtriæ & experientiæ, qvanta qvanta eſt, meæ conjungerem: qvibus adminiculis inſtructus in hoc libello communicare Tecum allaboravi præcepta & media, qvæ ritè obſervata laudabiles illos & generoſos conatus feliciter promovent.

Proinde, Domine Illuſtriſſime, iterum iterumqve rogo, velis prolixam hanc diſſertationem non niſi candido atqve ſincero in Te amori adſcribere, nec in vanæ temeritatis ſuſpicionem trahere, ac ſi mihi perſvaderem, qvod ipſe id operis

operis melius exeqvi, & pro dignitate præstare valeam, qvam qvisqvam alius. Cæterum dicam, si ita licet, qvod sentio. Qvandoquidem tibi non est animus, æqviparare bibliothecam Vaticanam, aut Ambrosianam Cardinalis Borromæi, contentus esse poteris, & in sinu gaudere de tanto librorum, tamqve selectorum numero, qvi non tantum propriæ Tuæ oblectationi, & amicorum curiositati abunde sufficit, verum etiam hanc sibi famam usqve ad posteros conservabit, qvod sit una ex optimis, ac instructissimis bibliothecis totius Galliæ: habes enim principes in qvavis facultate auctores, & ingentem aliorum copiam, qvi consuli merentur in diversis materiis specialioribus, & non ubivis obviis.

Ast si famam ex bibliothecæ gloria vis aucupari, & hoc medium ad æternam nominis Tui memoriam cum aliis conjungere, qvæ tibi qvavis occasione suppetunt, eloqventia nimirum in sermonibus, judicii soliditate, & splendidissimis functionibus publicis, qvas feliciter hactenus exercuisti; Si per omnem vitam inter varias seculi molestias & curas alcyonia agere desideras, atqve in mentibus hominum vivere cupis ac dominari, necesse est, ut qvotidie augeas & indies perfectius reddas, qvod laudabiliter cœpisti, tuamqve bibliothecam continuo incremento in hunc usqve gradum promoveas, qvi ingenio Tuo sit par; ut scilicet non habeat parem, & elegantia & præstantia, & perfectione; qvantum qvidem id fieri poterit per industriam hominum, qvi nunqvam qvicqvam faciunt sine defectu & errore; *adeo nihil est ab omni parte beatum*!

In bibliothecis instruendis curiosi esse debemus.

Cum vero, Ill^smc Dn. omnis propositi hujus difficultas in eo consistat, qvod non adeo facile in effectum illud deducereqveamus, interea tamen è re tua esse judices, manum operi admovere; ante omnia necessarium mihi videtur, priusqvam de præceptis ipsis, ad optatum finem totius instituti & quaret

collineantibus cogitemus, causas & momenta exponere, qvibus omnino proficuum esse Tibi persvadeam. nullatenus ab hoc cæpto desistere, sed strenuè id ipsum perseqvi. Nam qvo minus à natura & constitutione rei evagemur, sensus communis nobis dictitat, qvod sit opus perqvam laudabile & glorioſum, animoqve generoſiore, qvi ad immortalitatem unice aspirat, digniſſimum, si qvis ab oblivione vindicare, conservare &, velut alter Pompejus, restaurare studeat omnes illas imagines, non externi corporis, sed ingeniorum, qvibus tot illustres viri claruerunt, dum neqve tempori, neqve vigiliis parserunt, ut nobis vivida nobilioris suæ partis lineamenta relinqverent. Plinius certe junior, inter humanos gloriæ studio non postremus, ad hoc præcipuè institutum nos extimulare videtur elegantiſſimis hisce verbis, qvæ habentur in Epist. 5. *Mihi pulchrum in primis videtur non pati occidere, qvibus æternitas debetur.* Adde qvod hæc curioſa nec trivialis & vulgaris indagatio inter bona illa præsagia jure meritoqve recensseri debeat, qvorum mentionem facit Cardanus, capite de *signis eximiæ potentiæ*; cum nempe sit rara, difficilis, & magnos sumtus reqvirat, aliter fieri neqvit, qvin unicuiqve materiam præbeat, honeste & qvasi cum admiratione de illo sentiendi, qvi huic studio suam addixit operam; *Existimatio autem & opinio*, inqvit citatus auctor, *rerum humanarum reginæ sunt.* Et sane qvando haud ineptum nobis videtur, qvod Demetrius instrumenta sua bellica, vastasqve & prodigioſas machinas in pompam produxit; Alexander Magnus in suis castrametationibus gloriatus est, Reges Ægypti Pyramides suas ostentarunt, vel ipse etiam Salomo à templo suo, aliisqve rebus similibus æternitatem nominis famamqve sibi promisit; Tiberius deniqve apud Tacitum in hoc dicterio sibi multum placuit: *Cæteris mortalibus in eo stare consilia, qvid sibi conducere putent; principum diversam esse sortem, qvibus omnia ad famam dirigenda.*

lib. 3. de utilit. capienda ex adverſ.

ibid.

genda. In qvanto pretio illi ſunt habendi, qvi neutiqvam in luxu ſuperfluo, ac maximam partem ſterili deſudarunt, ſed probe judicantes, nullo honeſtiore ac certiore medio gloriam & laudem comparari poſſe apud omnes gentes, ſplendidas & magnificas extruxere bibliothecas, qvas paulopoſt uſui & utilitati publicæ conſecrarunt ? Sic ipſa dies loqvitur, qvod hoc inſtitutum neminem unqvam fefellerit, qvi modo prudenter in eo ſe gerere novit ; imo vero ſemper illud commodi exinde emerſit, ut non tantum privati ſummô cum fructu bibliothecas ſuas poſſiderent, in qvorum numero laudandos habeo Richardum de Bury, Beſſarionem, Vincentium Pinellum, Sirlettum, avum tuum piæ memoriæ, Henricum de Meſme, Nobilem illum Anglum Bodleium, beatum Dominum Præſ. Thuanum, & alios magno numero ac ordine ; ſed ut ipſi etiam gloriæ cupidiſſimi in ſubſidium illas vocarent, ad expoliendos & conſummandos labores ſuos, ſi qvid egregrii ſunt moliti ; qvemadmodum tholis utimur, ſeu umbilicis camerationum, qvi fornices non tantum firmiter conſtringunt, ſed etiam totius reliqvi ædificii ornamento & decori inſerviunt. Cui noſtro pronunciato apprime fidem conciliant exempla regum Ægypti & Pergami, Xerxis, Auguſti, Luculli, Caroli Magni, Alphonſi Arragoniæ Regis, Matthiæ Corvini, & Magni noſtri Franciſci I. qvi omnes ac ſinguli in id ſedulo incubuerunt, & ſagaciſſimos ſeſe præbuerunt (juxta innumeros alios monarchas & principes, qvi pariter his technis, & hoc ſtratagemate ſunt uſi) ut magnum librorum numerum undecunqve coacervarent, & bibliothecas exqviſitiſſimas atqve inſtructiſſimas erigerent ; non qvaſi aliunde petere neceſſum habuiſſent famam & gloriam, qvâ ſatis ſuperqve pollebant domi, inter auguſtiſſima victoriarum ſuarum trophæa : ſed qvoniam non ignorabant, qvod tales perſonas, qvales erant ipſi,

qvibus

qvibus ſola mentem animosqve perurit gloria, nihil minus deceat, qvam negligere, qvod ad ſupremum nominis inoccidui gradum ipſos attollere poteſt. Si qvis inſuper ex Seneca qværat, qvales debeant eſſe actiones talium heroum, qvi non ob alium finem nati fuiſſe videntur, qvam ut mera miracula & magnalia operentur, ita ſat ſcio, reſpondebit; *Neminem excelſi ingenii virum humilia delectant & ſordida; magnarum rerum ſpecies ad ſe vocat & allicit.* Ep. 89. Qvocirca, Illssme Domine, non videtur alienum, qvandoqvidem in cæteris actionibus tuis, qvæ omnium admirationem poſt ſe trahunt, ad ſumma graſſaris, ut etiam hac in re tam pulchra & laudabili ſupra mediocritatem aſſurgas; & qvoniam nihil eſt in Te, qvod ſit vulgare aut humile, ex eo vel maxime reliqvis virtutibus tuis ſuperaddas pretium inæſtimabile, & ultimam qvaſi coronidem, qvod bibliotheca tibi ſit præ aliis qvam plurimis perfectiſſima, & inſtructiſſima. Deniqve ſi rationes iſtæ nondum ſufficiunt, ut iis perſvadearis ad hoc conſilium amplectendum, ipſe mihi tamen perſvaſus ſum, qvam qvi perſvaſiſſimus, qvod ſola voluptas, qvam exinde hauries copioſiſſime, ſatis validum & efficax argumentum ſit, in meam ſententiam Te pertrahendi. Etenim ſi qvod in hoc mundo datur ſummum bonum, ſi qva felicitas perfecta & omnibus numeris abſoluta, meo certè judicio nihil amabilius, jucundius nihil eſſe poterit, qvam grata illa recreatio, & fructuoſa converſatio cum libris, qvam viro docto bibliotheca hujusmodi præſtat, qvi non tam ſollicitus eſt habere libros, *ut illi ſint cænationum ornamenta, qvam ut ſtudiorum inſtrumenta*: Scilicet illorum ope ſe optimo jure dicere poteſt cosmopolitam, & totius orbis incolam; per hos novit omnia, omnia cernit, nihilqve ignorat: breviter, pro ſuo arbitrio & genio in hac voluptate ſibi indulget; ſi placet, relinqvit, ſi commodum eſt ac volupe, reſumit; ſine contradictione, ſine labore & moleſtia diſcit & cognoſcit omnia exactè,

Senec. cap. 9. lib. 1. de tranqu. l. an.

Qvæ

Qvæ ſunt, qvæ fuerunt, qvæqve futura ſunt,
In terra, in mari, & in abſconditis cælorum penetralibus.

Hiſce autem rationibus in medium productis, & pluribus aliis, qvas facilius Tibi eſt mente concipere, qvam mihi verbis exprimere, nolim tribui hanc conſeqventiam, ac ſi ad ſumtus ſuperfluos & immanes iisdem te extimulem; haud enim facio cum illis, qvi credunt, aurum & argentum eſſe præcipuum bibliothecarum nervum (non æſtimantes videlicet libros, niſi pretio, qvo conſtitere) & nihil boni haberi poſſe, qvod inſana caritate ſe non commendet. Qvamvis neqve hæc ſit mea intentio, ut Tibi imponam, qvaſi absqve omni ſumtu, & aſtricta crumena collectio bonorum librorum fieri poſſet; novi enim & hic valere Plautinum illud, qvemadmodum alibi ſæpius: *Neceſſe eſt facere ſumtum, qvi qværit lucrum.* Oſtendam tibi potius in præſenti diſſertatione, qvod infinita alia dentur adhuc media, qvæ adhiberi poſſunt majori facilitate, & minori expenſarum diſpendio, ad finem illum, qvem Tibi propono, perveniendi.

II. De methodo erigendi & inſtruendi bibliothecam.

Verum enim vero inter illa, Illuſtrsme Dn. nullum ego utilius & magis neceſſarium cenſeo, qvam ſi probè ſolliciti ſumus, prius qvam rem ipſam aggredimur, de ordine & methodo, qvam velut ad amuſſim obſervare debet

Qvi cupit optatam tandem contingere metam.

Qvod duobus iterum mediis impetramus ſatis obviis, & præſentiſſimis: primum eſt, ut conſulamus eos & cum illis conferamus, qvi nos in hoc ſtudio inſtruere, & animare poſſunt viva voce, ſive ſint literati, ſolertiaqve & judicio prædiți, adeoqve hoc ipſo nomine idonei ad ſentiendum & loqvendum de re qvavis aptiſſimè; ſive tales, qvi cum laude ac feliciter in hoc negotio diu verſati ſunt, idqve majori cum induſtria, cautela & prudentia, qvam alii, tractarunt, qvales hodie ſunt Dominus Fontenæus, Halæus, du Puis, Ribier, Cordeſius, & Morellus, qvorum exempla ſecuti à ſcopo aber-

rare non poſſumus; Plinii namqve junioris ſententia firmo talo conſiſtit: *Stultiſſimum eſſet, ad imitandum non optima qvæqve ſibi proponere*; & qvantum ad Te, non dubito, qvin ex diverſitate ipſius methodi, qvam tenent, ſubinde novam lucem & cognitionem haurire poſſis, qvæ in progreſſu inſtitutum tuum non parum ſecundet, jugi inqviſitione in bonos autores, & qvicqvid eſt in qvovis eximium ac ſingulare. Alterum eſt, ut circumſpectè colligamus pauca præcepta, hinc inde è libris excerpta, qvi vel obiter, & perfunctorie hanc materiam tetigerunt, exempli gratia, è Conſilio Baptiſtæ Cordonæ, *Philobiblio* Richardi Burii, Vincentii Pinelli vita, Poſſevini libro *de cultura ingeniorum*, Lipſii *tractatu de bibliothecis*, & aliis qvam plurimis indicibus, ſyllabis, catalogis: poſtea conformemus noſtra ad bibliothecas majores & celebriores, qvæ unqvam in orbe exſtiterunt, ſiqvidem præcepto Cardani audientes eſſe volumus: *His maximè in unaqvaqve re credendum eſt, qvi ultimum deſe experimentum dederint.* Proinde neutiqvam nos pigeat laboris vel ſumtus, ad omnes catalogos deſcribendos non tantum magnarum & illuſtrium bibliothecarum, ſive ſint antiqviores ſive recentiores, publicæ ſeu privatæ, noſtrates vel exoticæ: verum etiam cimeliorum, qvæ in ſcriniis & pulpitis hucusqve latuerunt inviſa & incognita, & perpetuo qvaſi ſilentio ſepulta. Qvod eqvidem non videbitur novum, aut inſolens, ſi qvis probè conſideret qvatuor aut qvinqve rationes potiores, qvibus innixus conſilium hoc in medium protuli: prima eſt, qvia nihil ſuſcipere poſſumus ad imitationem aliarum bibliothecarum, niſi ope catalogorum, ſuper illas confectorum, ſciamus, qvid in illis contineatur. Secunda, qvia ex illis notitiam acqvirimus librorum, ſimulqve diſcimus, ubi, qvando, & in qva forma ſint impreſſi. Tertia, qvod animi ſit generoſi & erecti, deſiderio & honeſta ambitione eò contendere, ut, qvod

lib. 1. ep. 5.

lib. 3. de util. capiend. ex adverſ. cap. de contemptu

qvod alii divisim possident, ipse conjunctim, ceu oceanus omnes fluvios, qvasi absorbeat; *ut qvæ divisa beatos efficiunt, in se mixta fluant.* Qvarta, qvod amico inservire & gratificari possumus, suppeditando illi talem librum, qvi non ubivis est obvius, & comparatu difficilis; monstrando etiam & indicando illi certum locum, unde exemplar adhuc aliud nanciscí liceat, qvod ex catalogis facile nobis innotescit. Qvinta & ultima est, qvia propria industria nulli datum est, nosse tot libros, qvot opus habet; adeoqve non melius rebus nostris consultum erit, quam si judicia & vestigia eorum seqvimur, qvi in hac materia periti sunt, & longo usu edocti; sic ergo argumentemur: qvoniam hi libri sunt collecti & emti ab hoc vel illo viro, nullum est dubium, qvod pretio dignos judicaverit, ob certam aliqvam circumstantiam, nobis incognitam. Nec possum non ingenuè fateri, qvod intra spatium duorum aut trium annorum, ex qvo cum Domino de F. apud librarios verba miscere mihi contigit, illum sæpius viderim tam vetustos, detritos ac male impressos emere libros, ut ego penè in risum, omnes autem circumstantes in admirationem fuerint abrepti, donec ipse causam & circumstantias mihi detegere non est gravatus, propter qvas illos emeret; qvæ mihi adeò stringentes & congruæ visæ sunt, ut firmiter credam, illum in cognitione librorum longè peritiorem esse, deqve illis magis appositè & scitè judicare, qvam qvisqvam alius in Gallia non tantum, sed etiam in universo terrarum orbe.

III. Numerus librorum qvantus esse debeat in aliqva bibliotheca?

Hac igitur prima difficultate exposita, & è medio sublata, aggredimur illam, qvæ huic proxima est, & inqvirimus, an conveniat, aut utramqve paginam in hoc studio faciat, magnum librorum cumulum extruere, & bibliothecam suam reddere velle celebrem, si non liceat qvalitate, saltem incomparabili & prodigiosa qvantitate voluminum? Novimus enim, hanc esse multorum opinionem, qvod librorum

eadem ſit ratio, qvæ legum & ſententiarum apud Juriscon. ſultos, qvippé qvæ *pondere æſtimantur & qvalitate, non numero*; imò ſunt qvi arbitrantur, ad ſolos illos pertinere judicium de qvovis doctrinæ capite dextrè ferendum, qvi minimè omnium occupati ſunt lectione diverſorum auctorum, in qvibus illa materia fuſius excuſſa reperitur. Ita ſane videtur, egregia illa monita & præcepta Senecæ, *Paretur librorum, qvantum ſatis eſt, nihil in apparatum. Onerat diſcentem turba, non inſtruit, multoqve ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, qvam errare per multos. Qvum legere non poſſis, qvantum habeas, ſat eſt, te habere qvantum legas*; & plura his ſimilia, qvæ nobis in qvinqve vel ſex locis diverſis operum ſuorum philoſophus ille tradit, nullatenus favere aut robur addere huic opinioni, ſed potius autoritate tanti viri eam convelli. Sed ad ſcrupulum hunc penitus eximendum, noſtramqve ſententiam, ut magis probabilem, ſtabiliendam, neceſſe eſt, ut expendamus differentiam, qvæ eſt inter ſtudium alicujus privati, & honeſtam illorum ambitionem, qvi ex bibliotheca ſua ſibi famam qværunt; aut inter illos, qvi tantum ſibi ſatisfacere cupiunt, & qvi publicum bonum adjuvare & promovere nituntur. Nam certum eſt, omnes illas rationes præcedentes intendere duntaxat, & pro ſcopo unicè habere informationem illorum, qvi cum judicio, ordine ac methodo progreſſus facere allaborant in illa facultate, cui ſe addixerunt; vel potius in eos redarguendos directa eſſe, qvi doctrinam venditant, & verè literatorum ſimiæ ſunt, etiamſi non magis magnum ſuum librorum acervum aſpiciant, qvam gibboſi (his enim rex Alphonſus tales comparare ſolebat) inconditam illam molem, qvam à tergo geſtant. In qvos jure meritoqve invectus eſt Seneca locis citatis, qvod etiamnum apertius facit hiſce verbis: *Qvo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, qvarum dominus vix tota vita ſua indices perlegit?* qvorſum pertinet illud

ep. 2. lib. 4.

lib. 1. de tranqvill. cap. 9. ep. 2.

lib. 1. de tranqvill. cap. 9.

Auſonii

Ausonii epigramma, qvo facetè & lepide hoc hominum genus perstrinxit:

Emtis qvod libris tibi bibliotheca referta est,
Magnum & grammaticum te, Philomuse, putas;
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

Sed qvantum ad Te, Illustrissime Domine, qvi tanta sapientiæ fama omnium animos occupasti, & omnia melius nosti, qvam doceri qveas, qviqve omni alia voluptate te ipsum privas, ut hac unice perfruaris, qvæ in delectabili bonorum auctorum lectione Tibi posita est; Te vel maximè decet habere bibliothecam splendidiorem & ampliorem, qvam unqvam qvisqvam habuit; & qvidem ex hac ratione, ne posteritati videaris neglexisse publicum, & tuum ipsius commodum, sed potius in cunctis actionibus tuis per omnem vitam heroica illustrium virorum facta Te longè exsuperasse appareat. Qvem in finem conqvirenda esse semper statuo omnia librorum genera (sub hac tamen cautela, qvam postea indicabo) cum bibliotheca usui publico destinata, universalis esse debeat, talis autem esse neqveat, nisi contineat omnes principaliores auctores, qvi scripserunt de rebus singulis, qvarum diversitas infinita est, & qvi præcipue in omnes artes ac scientias commentati sunt, qvas innumeras esse deprehendemus, si inspiciamus *Panepistemona* Angeli Politiani, vel catalogum qvendam, paulo post in easdem exactissime confectum: ut nullus dubitem, qvin unusqvisqve ex stupenda illa librorum multitudine, qvæ in bibliothecis super decem aut duodecim scientias occurrit, facile judicare qveat, qvantus reqviratur numerus, siqvis lectorum curiositati satisfacere velit in omni scibili. Vnde non miror, si Ptolemæus rex Ægypti in eundem finem coacervavit non centum millia voluminum, uti

habet Cedrenus, non qvadringenta millia, ut inqvit Seneca, non qvingenta millia, qvemadmodum memorat Josephus, sed septingenta millia, ut unanimi consensu testantur Aulus Gellius, Ammianus Marcellinus, Sabellicus & Volaterranus; vel si Eumenes, Attali filius, collegit ducenta millia, Constantinus viginti sex millia, Sammonicus præceptor Imperatoris Gordiani junioris, sexaginta duo millia, Ephaphroditus, utut Grammaticus, prætereaqve nihil, triginta millia; si deniqve Richardus de Buri, & Nobilis ille Anglus Bodleius tantam eorum copiam sibi compararunt, ut solus singularum Bibliothecarum catalogus justum volumen efficere possit. Nec est, qvi eat inficias, à nulla re alia Bibliothecam aliqvam magis commendari posse, qvam si qvisqve in ea invenit, qvod qværit, & alibi reperire non potuit: certi enim esse debemus, nullum librum esse tam malum, aut reprobum, qvi non aliqvando ab hoc vel illo desideretur; juxta illud Satyrici:

lib. 22. lib. 1. de tranqvill. cap. 9. lib. 12. antiqv. Judaic. c. 2. lib. 6. noct. Att. c. ult. Enneade 6. lib. 7. lib. 17. Antrop. Alexand. ab Alex. l. 2. c. 30. Zonaras. Plutarch. in Sylla.

Mille hominum species, & rerum discolor usus;
Velle suum cuiqve est, nec voto vivitur uno:

Pers. Sat. V.

& lectores similes esse tribus illis convivis Horatianis, qvi dicuntur

Poscentes vario nimium diversa palato:

lib. II. ep. 2.

ut ita bibliothecæ non melius comparari possint qvam cum prato Senecæ, ubi unumqvodqve animal reperit, qvod suæ naturæ est conveniens; *Bos herbam, canis leporem, ciconia lacertum.* Præterea illud tenendum, qvod omnis homo, qvi de aliqvo libro sollicitus est, eum æstimet bonum, & hoc ipsô, qvò minus reperire potest, eo magis rarum & in pretio habendum eundem necessariò censeat; ast si post multam inqvisitionem in aliqvâ forte bibliotheca in illum inciderit, facile sibi persvadeat, possessori bibliothecæ librum istum æqvè ac sibimet ipsi probè cognitum, imò easdem ob rationes,

epist. 118.

ones, propter qvas ipſe librum tamdiu qvæſivit, ab altero emtum eſſe: qvo fit, ut magnificè ſentire occipiat non tantum de bibliotheca, verum etiam de illius domino; qvi rumor cum ad aliorum aures poſtea pervenerit, modo ſemel atqve iterum in parili caſu confirmetur, & opinio vulgi accedat, *cui magna pro bonis ſunt*, adeò profundas radices in omnium animis tandem agit, ut bibliothecæ hujusmodi poſſeſſor omnes ſumtus & curas ſuas largo cum fœnore compenſatas brevi tempore videat, cum publicè monſtratur digitis, ac dicitur, Hic eſt! Et ſi ulterius conſideremus tempora, loca, novasqve inventiones, qvivis ſaniore judicio præditus dubitare neqvit, longè facilius hodie nobis eſſe, mille comparare libros, qvam antiqvioribus, habere centum; & conſeqventer maximo id nobis fore probro, ſi patiamur nos ab illis vinci tali in re, in qva tamen adeò facile illis palmam præripere, modo velimus, poſſumus. Qvemadmodum deniqve ad honorem alicujus bibliothecæ multum confert qvalitas ſeu ipſa præſtantia librorum, eamqve ſummopere commendat apud illos, qvibus occaſio ac otium eſt, eandem luſtrandi; ita & hoc fateri neceſſum habemus, qvod ſola qvantitas & copia illuſtrem reddere qveat tam apud exteros & peregrinos, qvi in tranſitu eandem viſitant, qvam alios plures, qvibus nec tempus nec occaſio ſuppetit, eam curioſius & accuratius excutiendi; cùm hi tales è tanta librorum multitudine hanc pronam conſeqventiam deducere poſſint, qvam plurimos ſubeſſe bonos, raros, & exqviſitiſſimos. Ne vero numerum hunc infinitum indefinitum plane relinqvamus, aut curioſos ſpe concepta excidere patiamur, qvaſi nunqvam laudabile ſuum inſtitutum ipſis abſolvere, & optato fine potiri liceat; mihi ſane conſultum videtur, medicorum morem imitari, qvi pharmaca ſua in tanta doſi propinant, qvantam intrinſeca ipſorum virtus reqvirit. Dicimus ergo, qvod colligendi ſint

Senec. ep. 118.

omnes

omnes iſti libri, qvi digni ſunt, ut ipſis in aliqva bibliotheca locus concedatur, Vt autem ſciamus, qvinam ſint tales, multis artibus & cautelis opus eſt, qvæ data occaſione peti poſſunt ab illis, qvi diuturnum habitum & experientiam in cognitione librorum ſibi acqviſiverunt, adeoqve apertius & ſine omni affectu ſententiam ferre poſſunt de rebus omnibus, qvæ in ſcriptis auctorum recondita latent, cum ferè ſint infinita, & ſi dicere liceat, qvod res eſt, ex parte opinionibus vulgo receptis contraria atqve paradoxa.

IV. Qvales libri ſint comparandi?

Nihilominus haud omittam, qvod aliqvantillum lucis in hoc ſtudio ſuggerere poſſit. Eſto igitur prima regula, ut bibliothecam noſtram præcipuè inſtruamus omnibus illis autoribus, tam veteribus qvam recentioribus, qvi in arte aut ſcientia qvadam regnant, eorumqve optimas editiones paremus, vel in corpore aliqvo integro, vel in partibus, unà cum doctiſſimis & præſtantiſſimis eorum interpretibus & commentatoribus, ſecundum ſingulas facultates, illis non omnino poſthabitis, qvorum copia haud ubivis obvia eſt, & qvæ volumina hoc ipſo rariora ſunt; verbi gratia, varios codices biblicos, patres, concilia, pro fundamento theologiæ in genere: Lyram, Hugonem, Toſtatum, Salmeronem pro theologia poſitiva; Thomam Aqvinatem, Occamum, Durandum, Petrum Lombardum, Henricum Gandavum, Alexandrum Aleſium, Ægidium Romanum, Albertum Magnum, Aureolum, Burleum, Capreolum, Majorem, Vaſqvezium, Svarezium, pro theologia ſcholaſtica: Corpus juris civilis & canonici, Baldum, Bartholum, Cujacium, Alciatum, Mulinum, in ſtudio juris. Hippocratem, Galenum, Paulum Eginetam, Oribaſium, Aëtium, Trallianum, Aviçennam, Averroëm, Fernelium, in medicina: Ptolemæum, Firmicum, Haly, Cardanum, Stoflerium, Gauricium, Junctinum, in aſtrologia; Alhaſenium, Vitellium, Baconem, Aguillonium,

in

in optica ; Diophantem , Boëtium , Jordanum , Tartaglia, Siliſeum, Lucam Burgenſem, de Villa Franca, in arithmetica; Artemidorum , Albumaſarem , Syneſium , Cardanum , ad materiam de ſomniis; atqve ſic omnes reliqvos, qvibus nominatim recenſendis ſuperſedeo , nimis enim longus & faſtidioſus labor foret.

Secundo, reponamus ibi omnes veteres & recentiores alicujus momenti ſcriptores , in ſuo, qvo uſi ſunt , idiomate; Biblia & Rabbinos in lingva hebraica ; Patres in græca & latina ; Avicennam in arabica ; Bocacium , Dantem , Petrarcham in italica; nec minus optimas qvasvis eorundem verſiones latinas, gallicas , aut qvascunqve alias; & qvidem hoc poſtremum ſvadeo in gratiam multorum , qvi lingvas exoticas non callent; prius autem, qvia ſatius & pulchrius eſt, ipſos habere fontes, unde tot rivuli qvaſi illimes , ac limpidi promanant; & præterea plus nervi ac vigoris plerumqve in ſcriptis primigeniis obſervatur , qvæ in aliam linguam translata mox gratiam illam , & nativum leporem exuunt; non ſecus atqve picturæ in ſuo, qvod vocant, originali maximo pretio venire ſolent: ut taceam, qvod neceſſario ad fontes ſit recurrendum , tanqvam ad ſacram anchoram , in decidendis textibus dubiis ac locis controverſis.

Tertio , adjungendi ſunt , qvi partes ſcientiarum aut facultatum qvarumvis ex profeſſo tractarunt , qvemadmodum Bellarminus controverſias , Toletus & Navarrus caſus conſcientiæ , Veſalius anatomiam , Matthiolus hiſtoriam plantarum , Geſnerus & Aldrovandus doctrinam de animalibus , Rondeletius & Salvianus de piſcibus , Vicomercatus de meteoris &c.

Qvartum locum obtineant commentatores , qvi autorem ſeu librum aliqvem ſeparatim præ cæteris excuſſerunt, ut Pererius Geneſin , Villalpandus Ezechielem , Maldonatus IV. evangelia, Monlorius & Zabarella doctrinam ana-

lyticam, Scaliger hiſtoriam plantarum Theophraſti, Proclus & Marſilius Ficinus Platonem, Alexander & Themiſtius Ariſtotelem, Florentinus Rivault Archimedem, Theon & Campanus Euclidem, Cardanus Ptolemæum. Qvod de omnibus omnium generum libris & tractatibus accipiendum eſt, qvibus interpretes & commentatores oleum & operam impenderunt.

Proximum ab his locum teneant, qvicunqve de peculiari qvodam objecto, ſive in ſpecie, ſive in individuo, libros & tractatus conſcripſerunt, veluti Sanchez, qvi fuſius materiam *de matrimonio* ſibi exponendam ſumſit, Sanctius & Perronius de Euchariſtia, Gilbertus de magnete, Majerus *de volucri arborea*, Scortia, Vendelinus, Nugarola, de Nilo. Qvod denuo extendendum eſt ad omnes tractatus ſpeciliores in materia juridica, theologica, hiſtorica, medica, vel qvacunqve alia, cum hac tamen diſcretione, ut eorum qvi proxime ad profeſſionem noſtram accedunt, potiſſima ratio habeatur.

Dein omnes illos conqviramus, qvi cum applauſu contra hanc vel illam ſcientiam calamum ſtrinxerunt, aut eruditè ac animosè (absqve omni tamen innovandi pruritu, nec contra ſanæ rationis principia) ſe aliorum, cæteroqvin clariſſimorum virorum ſententiis oppoſuerunt. Qvo nomine haud negligendi ſunt Sextus Empiricus, Sanchez & Agrippa, qvi omnem lapidem moverunt, in evertendis cunctis ſcientiis; Picus Mirandulanus, qvi ſatis docte aſtrologos eluſit, Eugubinus, qvi in theomachorum & atheorum impietatem fulmina ſua vibravit, Moriſotus, qvi abuſum chymiæ explosit, Scaliger, qvi tanta cum ſubtilitate cum Cardano in arenam deſcendit, ut hodie in diverſis Germaniæ locis plures fere ſectatores habeat, qvam Ariſtoteles; Caſaubonus, qvi vel ipſius Baronii, magni illius Cardinalis, annales impugnare auſus eſt, Argenterius, qvi Galenum vellicavit, Thomas

mas Eraſtus, qvi ſolidè refutavit Paracelſum, Carpentarius, qvi ſtrenuè inſectatus eſt Ramum, tandemqve omnes illos, qvi ſimilem aleam ſubierunt, & qvi arcto adeò vinculo inter ſe invicem connexi ſunt, ut æqvè ineptum mihi videatur, unum absqve altero legere velle, ac litem duarum partium, altera non audita, dirimendam ſibi ſumere, aut de contrario judicium affectare ſine conſideratione ſui oppoſiti.

Neqve illos inſuper habere decet, qvi in ſcientiis aliqvid innovarunt, aut mutarunt; odi namqve, fateor, ignava illa opinionum mancipia, qvæ aliorum ingenia excellentiſſima intra carceres adeò anguſtos coarctare moliuntur, ut propriam ſuam ignorantiam tegant, & qvantillum de notitia horum autorum ſupereſt, plane ſupprimant; qvaſi vero id propter contemni mereantur tales, qvia contra veteres inſurgere, & in trutina rationis ſeqveſtræ ſuſpendere non ſunt veriti, qvicqvid ipſi hactenus per traditionem pro infallibili oraculo pandis auribus ac mentibus excipere conſveverunt. Horum ingratiis experientia teſtatur, ultra triginta aut qvadraginta autores non infimæ notæ Ariſtoteli homagium ſuum apertè denegaſſe; priusqvam Copernicus, Keplerus, & Galilæus ſub alio plane habitu ac facie aſtronomiam introduxerunt; Paracelſus, Severinus Danus, du Chesne, & Crollius medicinam reformarunt, pluresqve alii ſuper fundamento novorum principiorum varias inauditas & nunqvam prius receptas hypotheſes extruxerunt. Qvare omnino neceſſarios eſſe duco hujusmodi autores in aliqva bibliotheca, ſecundum illud;

Eſt qvoqve cunctarum novitas gratiſſima rerum:

Imò vero, ne in tam infirmo argumento unice triumphare velle videamur, profecto certiſſimum eſt, qvod cognitio horum librorum adeò ſit utilis atqve proficua illis ſaltem, qvi omnia, in qvæ incidunt, ſolerter dijudicare, inqve ſuum uſum convertere norunt, ut mille alia cogitata novasqve

ſubinde ex aliis meditationes inde hauriant; qvæ ſi vel ſemel ab ingenio docili, erecto, ac liberali, qvodqve

Nullius addictum eſt jurare in verba magiſtri,

fuerint exceptæ, hoc illi præſtant, ut promtè appoſiteqve de omnibus rebus differere ſciat; omnem admirationem, qvippe qvæ ſignum infallibile eſt imbecillioris judicii, tollunt, & habitum conciliant, de materia qvavis obvia dexterrime, prudentiſſime, ac præſentiſſime ratiocinandi, qvod vulgo literatórum penitus negatum eſt.

Conſideranda etiam venit hæc circumſtantia in delectu librorum, utrum ſint omnium primi, qvi ſuper materiam, qvam tractant, in lucem prodierunt nec ne? qvia cum eruditione hominum res ita comparata eſt, qvemadmodum cum aqva, qvæ nusqvam clarior ac purior fluit, qvam ubi proximè à ſua ſcaturigine abit: ſic omnis inventio veterum ſimplicitate ſua ſe commendat, cui facile ab illorum poſteris aliqvid addi potuit: talis erat Reuchlinus, qvi primus ſctipſit de lingua hebraica, & cabala, Budæus de græca & monetis, Bodinus de republica, Cochleus de phyſiognomia, Petrus Lombardus & S. Thomas in theologiam ſcholaſticam; his certè plus debemus, qvia plus præſtiterunt, qvam aliis multis, qvi poſt illos in hiſce talibus aliqvid tentarunt.

Præterea diſpiciendum eſt, utrum materiæ, qvas tractant, ſint triviales aut rariores, curioſæ aut leviculæ, ſpinoſæ aut faciles; cùm optimo jure de libris rarioribus & novis dici poſſit, qvod de aliis rebus non vulgaribus perhibetur:

Rara juvant; primis ſic major gratia pomis,
Hybernæ pretium ſic meruere roſæ.

Hoc itaqve præceptum probe obſervandum eſt in bibliothecarum inſtructione, ut ante alios omnes in eaſdem recipiamus ſcriptores materiarum parum cognitarum, qvæqve antea non fuere expoſitæ, niſi ſparſim, & per fragmenta;

ita

ita Licetus scripsit *de spontaneo viventium ortu*, & *de lucernis antiqvorum*, Tagliacotius de modo reparandi nasos resectos, Libavius & Goclenius de unguento magnetico. Secundo accersendi sunt omnes curiosi & non vulgares, qvales sunt libri Cardani, Pomponatii, Bruni, & qvotqvot tractant de cabala, memoria artificiali, arte Luliana, lapide philosophico, divinationibus, & qvæ sunt hujus farinæ alia: Nam etiamsi maximam partem non nisi vana & inutilia doceant, ut me judice talia scripta lapides offensionis meritò dicantur illis omnibus, qvi nimium ea rimantur, nihilominus præstò esse debent, ut habeamus, qvo non tantum firmatioribus, sed qvoqve imbecillioribus ingeniis gratificemur, & saltem illis satisfacere qveamus, qvi eos inspicere cupiunt, ut refutent. Concedatur illis ergo locus in bibliotheca, ut inter alios libros sint veluti serpentes ac viperæ inter cætera animalia, uti zizania inter triticum, uti spinæ inter rosas; & qvidem ad imitationem hujus universi, ad cujus ultimam perfectionem & complementum noxiæ & inutiles istæ, si ita dicere liceat, bestiæ inserviunt, & per omnem ipsius machinam sese diffundunt. Ex hac regula aliam ejusdem consqventiæ deducimus, juxta qvam tenemur admittere omnia opera præcipuorum hæresiarcharum, qviqve sectis illis novis, à communi nostra & ob ipsam suam sanctitatem veneranda religione abeuntibus, patrocinantur. Ita sanè videtur, cùm earum antesignani & hyperaspistæ, (ut de recentioribus tantum loqvamur) viri fuerint non contemnendæ eruditionis, & ex illorum numero, qvi seculo superiori præ cæteris nomen habuerunt, sed nescio qvo impetu, & nimia novitatis pruritigine cucullum suum abjecerunt & à vexillo ecclesiæ Romanæ facti transfugæ, Lutheri vel Calvini castra secuti sunt: adde qvod hodie ad publicum ministerium nullis inter eos pateat aditus, nisi post longum & rigorosum examen super tribus sacræ scripturæ linguis,

& præcipuis philoſophiæ atqve theologiæ capitibus. Videtur, inquam, qvod hi tales, exceptis locis controverſis, ſæpe numero præ multis aliis punctum tulerint, & in variis rebus, extra cancellos religionis poſitis, induſtriam & ingenium ſuum abunde probaverint. Cum igitur neceſſitas qvandoqve poſtulet, ut noſtri Doctores eorum fiant compotes, qvotiescunqve cenſoriam virgam in eosdem ſtringere ſecum conſtituerunt, M. de T. nulli operæ in iis colligendis parſit, qvibus & antiqvi Patres & Doctores locum conceſſerunt, qvosqve non pauci ex ordine religioſorum in bibliothecis ſuis aſſervare dignati ſunt; qvid qvod nemo piaculo ſibi ducit, poſſidere Thalmudem aut Alcoranum, etiamſi mille contra Chriſtum & noſtram fidem blasphemias evomant, longeqve pernicioſiores haberi debeant illis hæreticorum ſcriptis? cum Deus ipſe nobis concedat, vel ex inimicis noſtris utilitatem capere, qvemadmodum in pſalmis legimus: *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qvi oderunt nos.* Præterea nemini nocere poterunt, modo mens non læva ſub pectore lectoris ſedeat, qvæ ſolidis veræ religionis deſtituta fundamentis, à quovis vento ſe abripere patitur, & pro Junone nubem facillime amplexatur. Vt uno verbo dicam, intentio, qvæ omnium actionum norma eſt, easqve in qvantum bonæ ſunt vel malæ, determinat, hic certè innocentiſſima deprehenditur: proinde ſtatuo, nihil damni aut periculi ſubeſſe, ſi qvis habeat in ſua bibliotheca, (prævio tamen permiſſu eorum, penes qvos eſt in hoc negotio diſpenſandi poteſtas) doctiſſimorum qvorumvis & famoſiſſimorum hæreticorum opera; qvales fuere Lutherus, Melanchthon, Pomeranus, Bucerus, Calvinus, Beza, Danæus, Gualtherus, Hoſpinianus, Paræus, Bulengerus, Marloratus, Chemnitius, Bernhardus Ochinus, Petrus Martyr, Illyricus, Oſiander, Muſculus, Centuriatores Magdeburgici, du Jong, Mornæus, Molinæus, & plures alii ſeqvioris commatis, qvos fama obſcura recondit.

Pariter

Pariter monemus, qvod integra volumina auctorum qvi de eadem materia ſcripſerunt, in unum corpus collecta in bibliothecas neceſſario referenda ſint. Huc pertinent Thalmud, concilia, bibliotheca patrum, theſaurus criticus, ſcriptores Germanici, Turcici, Hiſpanici, Gallici, catalogus teſtium veritatis, monarchia imperii, opus magnum de balneis, autores gynæciorum, de morbo Neapolitano, rhetores antiqvi, grammatici veteres, oratores Græciæ, flores doctorum, corpus poëtarum, & omnes, qvi collectanea hujusmodi continent: primo qvidem, qvia illorum ope multo labore ſuperſedere poſſumus in inqvirendis libris qvamplurimis, oppido raris & non ubivis obviis; ſecundo, qvia multis aliis ſpatium relinqvunt, & minus in ſe occupant; tertio, qvia in uno volumine & per compendium nobis exhibent, qvod alias hinc inde non ſine moleſtia nobis petendum fuiſſet; ac deniqve, qvia ſumtus non parum levant, cum certum ſit, non tot reqviri groſſos in iis comparandis, qvot non ſufficerent taleri, ſi ſingulos ſeparatim emere vellemus, inibi contentos.

Nec minoris momenti ſubſeqvens eſt regula, qvam hactenus adductæ omnes: ſcilicet ex ingenti autorum numero, qvi vel ſcripſere olim, vel hodienum ſcribunt, ſeligendi ſunt illi, qvi inter cæteros eminent veluti aqvilæ in nubibus, & aſtra fulgentiſſima in mediis tenebris; de ingeniis illis excellentibus mihi ſermo eſt, ac verè divinis,

- - - qvorumqve ex ore profuſo
Omnis poſteritas latices in dogmata ducit;

Hi ſunt, qvi nobis eſſe poſſunt pro perfectiſſimis doctoribus atqve magiſtris in omni ſcibili, & qvorum opera dici merentur ſeminaria univerſæ ſapientiæ, & qvaſi cornua copiæ inſtructiſſima; horum non modo integris libris bibliotheca noſtra locupletanda eſt, verum etiam fragmentis, laciniis, & dicteriis extemporalibus. Qvemadmodum enim locus

& argen-

& argentum indigniſſimè perderetur in corradendis omnibus codicibus, & neſcio qvibus gregariorum auctorum qvisqviliis, ita ſane in turpiſſimæ negligentiæ notam & inexcuſabile vitium incurrerent, qvi videri volunt in optimis qvibusvis libris ſtudium ſuum ſe collocare, ſi vel unum horum, de qvibus ſupra diximus, prætermitterent, ut Eraſmum, Chiaconum, Onuphrium, Turnebum, Lipſium, Genebrardum, Antonium Auguſtinum, Caſaubonum, Salmaſium, Bodinum, Cardanum, Patricium, Scaligerum, Mercurialem, & alios, qvorum opera clauſis qvaſi oculis & ſine conſultatione prævia ſunt captanda; cùm è contrario nos Argos eſſe deceat, ne decipiamur talium librorum farragine, qvi humi ſerpunt, & adeò nihil habent, qvod demorſos ſapiat ungues, ut potius in magna ſua mole magnum malum, ac pro theſauro carbones contineant. Et qvemadmodum non nimis multos eorum habere poſſumus, qvi boni ſunt, & probe exaſciati; ita nunqvam malorum ſatis paucos habebimus, ac manifeſtè inutilium.

Præterea non omittendi ſunt loci communes, cujuscunqve ſortis dictionaria, adverſaria, variæ lectiones, florilegia ſententiarum, & alii ejusdem generis indices, qvoniam iſtorum ope dimidio labore jam perfuncti ſunt, & ampliſſimum campum de qvavis materia copioſè differendi inveniunt, qvi ſolerter ac diligenter in his ipſis verſantur: cum extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum, qvam plurimos extitiſſe, qvi tam verbis qvam ſcriptis miranda prodiderunt, nullis aliorum voluminibus adjuti, ſed horum unicè beneficio uſi: unde in proverbium abiit, qvod Calepinus, ſub cujus nomine omnes lexicographos comprehendimus, ſit meta & catillus præceptorum, atque rectorum in molendino ſcholaſtico, qvo panem lucratur; nec extra oleas vagabor, ſi de multis celeberrimis viris idem pronunciavero; novi enim qvendam inter recentiores

non

non infimi subsellii literatum, qvi ultra qvinqvaginta dictionaria habuit, qvæ assidue volvit; idem ille qvotiescunqve inciderat in aliqvam vocem difficilem ac dubiam, prout ipsi primo intuitu se offerebat in libro æqvivocorum, confestim unum è dictionariis suis adiit, & ex eo plus qvam integram paginam descripsit super marginem memorati libri, & qvidem in præsentia communis nostri amici, ad qvem ipse dicere non dubitavit, qvod si qvis forte videret has suas observationes, facile is crederet, totum se biduum iis notandis insumsisse, etsi nihil aliud fecerit, qvam omnia è charta in papyrum transscribere. Et nisi totus fallor, hujusmodi collectanea valde utilia sunt ac necessaria, qvod patet, si consideremus vitæ nostræ brevitatem, & infinitam rerum multitudinem, qvas hodie nos oportet scire, siqvidem inter doctos locum habere affectamus; interim tamen in confesso est, nemini licere omnem literarum oceanum propriis remis & phaselis emetiri: adde qvod non cuivis, imò nec qvovis tempore datum sit, suis victitare sumtibus, nec unqvam qvicqvam aliunde mutuari: qvid ergo illi peccant, qvorum industria naturam studet æmulari, &, qvicqvid ex aliis depromsit, ita pró re nata temperare novit, *ut etiam, si apparuerit,* Sen. ep. 8 *unde sumtum sit, aliud tamen esse, qvam unde sumtum est, appareat?* Mutuentur ergo, per nos licet, qvicqvid velint, ab illis, qvi in hunc finem facti esse videntur, ut mutuo darent; congerant ex istis promtuariis & horreis, huic usui destinatis, qvantum satis est: qvemadmodum qvotidie videmus, pictores & architectos excellentissima & admiranda edere opera beneficio pigmentorum & materialium, qvæ tamen ab aliis ante trita & præparata fuerunt.

Tandem & hic observandus venit aphorismus Hippocratis, qvi nos monet, dandum esse aliqvid tempori, loco, & consuetudini; scilicet qvandoqve hoc vel illud librorum genus in una regione pluris æstimatur, qvam in alia; & præ-

ſenti ſeculo inter cimelia aſſervantur, qvi olim tineis & blattis paſcendis relicti ſunt; qvamobrem ſummâ curâ illis incumbendum eſt, qvi plurimis ſunt ad palatum, aut ſaltem in tanta copia comparandi erunt, qvæ argumento ſit, nos tempori inſerviiſſe, & genios hominum ſatis exploratos habuiſſe. Et hæc eſt ratio, qvod plerumqve in bibliothecis Romæ, Neapoli & Florentiæ reperiantur multi doctrinales ſeu poſitivi, Milani & Paduæ multi juridici, in Hiſpania, itemqve Cantabrigiæ & Oxonii in Anglia, multi ſcholaſtici, in Gallicis bibliothecis multi hiſtorici & polemici; ſimilis diverſitas deprehenditur ſecundum ſeriem ſeculorum, prout hæc vel illa philoſophandi ratio ſectatores nacta eſt, uti ſchola Platonis, Ariſtotelis, turba Scholaſticorum, ſtudium linguarum & controverſiarum, qvæ ſingula certis qvaſi periodis incrementum ac decrementum habuerunt: ſic apparet, qvod ſtudium morale & politicum præſtantiſſima qvæqve ingenia hodie exerceat, cum animi humiliores in fictiones illas amatorias, (qvas vocamus *Romans*) propendent; de qvibus nihil aliud jam dicam, qvam qvod à Symlib. 10. ep. 51. macho de ſimilibus narratiunculis dictum eſt; *ſine argumento rerum loqvacitas moroſa diſplicet.*

Hiſce præceptis ac regulis communioribus fusè hactenus explicatis, nihil aliud ſupereſt, ad complementum hujus tituli de qvalitate librorum, qvam ut duo vel tria addamus axiomata, qvæ ſine dubio paradoxa prima fronte videbuntur, & plane contraria communi atqve inveteratæ multorum opinioni, qvi auctores non aliunde æſtimant, qvam ex numero & mole voluminum, deqve illorum meritis ac dignitate ex eodem fundamento judicant, ex qvo etiam res cæteras omnes deſpicere conſueverunt; ſcilicet ex antiqvitate, & ſqvalido ſitu; ſimiles hac in parte ſeni Horatiano, qvi dicitur

in arte Poët. *Laudator temporis acti,*
Præſentis cenſor, caſtigatorqve futuri.

Hæc

Hæc vana perſvaſio ubi ſemel occupavit animos tam inſano plerumqve amore ac ſtudio verſus collapſa hæc veterum rudera exagitantur, ut ne dignentur qvidem è longinqvo aſpicere librum, qvicunqve tandem ille fuerit, niſi auctor illius ſit antiqvior edentulâ matre Evandri, vel ejusdem atavis; neqve induci poſſunt ut credant, tempus bene collocari in lectione recentium, qvia ex ipſorum ſententia, ſint meri rhapſodi, compilatores, aut plagiarii, nec tantillum ſapiant eloqventiæ, doctrinæ & acuminis, qvod in veteribus deoſculantur; qvapropter ita pertinaciter hiſce adhærent, ut polypus ſcopulo, nec ſe divelli ulla ratione patiuntur ab iſtorum libris atqve doctrina, qvam nunqvam exhauriri poſſe putant, niſi omne vitæ tempus illi ruminandæ inſumſerint; unde mirum non eſt, ſi poſt tot tantosqve labores ac ſudores ſimiles exiſtant inſipido illi Marcello, qvi domi & foris gloriatus eſt, ſe octies perlegiſſe Thucydidem, aut Nonno, cujus mentionem facit Suidas, qvod decies integrum Demoſthenem abſolverit, nec tamen unqvam ſuper minima differere, multò minus cauſam dicere potuerit. Et ſi ſcapham ſcapham appellare liceat, nulla datur proclivior via ad inſulſam eruditionis oſtentationem, qvâ, qvicqvid ſanioris judicii ſupereſt, penitus exuitur, qvam ſi contemtu omnium auctorum recentium qvibusdum ex veteribus unicè litare jubemur, qvaſi vero illi ſoli eſſent cuſtodes & architriclini cupediarum, qvibus ingenia delicatiora paſci gaudent; vel qvaſi natura mater fuerit tam invida, ut in filios ſuos natu majores omnes ſuas opes profuderit, ut nihil honoris aut exiſtimationis nobis junioribus relinqveretur. Eqvidem vix crediderim, dari alios, præter hos ipſos dominos antiqvarios, qvi huic opinioni ſubſcribant, aut hujusmodi nugis delectentur, cum ante oculos videant tot inventa, heri aut nudius tertius nata, tot nova dogmata & principia, tot inſperatas, tamqve diverſas mutationes, tot libros

profunde doctos, tot clariſſimos viros, tot elegantiſſimos ingeniorum fœtus, nunqvam prius conſpectos, tot deniqve ſtupenda opera, qvæ qvotidie in lucem prodire cernimus; hæc omnia & ſingula ſatis ſuperqve teſtantur, ingenia hominum præſenti ſeculo longè perſpicaciora, politiora, & ſubtiliora eſſe, qvam antea nunqvam; ut adeo tam vere qvam confidenter de noſtris temporibus gloriari qveamus;

Sumſerunt artes hac tempeſtate decorem,
Nullaqve non melior qvam prius ipſa fuit;

aut cum Symmacho: *Habemus ſeculum virtuti amicum, qvo niſi optimus qvisque gloriam parit, hominis eſt culpa, non temporis.* Vnde concludimus, longe illum à ſcopo aberrare, qvi bibliothecam omnibus numeris abſolutam molitur, ſi in eam non transferat Piccolominæum, Zabarellam, Achillinum, Niphum, Pomponatium, Licetum, Cremoninum juxta veteres Ariſtotelis interpretes: Alciatum, Tiraqvellum, Cujacium, Molinæum, juxta codicem & digeſta; ſummam Alexandri ab Ales, & Henrici Gandavi juxta Thomam Aqvinatem; Clavium, Maurolicum, Vietam, juxta Euclidem & Archimedem; Montanum, Charondam, Verulamium, juxta Senecam & Plutarchum; Fernelium, Sylvium, Fuſthium, Cardanum, juxta Galenum & Avicennam; Eraſmum, Caſaubonum, Scaligerum, Salmaſium, juxta Varronem; Cominæum, Gvicciardinum, Sleidanum juxta Tit. Livium & Cornel. Tacitum; Arioſtum, Taſſum, Bertaſium, juxta Homerum & Virgilium, & ita longo ordine omnes recentiores celebritate nominis conſpicuos: Qvod ſi enim naſutus ille Boccalini hos atqve veteres eadem trutina penſaſſet, forte plures deprehendiſſet dignitate poſteriores inter eos, qvi ætate priores ſunt, ſuperiores vero qvam pauciſſimos.

Secun-

Secunda regula, qvæ non minus ac prima forte parum conveniens videbitur, directè oppoſita eſt illorum errori, qvi libros unicè æſtimantes ex pretio & pondere, mirifice ſibi abblandiuntur, atqve in ſinu gaudent, qvando v. g. Toſtatum habent in ſua bibliotheca, qvia hic conſtat qvatuordecim juſtis voluminibus, aut Salmeronem, qvi abſolvitur octo tomis: interim negligunt infinitos alios libellos, qvibus tamen ſæpe numero plus ſucci ac nervi ineſt, qvam inconditis illis monſtris, plerumqve ſpiritu caſſis: veriſſimè namqve ait Seneca: *Non eſt facile, inter magna non deſipere*; at qvod Plinius refert de una ex orationibus Ciceronis, *M. Tullii oratio fertur optima, qvæ maxima*, ad prodigioſa iſta & qvaſi gigantæa volumina referri neqvit: cum fere ſit impoſſibile, ut ſpiritus tam vaſto labori intentus ſemper maneat intenſus, & nunqvam remittat, nec facile caveri poſſit, ne in tanta confuſione rerum, qvas concepimus ut iterum enitamur, phantaſia obruatur, & intellectus immane qvantum turbetur; ex qvo facile colligimus, qvid è contrario de libris minuſculis ſperandum ſit, qvi nihilominus ſerias & arduas materias tractant; qvandoqvidem illorum auctores in rerum viſcera inqvirunt, & tanqvam artifices in ſua arte regnant; non hic revomunt heluones, qvò ſe prius ingurgitarunt: ruminandi, concoqvendi, digerendi tempus eſt; polita ſunt omnia & probe edolata; qvod fieri neqvit in portentoſis illis operibus, qvæ ideò maximam partem panſpermia, chaos, & abyſſus omnis confuſionis dici merentur:

6. qvæſtion. nat. cap. 18.

rudis indigeſtaqve moles,
Nec qvicqvam niſi pondus iners, congeſtaqve eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.

Ovid. 1. Metamorph.

Et hæc eſt cauſa, qvod idem conatus autoribus ſæpiſſime non eodem eventu ceſſerit; qvemadmodum magna differentia advertitur inter ſatyras Perſii & Philelphi, inter

ſcrutinium ingeniorum Huarti & Zaræ, arithmeticam Rami & Forcadelli, Machiavelli principem, & triviales aliorum politicorum de grege inſtitutiones, inter logicam Molinæi, & Vallii, inter annales Voluſii & Saluſtii hiſtoriam, inter manuale Epicteti & ſecreta moralia Loriotti, inter Fracaſtorii, & ſexcenta aliorum philoſophorum & medicorum opera: adeo verum eſt illud Thomæ Aqvinatis dicterium; *Nusqvam ars magis, qvam in minimis tota eſt*; nec vana ſunt, qvæ Cornelius Gallus de ſuis exiguis elegiis ſibi promittere ſolebat;

Nec minus eſt nobis per pauca volumina famæ,
Qvam qvos nulla ſatis bibliotheca capit.

Qvod vero in hoc caſu me adhuc magis in admirationem rapit, illud eſt, qvod hoc hominum genus negligere non erubeſcit monumenta & opuſcula qvorundam auctorum, ſparſim & ſeparatim edita, qvorum paulo poſt deſiderio flagrat ardentiſſimo, qvam primum in unum aliqvod volumen congeſta fuerunt. Ita videbis negligi, exempli cauſa, orationes Jacobi Critoni, qvia non reperiuntur, niſi fruſtatim impreſſæ, ab his ipſis, qvi tamen in ſua bibliotheca habent orationes Raymundi, Gallutii, Nigronii, Bencii, Perpiniani, & aliorum auctorum qvamplurimas, non qvia ſunt meliores, aut mellito eloqventiæ flumine largius tinctæ, qvam ſchedæ memoratæ illius doctiſſimi Scoti, ſed qvoniam certis voluminibus incluſæ ſunt. Mehercule! ſi omnes libri minuſculi prætereundi eſſent, qvid fieret de opuſculis S. Auguſtini, moralibus Plutarchi, libris Galeni? nec maxima pars in cenſum veniret ſcriptorum Eraſmi, Lipſii, Turnebi, Mizaldi, Sylvii, Calcagnini, Franciſci Pici, & multorum ſimilium auctorum; ſic etiam excludendi eſſent ultra triginta aut qvadraginta ſcriptores æqve curti ac breves in medicina & philoſophia, & qvidem ex præſtan-

ſtantiſſimis & antiqviſſimis græcis; ſed longe adhuc plures in theologia, qvia minutatim omnes ſunt editi, & per intervalla temporum typis mandati, inqve tam exiguas ſectiones diviſi, ut qvandoqve maxima illarum vix dimidium alphabeti efficiat. Jam nullus eſt, qvem lateat, multa conjungi poſſe opera bibliopegi, qvæ ſeparatim è typographeo prodierunt, & cum aliis colligari, qvæ, ſi ſola manerent, facile perderentur; qvin res ipſa loqvitur, infinitas dari materias, qvæ non niſi in ejusmodi libellis tractatæ reperiuntur; de qvibus optimo jure dici poſſe videtur, qvod Virgilius laudavit in apibus:

Ingentes animos anguſto in corpore verſant. 4. Georg.

Propterea autor ſum, ut conqvirantur in omnibus tabernis, & undecunqve protrahantur in lucem, qvoties ſe offerunt; parti autem compingantur cum aliis ejusdem auctoris, vel materiæ, & poſtea reponantur in bibliotheca: protinus omnes ingenti cum admiratione hanc induſtriam ac diligentiam prædicabunt, Æſculapio verè dignam, ſi affabre adeò atqve concinne disjecta & diſſoluta tot miſerorum Hippolytorum membra connexa eſſe viderint.

Tertium axioma, qvod primo intuitu è diametro contrarium putabis primo, præcipuè ferit opinionem eorum, qvi cæco amore & inconſulto impetu omnibus libris novis adeò inhiant, ut flocci pendeant, non dicam veteres omnes ac ſingulos, ſed illos auctores, qvi famam habuerunt, atqve per ora virum volitarunt ſex vel ſeptem abhinc ſeculis, videlicet à tempore Boëthii, Symmachi, Sidonii & Caſſiodori, usqve ad ætatem Pici, Politiani, Hermolai, Gazæ, Philelphi, Poggii & Trapezuntii, qvos inter multi ſunt philoſophi, jureconſulti, theologi, medici & aſtrologi, qvorum ſoli tantummodo characteres horriduli & Gothici nauſeam pariunt delicatoribus noſtri ſeculi ſtudioſis, neqve aliter

aliter fieri poteſt, qvin eos reſpiciant cum contemtu & averſatione auctorum ſuorum. Sed omnis cardo rei in eo vertitur, qvod hæc ipſa ſecula, vel potius ſcriptores eorundem, genio fuerint diverſiſſimo, & ſtudiis planè contrariis addicti, qvi non facile eundem animum erga ſcientias diu ſervabant, ſed tranſultoriè in hanc vel illam ſubinde involabant, in ſua tantum inconſtantia conſtantiſſimi. Vti revera apparet, ſtatim ab incunabulis religionis chriſtianæ, (ne rem altius repetamus) philoſophiam Platonicam per omnes ubiqve ſcholas regnaſſe, ipſos qvoqve ſanctos patres maximam partem fuiſſe Platonicos: Qvod eousqve duravit, donec Alexander Aphrodiſienſis Platonem de monarchico ſuo ſolio deturbavit, ut introduceret ſectam peripateticam, & glaciem frangeret interpretibus græcis & latinis, qvi explicationi textus Ariſtotelici adeo affixi incubuerunt, ut vel hodienum lambere vitrum, & pultem intactam relinqvere cogeremur, niſi ſuperveniſſent ſummuliſtæ & ſcholaſtici, duce Abelardo, & cum tanto applauſu, omniumqve communi ſuffragio, qvod antea contigerat nemini, fuiſſent recepti, ut principatum ubiqve tenerent; in cujus poſſeſſione manſerunt qvinqve vel ſex circiter ſecula; usqve dum hæreticorum invaſiones ad interpretationem ſacrarum literarum nos revocarunt, & ad lectionem biblicam patrumqve ſanctorum extimularunt, qvæ hactenus inter iſtas contentiones & diſceptationes neglecta jacebat: unde controverſiæ hodienum vigent, qvod ad theologiam attinet, & qvæſtionarii unà cum novatoribus, qvi ex novis principiis dogmata ſua extruxerunt, aut veterum ſententias reſtaurarunt, verbi gratia Empedoclis, Epicuri, Philolai, Pythagoræ & Democriti, qvantum ad philoſophiam; reliqvæ interim facultates à paribus murationibus non manſerunt exemtæ, qvarum cultoribus ſolenne ſemper fuit, prono & impotenti animo in talia novitatum præcipitia

pitia abripi, non secus ac piscis sequitur alveum, neque amplius recordari eorum, quæ semel deseruerunt, cùm potius temerarium illud poëtæ Calpurnii dictum identidem in ore habeant;

Vilia sunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & sordet quicquid spectavimus olim. Eclog. 7.

Vt hac ratione maxima pars bonorum auctorum inculta & contemta, imo prorsus incognita maneat; quando interea novi censores aut plagiarii exurgunt, eorumque locum occupant, quorum plumis cum graculo Æsopico superbiunt, & spoliis sese infarciunt. O tempora! ô mores! Quænam hæc dementia est, ne dicam insania? Sequimur & laudamus collegium Conimbricense, & Svarezium in philosophicis, & negligimus opera Alberti Magni, Niphi, Ægidii, Saxoniæ, Pomponatii, Achillini, Hervæi, Durandi, Zimaræ, Buccaferrei, & multorum aliorum, unde omnes illi grandes & decumani, quos volvimus & versamus, libri ad literam sunt transcripti. Æstimamus nostri seculi medicos, Amatum, Thrivierium, Capivaccium, Montanum, Valesium: & pudori nobis ducimus, si Hugoni Senensi, Jacobo de Forlivio, Jacobo des Parts, Gordono, Thomæ, Dino, & omnibus Avicennistis locum in bibliotheca concedamus, qui rudi quidem lingva, seculi vitio scripsere, sed fundum tamen medicinæ, judice Cardano, penetrarunt. Nostri recentiores, cum non satis virium, ingenii, constantiæque habeant in iis imitandis, solent nonnunquam illorum rationibus, sed ad hujus seculi habitum reformatis, sua incrustare; in verborum tamen plerumque pompa & superficie lingvæ hærentes

Decerpunt flores, & summa cacumina captant.

Qvid ergo juvat, quod Scaliger & Cardanus, duo luminaria magna superioris seculi, in hoc solo puncto collineant, dum uterque in laudibus Richardi Swisseti occupatus est, lib. 16. de subtil exercit. 324, 340.

cui cognomen calculatoris datum erat, qviqve ante trecentos circiter annos adhuc in vivis agebat; in cœlum prope hunc extollunt duumviri modo nominati, & incomparabilem pronnnciant? interim ſcripta ejus nullibi reperiuntur, ne qvidem in celeberrimis, & inſtructiſſimis bibliothecis! Aut qvænam veſtigia reſtant ſectatoribus Occami, Nominalium principis, ex qvibus ſpem concipere illis liceat, ſe aliqvando viſuros ejus opera, nec in æternum ea deſideraturos? qvando magnus illi Avicenna reſurget, & omnes philoſophos conſpectu ſuo ſolabitur? certè parum judicii afferre mihi videntur ad delectum & cognitionem librorum, qvi tales autores inſuper habent, qvorum gratia omnes anguli perreptandi eſſent, omnes foruli excutiendi, vel ob ipſam hanc raritatem ſuam; qvid qvod in poſterum manuſcriptorum loco nobis eſſe poterunt, qvia ſpes omnis ferme decollavit, eos unqvam ſub prelo recuſum iri.

Qvarta deniqve ac ultima obſervatio pro fine habet delectum, circa manuſcripta inſtituendum; ubi opinio illa communiter recepta, & hodiernorum criticorum auctoritate roborata, infringenda nobis venit; qva jubemur, ſupercilium tollere ad qvædam manuſcripta, ut ſunt Virgilii, Svetonii, Perſii, Terentii, & aliorum veterum; contrà dormitare, bona ipſorum pace, nobis conceditur, ad politiſſima illuſtrium virorum ſcripta, nunqvam hactenus viſa & impreſſa. Qvaſi vero de hoc indubitanter ipſis conſtet, qvod per omne ævum & usqve qvaqve ſomnia iſta & deliramenta novorum criticorum & grammaticorum amaſios ſuos ſint habitura, qvi optimam vitæ ſuæ portionem prodigunt in exſculpendis conjecturis, & corrigendis codicibus bibliothecæ Vaticanæ, mutando, alterando, ſupplendo textum hujus aut illius auctoris, cui carnificinæ decem vel duodecim homines jam ſunt immortui, utut ad magis neceſſaria progredi conſultius & convenientius fuiſſet.

iſſet. O miſeram mortalium ſortem, & commiſeratione digniſſimam! Perire ſinunt atqve putreſcere in ſcriniis qvorundam poſſeſſorum, qvi ſua bona non ſatis norunt, lucubrationes & monumenta præſtantiſſimorum virorum magno numero, qvi forte per omnem vitam ſuam multo labore & ſudore eò contenderunt, ut vel in cognitionem rerum prius abſconditarum nos deducerent, vel bono publico materiam utilem ac neceſſariam illuſtrarent. Sed qvid non valet auctoritas criticorum? & qvantum ponderis illorum exemplum habeat vel ex eo patet, qvod non obſtante faſtidio, qvod nobis movet Robortellus, & alii, ab ipſis etiam manuſcriptis, ita tamen faſcinaverit univerſum orbem literatum hæc moleſta voluptas, qvâ labyrinthos hujusmodi temerario pede pertentant, ut illi ſoli reliqvis omnibus hodie palmam præripiant ac digni cenſeantur, qvi in aliqva bibliotheca locum inveniant. (lib. de ratione corrigendi veteres auctores.)

- - Tanta eſt penuria mentis ubiqve!
In nugas tam prona via eſt! Palingen. lib. 3. Zodiac.

Cum igitur de eſſentia ſit alicujus bibliothecæ, ut manuſcriptis abundet, qvia noſtris temporibus tam cara qvam rara ſunt, exiſtimo, ſalvo tamen Tuo, Illuſtriſſime Domine, judicio, è re Tua qvàm maximè fore, ſi qvod cæpiſti, ſtrenuè perſeqvaris, Tuamqve bibliothecam inſtruas non niſi exqviſitiſſimis, & qvæ eximiam qvandam materiam ex profeſſo percoluerunt, qvalia ſunt illa, qvæ non tantum hic loci jam collegiſti, ſed etiam ab ipſa Conſtantinopoli apportari, & apud omnes illos, ubi veterum & recentium auctorum copia haberi poteſt, ſtudioſè conqviri curaſti; qvotqvot à Neandro, Cardano, Geſnero, inqve omnibus catalogis inſignium bibliothecarum nominatim expreſſi leguntur. Illis autem antigraphis librorum, qvæ jam typis edita, & qvanta qvanta ſunt, non niſi vanas & leviculas conjectu- In præfat. Gramm. græc. lib. 17. de variet.

ras continent, ſine damno carere poteris. Abſit tamen, ut omnes omnino hujuscemodi libros contemni & exterminari velim; Ptolemæi namqve exemplo edoctus ſum, in qvanto pretio ſemper habere deceat autographa, aut illa duo manuſcriptorum genera, qvæ Robortellus, qvod ad ſtudium criticum attinet, cunctis aliis antepoſuit.

lib. de ratione corrigendi veteres auctores.

Tandem coronidis loco, & qvaſi per ſaturam huic de qvalitate librorum capiti adjungo, qvod non ſufficiat, tam ratione manuſcriptorum, qvam typis traditorum librorum, obſervaſſe omnes circumſtantias ſupra dictas, & ſecundum eas delectum habuiſſe; ut ſi forte qværatur de republica Bodini, ſtatuendum ſane videtur, hunc librum eſſe dignum, qvi in bibliothecam recipiatur, qvia auctor illius cum celeberrimis ſeculi ſui viris de palma contendit, primusqve inter recentiores hanc materiam tractavit, quæ etiam in ſe maximè neceſſaria eſt, & noſtris temporibus perqvam deſiderata atqve appoſita: item, qvia hic liber omnibus notus eſt, in varias lingvas translatus, & ſingulis fere luſtris denuo recuſus. Non, inqvam, hoc ſufficit, ſed ulterius diſpiciendum eſt, an auctor alicujus libri ſit bonus, qvamvis materia, qvam tractat, ſatis trita ſit atqve vulgaris; aut contra, ſi materia paulo ſublimior & ardua ſit, qvantumvis auctor ignobilis, absqve ulla hæſitatione tales comparandi erunt; & ſic porro ad innumeros alios procedendum, qvi data occaſione ſe offerunt, etiamſi non facile ad certam aliqvam claſſem referri poſſint. Cui negotio dextrè exeqvendo aptiſſimos eſſe reor, qvi defæcatiore judicio pollent, nec temeraria & puerili hac perſvaſione trahuntur, ut non tantum ipſi deſpicentur & rejiciant ſed & alios deſpicari & rejicere doceant, qvicqvid ipſorum genio non arridet; qvaſi vero unusqvisqve teneatur ad delirantium lyram ſaltare, & illorum ſalivam pro nectare ſorbere; neqve ſit potius hominis ſapientis & prudentis officium, de omnibus

bus rebus ſentire ac loqvi planè indifferenter, & absqve ullo partium ſtudio; qvin imò judicium noſtrum ipſius rei eſſentiâ, naturâ, & uſu, unicè terminandum eſſe, conſtanter aſſevero.

V. Qvibus mediis & qva ratione hi tales comparandi?

Poſtqvam igitur, Illuſtriſſime Domine, in præcedentibus tribus capitibus oſtenſum dedi, qvænam regulæ ſint obſervandæ circa inſtructionem alicujus bibliothecæ, item qvot libri ad ejus perfectionem reqvirantur, cujus deniqve ſortis & conditionis eſſe debeant; in præſenti capite jam de mediis dicendum erit, qvibus librorum copia qvam commodiſſimè comparari qveat, & qvomodo in progreſſu hujus inſtituti, ejusqve augmentatione nos gerere oporteat. Prima autem & potiſſima cura eſto, ut libros jam partos, aut qvi ad manus noſtras qvotidie perveniunt, ſolicitè conſervare ſtudeamus, nec ullo modo patiamur unum ex illis qvovis modo corrumpi, perdi aut plane peſſumire. *Tolerabilius enim eſt, faciliusqve*, inqvit Seneca, *non acqvirere, qvam amittere; ideoqve lætiores videbis, qvos nunqvam fortuna reſpexit, qvam qvos deſeruit.* Tantum enim abeſt, ut hoc faciat ad bibliothecæ incrementum, ſi qvod multo labore nobis conſtitit ut acqvireremus, noſtra culpa & negligentia perire ſinamus, ut qvivis Bardus aut Maccus obeſis naribus facile ſubodorari qveat, hanc ipſam eſſe præſentiſſimam bibliothecarum peſtem. Certè, ſi Ovidium audimus, & qvosvis alios ſapientiſſimos,

de tranqv. cap. 8.

Non minor eſt virtus, qvam qværere, parta tueri.

Secundò, nihil omittendum eſt, qvod vel pulchrum vel utile aliqvo modo videri poteſt, ſive nobismet ipſis, ſive aliis. Cujus generis ſunt libelli, programmata, theſes, fragmenta, experimenta, & ſimilia, qvæ diligenter colligi debent, & conjungi in ſuis certis claſſibus ſecundum diverſas materias, qvæ inibi occurrunt: hac enim ratione dignitas & pondus iisdem additur,

Vt, qvæ non prosunt singula, multa juvent.

Cum è contrario plerumqve fiat, ut neglectis hujusmodi minutiis, uti qvidem videntur, vilioribus algâ, excidamus inæstimabili collectaneorum thesauro, qvæ inter cimelia bibliothecarum optimo jure qvandoqve sunt referenda.

Tertium adminiculum fundatur in ipsa praxi, qvam exercuit Richardus de Bury, episcopus Dunelmensis, & Magnus Cancellarius ac Thesaurarius Angliæ; consistit autem in eo, ut palam faciamus, & publicè profiteamur singularem nostrum in libros amorem, ac desiderium ardentissimum qvo ad erigendam bibliothecam aliqvam accendimur: qvamprimum enim hic rumor in vulgus abiit, nullum est dubium, qvin ille, qvi hoc negotium molitur, præcipuè si auctoritate valeat, & amicorum commodo credatur esse addictus, nullos non sit habiturus promtissimos, qvi cæptis suis certatim faveant, selectissimos libros, qvotqvot in manus ipsorum incidunt, ultrò conferant, ac æmula liberalitate suam aut amicorum suorum bibliothecam adaugere contendant: breviter dicam; nullus erit, qvi non manibus pedibusqve conatus tam laudabiles promovere annitatur; sed audiamus ipsum modo memoratum Richardum de Bury, qvi ad experientiam suam provocat, in subseqventibus verbis, qvæ eò libentius huc transcripsi, qvo rarior ipse liber est, & ex eorum numero, qvos incuriâ nostrâ perdidimus: *Succedentibus*, inqvit, *prosperis, Regiæ Majestatis consecuti notitiam, & in ipsius acceptati familia, facultatem suscepimus ampliorem, ubilibet visitandi pro libitu & venandi qvasi saltus qvosdam delicatissimos, tum privatas, tum communes, tum regularium tum secularium bibliothecas.* Et paulo post: *Præstabatur nobis aditus facilis, regalis favoris intuitu, ad librorum latebras libere perscrutandas; amoris qvippe nostri fama volatilis jam ubiqve percrebuit, tantumqve librorum & maximè veterum ferebamur cupiditate languescere, posse*

vero

vero qvemlibet per qvaternos facilius, qvam per pecuniam adipiſci favorem. Qvam obrem cum ſupradicti principis auctoritate ſuffulti poſſemus obeſſe & prodeſſe, proficere & officere, vehementer tam majoribus qvam puſillis, affluxerunt loco enceniorum & munerum, locoqve donorum & jocalium, cænulenti qvaterni ac decrepiti codices, noſtris tam aſpectibus qvam affectibus pretioſi: tunc nobiliſſimorum monaſteriorum aperiebantur armaria, reſerabantur ſcrinia, & ciſtulæ ſolvebantur &c. Præterea huic felicitati multum accеſſit per varia itinera, cum legationis munere defungeretur, ubi familiariſſimè uſus eſt virisqvibusvis doctiſſimis, qvorum labore & induſtria in hoc ſtudio ſuo immane qvantum profecit. Eſt tamen adhuc aliud, qvo magis perſvadeor, hanc methodum & praxin nullius ſpem fallere; nimirum novi qvendam hominem, in re nummaria, picturis, ſtatuis, lapidibus aliisqve pretioſis impenſè curioſum, qvi hac ſola ſua induſtria eorum theſaurum comparavit plus qvater millibus taleris æſtimandum, pro qvo ne qvatuor qvidem expendit. Et ſane fieri aliter non poteſt, qvin unusqvisqve qvi cultioris eſt indolis, & civilioris animi, ſemper ſit paratiſſimus ad egregios & præclaros auſus amicorum ſuorum pro viribus ſecundandos, qvousqve ſuo ipſius commodo non repugnant. Ita qvi vel habent libros, vel nummos, vel picturas, qvæ magis forte fortuna, & caſu ſibi obtigerunt, qvam qvod in proprium uſum ea convertere ament, nihil tergiverſando hæc talia ſuis amicis concedent, qvos norunt earum rerum ſtudioſiſſimos & ſagaciſſimos. Nec poſſum, qvin huic tertio monito ſuperaddam technas & ſtratagemata, qvæ in hoc negotio utiliter exerceri poſſunt à magiſtratibus, aut perſonis publicis, auctoritate ſua ſatis munitis. Qvæ tamen fuſius non explicabo, niſi nuda commemoratione illius artificii, qvo uſi ſunt Veneti in captandis nobilioribus manuſcriptis Pinelli, ſtatim poſt ejus obitum. Qvamprimum enim

enim compertum habuerunt, id agi, ut bibliotheca ipsius Paduâ transferatur Neapolim, protinus miserunt unum ex magistratu, qvi centum integras librorum sarcinas occupavit, qvas inter qvatuordecim erant, meris constantes manuscriptis, & duæ aliæ, qvæ ultra trecentos commentarios de omnibus rebus Italiæ in se continebant: Ratio illorum erat hæc; fuisse qvidem defuncto Domino Pinello permissum, habito respectu ejusdem dignitatis, studii, vitæ inculpatæ, & qvi primo loco nominandus fuisset, animi in rempublicam Venetam oppidò propensi, ut describeret ipsorum tabulas & acta, qvæ hodie archiva dicuntur; interim tamen sibi non esse commodum, ut ista monumenta & status sui arcana post mortem illius divulgari, inqve manus aliorum pervenire patiantur. At hæredes, & executores testamenti, qvippe qvi auctoritate pollebant, instando evicerunt, ut ducenti tantum commentarii remanserint, qvi in peculiari camera asservabantur, cujus hæc erat inscriptio: *Decerpta hæc, imperio senatus, è bibliotheca Pinelliana.*

Qvarta regula contrahere jubet sumtus superfluos, qvos multi profundere solent inconsultò in compactione & ornatu librorum suorum, cum satius esset, illos impendere coëmendis novis, qvi adhuc desunt, qvò minus in censuram Senecæ incurrerent, qvi facetè illos perstringit, *qvibus voluminum suorum frontes maximè placent, tituliqve*: qvid qvod ligatura librorum non nisi extrinsecum est accidens, nihil ad utilitatem ipsorum faciens, vel si abfuerit, nihil de præstantia aut dignitate eorundem derogans? & nullos videas, nisi imperitiores, qvi à forma externa pluris minorisve æstimant volumina; qvoniam non æqve cum libris res comparata est, ac plerunqve cum hominibus, ubi vestis virum facere alias creditur: adeoqve præstat, multos habere libros, more ordinario bene compactos, qvam unum aliqvod & angustum conclave, comtis, inauratis, ac superstitiosa

de tranqvill.

ſtitioſa munditie tactum refugientibus libris, velut aulæis & periſtromatis diſtinctum, qvodqve luxu & variis oculorum illecebris non bibliothecam ſed theatrum æmulatur.

Qvinta regula ipſam reſpicit emtionem librorum, & dividi poteſt in qvatuor vel qvinqve articulos, ſecundum diverſa media, modosqve circa illam obſervandos. Qvos inter non temere mihi facturus videor, ſi primum locum aſſignavero omnium facilimo, compendioſiſſimo, & maximè proficuo, qvi nempe conſiſtit in acqviſitione integræ alicujus & nondum diſtractæ bibliothecæ. Facilimam hanc appello methodum, qvia intra ſpatium unius diei nanciſci poſſumus ingentem numerum librorum doctorum & exqviſitiſſimorum, qvi aliàs per omnem vitam vix ac ne vix qvidem colligi poſſent. Compendioſiſſimam dico, qvia cum magna laboris ac temporis parſimonia conjuncta eſt, qvorum utrumqve in ſeparatim coemendis neceſſario, ſed moleſtè conſumitur. Maxime proficuam deniqve pronuncio, qvia ſi bibliothecæ, qvas comparamus, ſint eximiæ, nobis earum poſſeſſoribus, multum famæ & exiſtimationis inde accedit. Ita videmus, qvod Poſſevinus in magno pretio habuerit bibliothecam Cardinalis de Joyeuſe, qvia tres aliæ in eandem confluxerunt, qvarum una prius erat Domini Pithœi; qvodqve omnes famigeratiſſimæ bibliothecæ hac ratione incrementa ſumſerint, uti apparet ex illa S. Marci Venetiis, qvam Cardinalis Beſſarion largitione ſuæ bibliothecæ omnibus numeris abſolutam reddidit: qvid dicam de Eſcuriali Regia, qvæ inſigniter ditata eſt acceſſione ampliſſimæ bibliothecæ Hurtadi Mendozæ? de Ambroſiana Mediolani, qvæ nonaginta librorum ſarcinis uno eodemqve tempore aucta fuit è naufragio & ruina bibliothecæ Pinellianæ? de Lugduno Batava, qvæ mirum in modum accrevit, plusqvam ducentis manuſcriptis in lingvis orientalibus, à Scaligero teſtamento relictis? qvis neſcit bibliothecam Aſcanii

Columnæ, qvam Cardinalis Sirlettus poſt obitum ſua locupletavit? Vnde non vana conjectura auguror, Illuſtriſſime Domine, Tuam olim absqve dubio fore celebratiſſimam, & inter præcipuas nulli ſecundam, ſi nimirum conjuncta fuerit cum bibliotheca parentis tui, cujus fama jam omnem literatum orbem peragravit, & mirificè decantata eſt in ſcriptis, qvæ memoriæ prodiderunt clariſſimi Viri, la Croix, Fauchetus, Marſilius, Turnebus, Paſſeratius, Lambinus, & omnes pene hujus generis literarum paraſtatæ, qvi gratâ memoria nunqvam non recoluere voluptatem & eruditionem, qvam inde hauſerunt.

Proximum ab hoc primo medium mihi videtur, perreptare omnes tabernas librarias, & ſcrutari ſcrutaria, viſitare interpolatores & veteramentorios, ſi forte inter obſoletas ipſorum merces incidamus in libros compactos, vel etiam tales, qvi longo tempore crudi & nudi, & ſolo pulvere tecti in angulis delituerunt; qvos qvidem multi in librorum indagine rudes & imperiti faſtidioſe prætereunt, arbitrantes, non majorem hos tales afferre poſſe utilitatem, qvam

Ne toga cordillis, ne penula deſit olivis:

cum tamen non raro eximii libri ſe offerant, qvorum vile pretium in lucro ponendum eſt; nam ſæpe plures decem taleris hac occaſione acqviruntur, qvibus aliàs qvadraginta aut qvinqvaginta in majoribus librariorum officinis non ſufficerent; ſed, fateor, patientia cum ſolicitudine ſemper conjungenda eſt, & probe tenendum, non dici poſſe de bibliothecis, qvod neſcio qvi adulatores poëtæ de urbe noſtra dictitarunt:

Qvo primum nata eſt tempore, magna fuit.

Impoſſibile namqve eſt, tam cito extremam in hoc ſtudio contingere metam, qvod nullum unqvam finem habiturum eſſe vel Salomon ipſe prævidit; *faciendi libros non erit finis.*

Neqve

Neqve ad ſummam operis perfectionem perveniſſe putandi ſunt tam Dominus Thuanus, qvi viginti annos huic negotio inſumſit, qvam Pinellus, qvi dimidium ſeculi, & alii qvamplurimi, qvi omnem ſuam ætatem huic curæ addixerunt: cum vitæ brevitas ſpem & expectationem diu protractam plerumqve intercludat.

Sed qvoniam inſuper neceſſarium eſt, ad augmentationem & incrementum talis ſolitariæ bibliothecæ, qvam pro initio alicujus majoris nobis comparavimus, ut providentiſſimè illam inſtruamus omnibus libris novis, qvi alicujus momenti videri poſſunt, & qvotqvot per univerſam Europam in lucem prodeunt, ipſe etiam Pinellus & alii hunc in finem commercium literarium cum innumeris amicis extraneis & bibliopolis ſtrenue coluerunt; idem faciendum eſſe ſvadeo, aut in hujus defectu conſultum reor, eligere ſaltem duos vel tres bibliopolas, divites, & longo rerum uſu edoctos, qvi propria praxi & crebris itineribus ſingularem peritiam nacti ſuppeditare nobis poterunt, qvicqvid novi & præclari hinc inde in orbe naſcitur, & ſedulo inveſtigare libros, qvos in catalogis obſervavimus, & de qvibus cum illis agimus. Aliter ſe res habet cum vetuſtis libris, qvos facilius adipiſci vix licet, qvam ſi apud omnes librarios indiſcriminatim eos qværamus, in qvorum manus per varios caſus longe lateqve diſperſi tandem inciderunt.

Abſit autem, ut hanc parſimoniam hactenus commendatam eò usqve extendi velim, ac ſi nunqvam liceat, aut neceſſe ſit, hujus oeconomiæ limites transgredi, & extraordinario pretio qvosdam libros emere, qvi adeo rari ſunt, ut vix è manibus illorum, qvi eos norunt, extorqveri poſſint, qvam hoc ſolo ſtratagemate, qvo ſpe lucri amplioris ineſcantur. Et hic tamen moderatio denuo adhibenda eſt, & probe conſiderandum, qvod bibliothecarum nullus

ſit uſus & honor, niſi in qvantum ſerviunt utilitati privatæ aut publicæ: qvapropter negligenda ſunt omnia volumina & manuſcripta, qvæ unicè æſtimantur ex antiqvitate ſua, figuris, picturis, compactione, aliisqve futilibus accidentibus; qvales ſunt Froſſardus, qvi nuperrime in nonnullis bibliopoliis licebat trecentis taleris; Bocacius de nobilibus infortunatis, qvi centum taleris proſtabat, Miſſale & Biblia Gvinarti, Horæ, qvæ omni pretio ſæpe cariora ſunt habita propter ſuas figuras, &, qvas vocant, viticulas; Titus Livius, & alii hiſtorici manuſcripti atqve illuminati, libri de rebus Chinenſibus & Japonenſibus, qviqve ſunt exarati in pergamenis, colorata papyro, aut goſſypio tenuiſſimo, & magnis marginalibus, aliiqve plures ejusdem farinæ. Impendamus potius hos grandes ſumtus coëmendis voluminibus, qvæ magis conducunt noſtræ bibliothecæ, qvam omnia & ſingula ante memorata, aut illis ſimilia: qvippe qvæ nunqvam tales procos invenient, qvalis erat Ptolemæus Philadelphus, qvi pro Euripidis operibus qvindecim talenta expendere non dubitavit; Tarqvinius, qvi tres libros Sibyllinos tanto pretio emit, qvo omnes novem acqvirere potuiſſet; Ariſtoteles, qvi ſeptuaginta duo millia ſeſtertiûm dedit pro operibus Speuſippi; Plato, qvi mille denarios operibus Philolai impendit; Beſſarion, qvi triginta mille taleros collocavit in codicibus græcis; Hurtadus de Mendoza, qvi magnam navim ſimilibus monumentis onuſtam ex oriente advectari curavit; Picus Mirandulanus, qvi ſeptem millia imperialium in manuſcripta hebraica, chaldaica & hujus generis alia inſumſit; & ut reliqvos librorum heluones ſicco pede tranſeam, unum adhuc addo Galliæ regem, qvi omnem ſuam ſupellectilem auream & argenteam in depoſito reliqvit, ut nanciſceretur apographum alicujus libri, ex bibliotheca medicorum noſtratium, uti abunde teſtantur veteres annales & documenta hujus Facultatis.

Præ-


image
not
available

modo illis obtigerint talia, qvæ digna ſunt aſſervatu. Nec deſunt exempla alia, qvæ nobis hanc ſagacitatem commendant: novimus enim, qvod Poggius invenerit Qvintilianum ſub menſa cujusdam ſalſamentarii, cum in concilio Conſtantienſi ageret; ſic & Papirius Maſſonius incidit in Agobardum apud bibliopegum qvendam, qvi jamjam dorſa librorum eò conveſtire volebat; pariter Aſconius ſimili fato ad manus noſtras pervenit. Cum vero medium hocce ſit æque extraordinarium, quam ardor ille in ſtudio bibliothecario, qui apud eos, quibus hoc medio uti placet, ſe exerit, conſilium hoc arbitrio cujusvis relinquere malo, quam pro regula generali & neceſſaria illud venditare.

VI. Quid conſiderandum ſit circa locum, ubi libros reponere volumus?

Hæc conſideratio loci & ſitus, qvi erigendæ bibliothecæ conveniens eſt, disquiſitionem ſane mereret æquè prolixam, quam quæ in præcedentibus inſtituta fuit, dummodo præcepta, quæ hic tradi poſſunt, æquè facile in effectum deducere liceret, ac illa ſuperius allata & explicata. Sed quoniam in ſolos illos cadit, qui ædificia peculiaria huic fini deſtinata à fundamento extruere ſecum conſtituerunt, ut omnes regulas & circumſtantias architectonicas ad amuſſim obſervare poſſint, multi vero ex privatis accommodare ſeſe coguntur opportunitati domiciliorum ſuorum, & contenti eſſe, ſi bibliothecam ſuam in loco, quantum fieri poteſt, præ cæteris minus inhabili diſponere ſibi concedatur; ſuperfluum quaſi videtur, hic certas leges præſcribere velle: utque verum fatear, ego credo, hanc ſolam eſſe rationem, quæ omnes architectos movit, ut nil quicquam addiderint obſervationibus, à Vitruvio traditis. Verum enim vero ne conſilium noſtrum hac in parte mancum plane & mutilum relinquatur, paucis mentem meam exponam, ut unusquisque pro ratione ſui ſtatus aut conditionis habeat, quod ſequatur, & quousque ſibi placuerit, amplectatur.

Quan-

Quantum igitur ad ſitum & locum attinet, qui ut bibliothecæ conveniens deligendus eſt, exiſtimo, tritum hunc verſiculum,

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt,

nobis documento eſſe poſſe, ut diſpiciamus partem domus ab omni ſtrepitu non exterorum duntaxat, ſed etiam domeſticorum quam remotiſſimam, & maximè diſſitam à platea, culina, cænaculo familiæ, locisque ſimilibus; contra ſi occaſio ita ferat, erigamus illam inter atrium aliquod patens, & hortum amœnum, ut aura liberiore gaudeat, minus impeditum & gratum proſpectum habeat, aërem purum hauriat, nec paludibus, latrinis, aut ſterquiliniis infectum; ita denique in omnibus comparata ſit, ut nec ſibi nec aliis manifeſtum tædium aut moleſtiam contrahat.

Sed ut fine noſtro majori cum delectatione & minori cum labore potiamur, ſemper expedit illam transferre in medias ædium contignationes, ne terræ frigiditas ſitum ingeneret, qui eſt ſpecies alicujus certæ putredinis, ex improviſo libros infeſtantis; granaria vero & cameræ ſuperiores impediunt, quo minus omnes aëris injuriæ vehementer adeò ingruant, quibus illa pars domus, quæ immediatè ſub tecto eſt, plerumque vexatur, pluvia ſcilicet, nive, & nimio ſolis æſtu. Quod ſi non ſemper exactè obſervare licet, cura ſaltem habenda eſt, ut ejusmodi conclave in quatuor aut quinque graduum altitudinem aſſurgat, quem admodum id deprehendi in bibliotheca Ambroſiana Mediolani; qui gradus, quo eminentiores ſunt, eò magis ſunt commendabiles, tam propter decorem, quam quia ſupradictis incommodis medentur: ſin locus natura ſua ſit humidus & male affectus, recurrendum eſt ad ſtoreas & aulæa, quibus muri ſeu parietes veſtiendi ſunt, itemque ad caminos, quibus non niſi arida ligna, quæque parum fumant, imponi debent,

debent, ad calefaciendum & exſiccandum conclave tempore hyberno, aliisque diebus, quotiescunque tempeſtas humidior regnat.

Verum hæ omnes difficultates & circumſtantiæ levioris momenti eſſe videntur, quam quæ obſervandæ veniunt circa lumen & feneſtras alicujus bibliothecæ: non modo quoniam neceſſarium illius requiſitum eſt, ut usque ad extremos angulos ſuos ſufficienti lumine ſit inſtructa, ſed etiam propter diverſam naturam ventorum, qui undecunque difflare & permeare ſolent, totidemque diſpares effectus producunt, quotuplices eorum ſunt proprietates, imò & loca, per quæ tranſeunt. Quam in rem duo præcipuè monenda duxi: primum eſt, ut feneſtræ bibliothecarum, (ſiquidem utrinque murus fuerit perfractus) neutiquam è diametro ſibi opponantur, exceptis illis, per quas in menſam transfunditur lumen; hoc enim medio cavetur, ne radii ſolares foris evaneſcant, aut ſine ulla refractione tranſiliant; atque ſic ipſum conclave multum lucidius manet atque ſerenius. Alterũ eſt, ut præcipuæ aperturæ, feneſtræ & januæ verſus orientem ſpectent; ita namque lumen matutinum bibliothecam noſtram citius illuſtrabit, & venti ex hac plaga ſurgentes optime nobis inſervient; ſunt enim calidi & ſicci per naturam ſuam, adeoque aërem mirificè temperant, ſenſus roborant, humores extenuant, ſpiritus expurgant, valetudinem conſervant integram, adverſam corrigunt, uno verbo dicam, ſaluberrimi ſunt & perquam ſalutares: Cum è contrario occidentales ſint moleſtiores, & nocentiores; meridionales autem omnium infeſtiſſimi, calidi enim & humidi omnibus rebus facile putredinem inducunt, aërem reddunt craſſum, vermes nutriunt & generant, fomenta morbis & pabulum præbent, & ad novas indies infirmitates corpus noſtrum diſponunt: quid quod ipſi Hippocrati dicantur *Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput gravantes, pigri,*

ſect. III. aph. 5.

pigri, *diſſolventes*; replent enim caput certis humoribus & vaporibus, qui ſpiritus conſpiſſant, nervos relaxant, intellectum obturant, ſenſus obfuſcant, ſegnes denique ac pene ineptos nos faciunt ad omnes officii partes ſubeundas. Proinde in defectu orientalium captandi ſunt ſeptentrionales, qui ſuis qualitatibus frigidis & ſiccis nullos humores gignunt, librosque & chartas optimè conſervant.

VII. De ordine librorum decenti.

Septimum caput, quod præcedentibus neceſſariò annectendum videtur, agit de ordine & diſpoſitione librorum in bibliothecis: quis eſt enim qui neget, ſine illo omne noſtrum ſtudium eſſe vanum, atque inutile? quandoquidem libri non niſi hunc in finem ibi colliguntur & aſſervantur, ut commodo noſtro inſerviant, quotiescunque occaſio poſtulat. Hoc autem eſt impoſſibile impetratu, niſi ordinentur ac diſponantur ſecundum ſeriem materiarum, aut alio quovis modo, cujus adminiculo illos facile, ac è veſtigio, quod ajunt, reperire queamus. Addo & hoc, & conſtanter aſſevero, talem librorum acervum, quantus quantus ille ſit, etiamſi quinquaginta millibus voluminum conſtiterit, ne bibliothecæ quidem nomen mereri, non magis certè ac colluvies triginta mille virorum exercitus dici meretur, ſi non in certas turmas & cohortes redigantur ductu ſuorum præfectorum & centurionum: aut ingens cumulus lignorum & lapidum pro extruendo palatio aut domicilio congeſtus; ſi non juſto & concinno ordine ſecundum regulas artis digeratur, ut inde perfectum & conſummatum ſurgat ædificium. Modò conſideremus ipſam naturam, *quæ ſane nihil unquam ſine ordine meditata eſt, vel effecit*; annon illa gubernat, ſuſtentat, & conſervat hoc unicô medio res infinitas ac inter ſe diverſiſſimas, quibus in hac vita carere non poſſumus? quivis etiam facile perſpiciet, quod, ſi ingenium noſtrum paſcere cupiamus, neceſſarium ſit, ut omnia objecta, circa quæ meditando verſari conſtituimus, nec minus inſtrumenta, Ariſtot. 8. Polit.

quibus aliquid efficere volumus, ita debeant esse disposita, ut omni momento, & quandocunque libuerit, unum ab altero discernere queamus, & ad genium nostrum seligere & separare, sine ullo labore, molestia, aut confusione. Quod vero, quantum attinet ad libros, non satis feliciter procedet, si quis sequi velit methodum centum abacorum, quam subministrat la Croix du Maine sub finem suæ bibliothecæ Gallicæ, aut somnia, quæ Julius Camillus venditat in idea sui theatri; & multo minus, siquis adhærere velit triplici divisioni, quam Johannes Mabun effinxit ex hisce verbis Davidicis, *disciplinam, bonitatem, & scientiam doce me*, juxta quæ omnes libros in tres classes & capita præcipua distribuere conatus est, quorum illud moralia, istud theoretica, hoc ascetica contineret. Præter enim quod anguilla nimium pressa è manu elabitur, nec non memoria artificialis corrumpit & perdit naturalem, multisque in rebus sæpe numero non pervenitur ad finem, quia omnia ad vivum resecare ac nodum in scirpo quærere voluimus, nimiis cautelis superstitiosè addicti; in confesso est, ingenium ægre ac difficulter assvescere huic methodo, quam si penitus excutiamus, nihil aliud nobis promitti deprehendemus, quam æternam memoriæ carnificinam, inter spinas & vanissimas tricas chymericarum subtilitatum; tantum abest, ut assequi per illam aut sperare liceat, quod inquit Cicero; *ordo est maxime, qui memoriæ lumen affert.* Eapropter nullius æstimo talem methodum inextricabilem & labyrinthæam, nec pluris facio, quam auctorem, qui non vult intelligi: illam autem omnium optimam & tutissimam esse statuo, quæ est facilima, planissima, minus affectata, & magis usitata; scilicet quæ sequitur Facultates, Theologiam, Medicinam, Jurisprudentiam, Historiam, Philosophiam, Mathematicam, humaniora & cætera studiorum genera, quæ singula denuo subdividenda sunt secundum suas partes, quarum

2, de Orat.

quarum cognitione mediocriter ſaltem imbutus eſſe debet bibliothecarius: ut in Theologia, exempli gratia, primo loco ponenda ſunt omnia volumina biblica juxta ordinem linguarum; proximè concilia, ſynodi, decreta, canones, & omnigenæ conſtitutiones eccleſiaſticæ, quippe quæ apud nos, ut principium fidei ſecundarium, receptæ ſunt: poſtea patres græci & latini, dein commentatores, ſcholaſtici, doctores mixti, hiſtorici, ac ultimo loco hæretici. In Philoſophia primas teneat Trismegiſtus, ut omnium antiquiſſimus, ſecundas Plato, Ariſtoteles, Raymundus Lullius, Ramus; agmen vero claudant Novatores, Teleſius, Patricius Campanella, Verulamius, Gilbertus, Jordanus Brun, Gaſſendus, Baſſonius, Gomeſius, Carpentarius, Gorlæus, qui myriadem ſectatorum longo ſyrmate poſt ſe trahunt; & ſic in omnibus Facultatibus: ſequentibus interim cautelis ſolicitè obſervatis: prima eſt, ut univerſaliores & antiquiores junioribus ſemper præcedant; ſecunda, ut interpretes & commentatores ſeparatim ponantur, juxta ſeriem librorum, quos explicandos ſibi ſumſerunt; tertia, ut tractatus particulares ſequantur ordinem ac diſpoſitionem materiarum ſuarum, quam habent in ipſis artibus ac ſcientiis; quarta & ultima, ut libri ejusdem materiæ præciſè collocentur eo loco, qui deſtinatus eſt illis; hoc enim dici vix poteſt quantum juvet memoriam; ſcilicet in uno momento hac ratione facilime invenies, etiam in bibliotheca multo ampliore, quam fuit illa Ptolemæi, quemcunque librum ſuper illa materia, quæ in disquiſitionem venit. Quod ut fiat minori cum moleſtia & majori commoditate, curandum eſt, ne libri, qui ſunt minores quam ut ſoli & ſeparatim compingantur, cum aliis jungantur quam cum talibus, qui ſunt ejusdem plane materiæ: cæteroquin conſultius eſt, eos compingi ſolos, quam odioſa confuſione turbari bibliothecam, quod evitari nequit, ſi copulentur cum

aliis tam diverſæ & diſcrepantis materiæ, ut nemo per ſomnium quidem in tali conſortio eos quæſiverit. Neque me fugit, objici mihi poſſe duas incommoditates haud ſane leviculas, quæ hunc ordinem comitantur; ſcilicet quosdam libros mixtos ad certam claſſem aut facultatem principalem revocare, difficilimum eſſe; præterea moleſtiſſimi & continui rem laboris, movere huc illuc & transportare volumina, ſi forte triginta aut plures libri noviſſimè emti aut compacti ſuperveniant & ad ſuum quisque ſodalem referri debeat. Sed reſpondeo ad primam inſtantiam, vix dari tales libros, qvi non poſſent ad certam claſſem reduci, & præcipuè, ubi magna eorum copia jam adeſt; & ſi ſemel ſunt diſpoſiti, nil præter tantillum memoriæ requiri, ut recordari queamus ubinam eos poſuerimus; & ſi res pene deſperata videtur, tantum opus eſſe certo aliquo loco, quem hujusmodi miſcellanea ſeorſum occupent. Ad ſecundum regero, poſſe ſanè aliquantum laboris evitari, ſi non arcte nimis libros conſtringamus, aut non nihil vacui relinquamus in extremitate repoſitorii, vel in fine cujuscunque Facultatis: ſed ni fallor, magis adhuc conducibile eſſe arbitror, eligere certum locum, ut ibi deponamus omnes libros, quotquot per ſemeſtre ſpatium comparavimus; quo elapſo illos jungemus cum cæteris ordine decenti & congruo: ſic tandem omnes eò pervenient quorſum pertinent, cum hoc fœnore & commodo, ut bis in anno libri excuſſo pulvere luſtrentur. Et in omnem eventum non dubito, quin hic ordo, ut longe uſitatior, ita quoque præſtantior & facilior ſit habendus, ac ille, quem ſervat bibliotheca Ambroſiana, & nonnullæ aliæ, ubi omnes libri promiſcue poſiti ſunt, nulla ratione habita materiarum, tantummodo ſecundum ſeriem numerorum; in peculiari autem catalogo diſtincti demum reperiuntur, in quo omnia & ſingula ſcripta ſub nomine ſuorum autorum recenſentur: dum enim

enim hi effugere volunt difficultates antea memoratas, in Iliadem aliarum moleſtiarum incidunt; quibus nihilominus bonam partem mederi poſſumus ope alicujus catalogi, accurate compoſiti ſecundum omnes rerum claſſes & Facultates, à capite usque ad unguem minutatim diviſas.

Jam nihil aliud reſtat, quam ut agamus de manuſcriptis, quæ non melius aut convenientius aſſervari poſſunt, quam in ipſa fronte bibliotheeæ, cum nihil videam quod illa ſeparare jubeat â toto corpore, utpote quæ optimam, rariſſimam & ſelectiſſimam bibliothecæ partem conſtituunt: adde quod plures ſibi perſvadeant, ſi inter cæteros libros hæc ipſa non conſpiciant, omnes illas cameras, in quibus aliàs recondita latere dicuntur, non niſi imaginarias eſſe, & inania paupertatis opercula, quorum beneficio utuntur, quibus in hoc genere eſt curta ſuppellex. Ita videmus, integrum quoddam latus bibliothecæ Ambroſianæ repletum eſſe novies mille manuſcriptis, cura & ſtudio Domini Johannis Antonii Olgiati collectis; nec minus in bibliotheca Illuſtriſſimi Domini Præſidis Thuani obſervare licet peculiarem cameram, illis deſtinatam, ſed a cæteris facilitate acceſsûs nihil omnino differentem. Cum igitur in eo ſumus, ut præſcribamus ordinem in hoc genere tenendum, notari velim, geminam eſſe manuſcriptorum ſortem; illa quidem, quæ juſtum aliquod volumen magnitudine exæquant, diſponi poſſunt ut reliqui libri; ſed nihilo ſecius diligenter attendendum eſt, an aliqua ſubſint non cujusvis oculis aut manibus facile committenda, vel etiam prohibita; quæ in ſublimiori parte repoſitorii ut collocentur, & absque omni titulo extrinſecus inſcripto relinqvantur, autor ſum, quo minus cognoſci aut depromi poſſint, niſi prævio permiſſu, & bona pace illius, cujus fidei concredita ſunt, vel penes quem facultas eſt diſpenſandi. Quod etiam de altero manuſcriptorum gene-

re valet, quæ consistunt in quaternionibus, & exiguis schedis; colligandæ autem sunt illæ in fasciculos secundum suas materias, & adhuc altius reponendæ, quam illa manuscripta, quorum superius mentio fuit facta; non tantum ob exilitatem suam, quam quia brevi temporis spatio ab aliis describi facile possent, aut etiam clanculum subduci; saltem unusquisque eorum copiam peteret, vel ut commodentur, flagitaret, si exponantur in propatulo, cuivis conspicienda & contrectanda: quod sæpissime contingit libris, qui in vetustioribus bibliothecis, pulpitis impositi, & in omnium facie exporrecti jacent. Et hæc ad præsens caput dixisse sufficiat, in quo non opus est longius evagari, cum ordo naturalis, qui semper sibi similis & æqualis est, hic observari nequeat, ob infinitam librorum varietatem: supereſt igitur ordo artificialis, quem quisque pro suo genio & ingenio plerunque eligit, illud amplectendo, quod ipsi sana ratio & studiorum suorum œconomia dictitat, non tam ut satisfaciat sibimetipsi, quam ne in omnibus aliorum placita sequi & vestigia terere videatur.

VIII. De librorum ornatu.

Ab hoc capite lubentissime progrederer ad illud, quô consilium hoc nostrum de instruenda bibliotheca ad umbilicum deducere, & obsignare proposuimus, nisi arcano celeusmate aurem vellicaret Typotius, *Ignota*, inquiens, *populo est & mortua pene ipsa virtus sine lenocinio.* Tribus itaque verbis exponam, quæ faciunt ad externam pompam & ornatum bibliothecæ; fucus enim ille & splendor necessarius pene videtur, juxta ejusdem auctoris sententiam: *Omnis apparatus bellicus, omnes machinæ forenses, omnis denique suppellex domestica, ad ostentationem comparata est.* Et si dicere liceat quod res est, tantò magis excusatum habeo morbum nostri seculi, quod multorum sumtuum & impensarum jactura hujusmodi phaleras redimit, quanto magis convincor, veteres ad insaniam usque huic luxui

lib. de fama.

dedi-

deditos fuiſſe. Si namque primo loco ſtructuram conſideramus in bibliothecis veterum, Iſidorus teſtatur, illarum pavimenta è viridi conſtitiſſe marmore, lacunaria vero fuiſſe inaurata; Boëtius refert, muros fuiſſe incruſtatos vitro & ebore; Seneca perhibet, armaria & pulpita fabricata fuiſſe ex ebeno & cedro. Si quærimus, qualia monumenta rara & exquiſita in bibliothecis oſtentaverint, Plinius uterque, Suetonius, Martialis & Vopiſcus per omnia ſua ſcripta paſſim commemorant, eos neque auro neque argento peperciſſe, ut ſibi compararent imagines & ſtatuas omnium virorum illuſtrium ac eruditorum, ad vivum expreſſas. Si denique noſſe deſideramus, quam ſtudioſi fuerint in ornandis libris, Seneca certè in perſtringendo nimio eorundem luxu totus occupatus eſt, quo diffluebant pingendo, inaurando, illuminando & perpoliendo libros theatrico plane cultu, ne dicam fœmineo. Ut vero ex aliorum ineptiis ſapere diſcamus, & uſum ex abuſu colligamus, illum in ornanda bibliotheca modum ſervabimus, quem ſine manifeſta ſorditie negligere non poſſumus, neque etiam ſine prodigalitate excedere. Sit ergo prima regula, non opus eſſe extraordinarios impendere ſumtus compingendis libris; nam ſatius eſt, tantum nummorum in marſupio retinere, ut in numerato habeamus, ad coëmenda majora volumina, & optimas quasvis editiones; niſi quis velit oculos ſpectatorum primo intuitu paſcere, & omnia librorum dorſa, qui vel alutâ, vel corio vitulino aut caprino induti ſunt, aureis lineis aut floſculis, unà cum nomine auctorum, inſignire: quem in finem adeundus eſt inaurator, qui bibliothecis operam ſuam locare conſuevit, nec non bibliopegus, ut reparet dorſa & tegmina librorum attrita, volumina denuo circumcidat, unum ex alio reſcindat, & cum altero conjungat, chartas & figuras glutinando reficiat, folia maculata emundet, &

ap. Lipſ. Syntagm. de biblioth. cap. 9, 10.

quic-

quicquid tandem ad ornamentum loci & conſervationem librorum pertinet, induſtria ſua & labore promoveat.

Multo minus neceſſe eſt, conquirere & coacervare in bibliothecis omnia rudera & fragmenta veterum ſtatuarum,

Et Curios jam dimidios, humeroque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoq; carentem;

Sufficiat nobis habere exempla iconum atque imaginum, quæ vocantur alias copiæ, affabre ſatis depicta aut cælata, quæ repræſentant viros in orbe literato celeberrimos ac meritiſſimos; ut uno eodemque tempore judicare queamus de ingenio auctorum ex illorum ſcriptis, nec non de facie externa, phyſiognomia ex hujusmodi figuris, quæ ſi conferantur cum vitis & memoriis hinc inde a pluribus deſcriptis, magnum profecto ſtimulum addent animo generoſo & bene nato, ad premenda eorum veſtigia, & laudabiles quosvis conatus ſtrenuè perſequendos.

Minime vero omnium profundere decet aurum in tabulata, diſſipare ebur & vitrum in parietes, cedrina ligna conſumere in fabricandis armariis, marmor diſperdere in pavimentis; præter enim quod hæc veterum pompa & magnificentia hodie obſolevit, neque etiam volumina, ut olim, pulpitis imponuntur, ſed in armariis, quæ omnem parietem tegunt, erecti locantur; in ornamentorum aureorum vicem ſubſtitui poſſunt inſtrumenta mathematica, globi, tabulæ cosmographicæ, ſphæræ, picturæ, animalia exotica, lapides pretioſi, & id genus alia cimelia, tam a natura quam arte ſuppeditata, quæ ut plurimum paulatim, & ſine ullo fere nummorum impendio colliguntur.

Ad omnem denique negligentiæ aut incuriæ notam penitus evitandam requiritur, ut bibliothecâ cunctis rebus ſufficienter inſtructâ, repoſitoria noſtra conveſtiamus panno tenuiori aut etiam telâ cannabinâ, clavis deauratis vel

vel argentatis affigendâ, tam ut libros à pulvere immunes præſtemus, quam ut univerſo conclavi decus accedat incomparabile: nec patiamur deficere menſas, tapetas, ſellas, ſcopulas veſtiarias, globos vitreos coloratos, fructus conditos, quos medici vocant conſervas, horologia, calamos, chartam, atramentum, ſcalpella, arenam ſcriptoriam, calendaria, & alia ejusmodi ſupellectilia & inſtrumenta, vili quidem pretio comparanda ſed adeo neceſſaria, ut ſine grandi oſcitantiæ culpa à nemine omitti queant.

IX. Quis finis omnium præcipuus eſſe debeat in erigenda bibliotheca.

Rebus his omnibus ita diſpoſitis nihil aliud ad complementum hujus diſſertationis jam reſtat, quam ut commonefaciamus, quisnam ſit finis & uſus bibliothecarum præcipuus. Falluntur enim immane quantum, qui poſt tantos labores, ſumtus & curas, omnia hæc luminaria ſub modio abſcondenda eſſe putant, & ingenia tot excellentia perpetuo ſilentio & ſolitudini moroſè addicunt: ignorant hi tales cum ignariſſimis, quis ſit ſcopus bibliothecarum; nulla eſt enim, quæ non æque, ac ipſa natura, *perditura eſt fructum ſui, ſi tam magna, tam præclara, tam ſubtiliter dicta, tam nitida, & non uno genere formoſa ſolitudini oſtenderet: ſcias illam ſpectari voluiſſe, non tantum aſpici.* Quapropter, Illuſtriſſime Domine, non minori cum libertate, quam ſtudium illud eſt meum Tibi inſerviendi, edicam quod ſentio: ſcilicet in vanum adhiberi omnia media ſuperius adducta, & fruſtra fieri omnes ſumtus librorum cauſſa, niſi quis firmum habeat propoſitum, bibliothecam ſuam publico devovendi commodo, nullisque deſiderantibus ejus uſum denegandi: ipſa etenim veritas hæc poëtæ verba calculo ſuo approbat:

Seneca de vit. beat. cap. 32.

Vile latens virtus; quid enim demerſa tenebris
Proderit, obſcuro veluti ſine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Claud. de Conſ. Hon.

Quid quod opulentiſſimi Romanorum non poſtremum magnificentiæ gradum in hoc ſtudio poſuerunt, & qui

utilitatis publicæ ſtudioſiſſimi videri volebant, in id ſtrenuè incubuerunt, ut ſua cura multæ hujusmodi bibliothecæ conderentur, quas poſtea omnium literatorum commodo munificè conſecrarunt. Ita Petrus Victorius viginti novem earum numerat in ipſa Roma, Palladius autem triginta ſeptem: ex quo evidentiſſimè illius populi divitiæ, generoſa indoles, magnificentia & ſplendor elucent: ut adeo Pancirollus non injuſtè negligentiam noſtram incuſaverit, rebusque deperditis accenſuerit veterum erga ſtudia ſtudiorumque cultores ſingulare ſtudium, ac liberalitatem admirabilem. Haud equidem opus eſt, ut cum Poëta mihi depoſcam centum linguas, oraque centum ad enumerandas illas bibliothecas, quæ hodie celebrari merentur. Sunt enim, quod ego ſciam, nullæ, præter Oxonienſem Bodleii, Mediolanenſem Cardinalis Borromæi, Romanam P. P. Auguſtinianorum, quas libere viſitare liceat. Reliquæ omnes ut Mureti, Fulvii Vrſini, Montaltii, & Vaticana; Medicæa, & Petri Victorii Florentiæ; Beſſarionis Venetiis; illa ad S. Antonium Paduæ; Jacobitarum Bologniæ; Auguſtinianorum Cremonæ; Cardinalis Siripandi Neapoli; Ducis Friderici Vrbini; Nunneſii Barcellonæ; Ximenis Compluti; Ranzovii Bradenbergæ, Fuggerorum Auguſtæ; ac denique Regia, S. Victoris, & Thuani Pariſiis, uti ſunt elegantiſſimæ & ſplendidiſſimæ, ita non ſunt publicæ, cuivis apertæ, & luſtratu æquè faciles, ac tres illæ ſuperiores. Sed cæteras cunctas ſicco pede tranſiens, Ambroſianam ſolam, quæ Mediolani eſt, in exemplum adducam, & monſtrabo, quam longe ſuperet non tantum amplitudine & magnificentia, ſed etiam aptitudine ad promovendum bonum publicum, multas Romanorum bibliothecas: quis vero non in ea, ut rem extraordinariam ac plane ſingulare beneficium ſummis laudibus deprædicet, quod unicuique omnibus horis pateat, quod ibi tam diu deſidere liceat, quam diu pla-

placuerit, inſpicere, legere, excerpere auctorem, quicunque in vota noſtra venerit; idque cum tanta commoditate, ut nihil ſit quod deſiderare queas, ſive publice ſive privatim hac uti velis; modo non graveris te illuc conferre diebus & horis ordinariis, reſidere in ſella, quarum plures huic uſui deſtinatæ præſtò ſunt, & petere libros, quotquot evolvere tibi animus eſt, vel à bibliothecario, vel à tribus ejusdem famulis, qui largo ſtipendio aluntur, tam ut bibliothecæ curam gerant, quam ut omnibus quotidie intrantibus, & ibi ſtudiorum gratia demoraturis, inſerviant.

Vt vero prudenter & cum decore in hoc negotio verſemur, ante omnia nobis proſpiciamus de viro quodam honeſto, docto, & librorum notitia ſatis exculto, cui, juxta officium & lautius ſalarium, deferamus titulum & characterem bibliothecarii, quem morem in famigeratiſſimis quibusvis bibliothecis obtinere liquet, ubi profecto plurimi atque doctiſſimi viri in maximo honore hoc munere defuncti ſunt, quod etiam indies eruditione ſua, & nominis celebritate honoratius reddiderunt ac venerabilius; quales fuere Demetrius Phalereus, Callimachus, Apollonius Alexandrinus, Ariſtoxenus & Zenodotus, qui bibliothecæ M. Alexandri præfuere; Varro & Hyginus, quibus illa in Monte Palatino Romæ demandata erat; Leidrat & Agobardus qui eandem ſpartam exornarunt in Inſula Barba prope Lugdunum, ſub Carolo Magno; Petrus Diaconus in Monte Caſſio; Platina, Eugubinus & Sirlettus, qui Vaticanæ præfecti erant; Sabellicus, qui Venetæ, Wolffius qui Baſileenſi, Gruterus Heidelbergenſi, Duſa & Paulus Merula Lugduno-Batavæ, quorum ſucceſſor factus doctiſſimus Heinſius: quemadmodum poſt Budæum, Goſſelinum & Caſaubonum clariſſimus Rigaltius hodienum moderatur bibliothecam Regiam, à Franciſco I. fundatam, at ſua ipſius induſtria ſummaque diligentia inſigniter auctam atque locupletatam.

Proximum ab hoc ſed non minus neceſſarium monitum eſt, ut faciamus duos catalogos ſuper omnes libros in bibliotheca contentos; in altero accurate deſcribantur ſecundum ſingulas materias & facultates, ut in uno momento cernere ac ſcire queamus omnes auctores, quotquot poſſidemus ad hanc vel illam materiam, quæ prima in mentem venit: in altero fideliter diſponantur juxta ordinem alphabeticum auctorum ſuorum; ſic enim non tantum cavebimus, ne unum bis emamus, verum etiam cognoſcemus, quinam deſint, multisque gratificari poterimus, qui interdum omnia certorum auctorum opera ſpeciatim perlegere deſiderant. Quem ego laborem multis nominibus utiliſſimum eſſe reor, ſive attendamus commodum privatum, quod tam in Dominum bibliothecæ, quam bibliothecarium exinde redundat, ſive ſpectemus gloriam, quæ nos manet ex communicatione illorum cum aliis hominibus cujuscunque ſortis aut conditionis: ne ſimiles videamur avaris, qui divitiis ſuis nunquam fruuntur; aut invido illi draconi, qui poma in Heſperidum horto cuſtodiebat, ne quis decerperet vel guſtaret. Et ſi res quævis ex uſu & utilitate æſtimanda eſt, certè ſunt libri quam maximè; quibus convenit Horatianum illud, quô in epiſtolis ſuis neſcio quem ita alloquitur:

Odiſti claves, & grata ſigilla pudico
Paucis oſtendi, gemis, & communia laudas.

Interim tamen hæc ſacra proteri aut profanari nolim, quæ multa prudentia & cura veluti cancellis munienda ſunt. Hoc tantum dico, quamvis omnium bibliothecarum conditio non ferat, ut toto die ſtent patulæ, quemadmodum Ambroſiana, nihilominus ſemper fuiſſe facultatem omnibus conceſſam, qui ex hac vel illa fructum quærunt, libere compellandi bibliothecarium, ut ab eo introducantur ſine mora aut tergiverſatione. Sin aliqui ſe offerant, prorſus incogniti,

vel

vel qui nihil in illa habent, quod agant, nisi quod certa loca in scriptoribus evolvere cupiant, admittendos tamen esse, ut spectent, quærant, & excerpant ex omni genere voluminum impressorum, quicquid in rem suam ipsis videtur. Viris autem benè meritis & probe notis hoc insuper largiri fas est, ut codices, qui non adeo rari sunt, eorumque paucos domum secum ferant; cum hac tamen iterum conditione, ut non ultra quindecim dies, aut ad summum, tres hebdomadas illos retineant. Quamobrem bibliothecarius instructus esse debet peculiari quodam libro, hunc in finem adaptato, cui sedulo inscribat juxta literas alphabeti, quicquid huic vel illi commodaverit, addito die, forma voluminis, & anno, quo in lucem prodiit; id quod subscriptione nominis sui firmabit ille, qui aliquid exinde mutuatus est. Quod libris restitutis mox delebitur, expresso in margine die redditionis, ut sciamus, quam diu alter libros retinuerit, atque sic illis, qui curam ac diligentiam suam probarunt in conservatione voluminum, alia vice iterum nos faciles præbeamus. Crede mihi, Illustrissime Domine, si haud graveberis insistere viam, quam ingressus es, & augmentare bibliothecam tuam, ut eautaris vel hac, vel alia quavis ratione, quæ tibi optima videbitur, incomparabilem nomini tuo gloriam cumulabis, infinitas grates fœneraberis, fructum metes ineffabilem, & quod potissimum est, ingentem voluptatem hauries, si ex perlectione hujuscemodi catalogi in memoriam tibi revocabis innumera humanitatis officia, aliis præstita, tot viros præclaros, quos tibi devinxisti, tot homines, qui tuo conspectu & alloquio sunt recreati, tot novos amicos & obstrictissimos servos, quibus auctus es, ut uno verbo me expediam, si tuis digitis atque oculis supputabis, quantum gloriæ ac celebritatis bibliothecæ tuæ addideris. Cujus honori & incremento promovendo quicquid est in me virium, per omnem vitam promtissime à me

collatum iri confidas; quod ipsum vel præsenti hac dissertatione testari quodammodo annisus sum, quam suo tempore, nisi me spes mea fallit, ita exasciatam & auctam dabo, ut non habeat quod sibi metuat in publicam prodire lucem; fusius enim explicabit materiam, à nemine hactenus tractatam, & sub titulo *bibliothecæ Memmianæ*, illa proponet, quæ tamdiu desiderata sunt, nempe historiam literariam & notitiam librorum copiosissimam & accuratam, judicia & censuram de quibusvis scriptoribus feret, nominabit potissimos & maximè necessarios auctores in quavis facultate, plagiarios, quique alieno vitulo ararunt, in ruborem dabit, ostendet progressum scientiarum, sectarum diversitatem, revolutionem artium ac disciplinarum, decrementa veterum, diversa principia novatorum, & Pyrrhoniorum placita, quæ saltem ideò commendari debent, quia fundantur super ignorantia omnium hominum: sub cujus velo, Illustrissime Domine, humilimis precibus abs te contendo, ut & meam excusare, exiguamque hanc dissertationem rudi licet Minerva contextam accipere digneris in arrabonem & pignus non tantum observantiæ erga te meæ, sed etiam promissi, quod olim apparere faciam majori ac meliori cum apparatu.

Virg. Eclog. 7. *Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu*
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

SHE-

THEOPHILI SPIZELII

DISSERTATIO

De

illuſtrium bibliotheca-

rum nov-antiqvarum exſtructio-

ne, ſacrorum item arcanorum ſeu manuſcripto-

rum theologicorum pretio ac uſu ; indicum

denique ſive deſignationum neceſsitate , ac

inſigni in re theologica pariter ac lite-

raria univerſa fructu & uti-

litate.

I.

QVamvis pretioſiſſimi illi ac inæſtimabiles ferè omnigenæ eruditionis theſauri, (*bibliothecæ ſcil.*) nullo non tempore à magnis literarum cultoribus ſummo ſtudio conquiſiti atque aſſervati fuerint; ea tamen cura reges potiſſimum, rrincipes, atque illuſtres respublicas occupavit. • Ægypti quondam rex fuit Oſymanduas, qui Diodoro teſte bibliothecam à ſe conquiſitam, ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΙΟΝ, *medicam animi officinam* appellavit. Ad quam bibliothecæ Oſimanduanæ inſcriptionem D. Baſilius alluſit opinor, cum ad Gregorium Theologum ita ſcripſit: In ſcriptura quilibet τὸν πρόσφορον εὑρύσκει τῷ κρεωστήμαλι φάρμακον invenit tanquam in *medica officina* appoſitum ſuæ ægrotationi medicamentum; eidemque dicto conſonat, quod Galenum in ſermonibus frequenter ajunt dictitaſſe, philoſophiam medicinam eſſe animorum, quam Cicero brevius *animi ſanitatem* ſalutavit. *Ego*, inquit Seneca, *in muſeo meo aſſiduus ſalutares admonitiones velut utilium medicamentorum compoſitiones literis mando, illas eſſe efficaces in meis vulneribus expertus, quæ etiamſi perſanata non ſunt, ſerpere deſierunt.* Quemadmodum Dio etiam Chryſoſtomus dignus orator cognomine, eruditionem vocavit ἴαμα καὶ φάρμακον, *malorum omnium medicinam.* Extat alterius Chryſoſtomi planè aurea ad literarum ſtudia exhortatio, in qua omnibus qui ἐν χαίρειν καὶ ἐν πράττειν bene lætari agereque volunt, qui inordinatos animi motus comprimere, obedientesque efficere

cere rationi, qui cupiditatem, qui libidinem, qui alias vitæ peſtes opprimere, qui denique afflictam animi valetudinem recuperare vel integram tueri ſtudent, bibliothecas adeant, in iis voti & ſalutis compotes fient, reperient alexipharmaca, medicamenta, antidota præſentiſſima, & omnibus incommodis opem certiſſimam, κλᾶδε (inquit) φάρμακα τῆς ψυχῆς, *comparate vobis libros animi pharmaca.* Quam medicam vim probe conſiderans Ptolemæus Philadelphus, memorabilem illam Alexandrinam bibliothecam in eadem Ægypto compoſuit, ejus ſtructuram doctus ab Ariſtotele, ut auctor eſt Strabo, h. e. vel exemplo Ariſtotelis, vel quod cum ille Theophraſto ſuos libros reliquiſſet, Theophraſtus autem Neleo, ab hoc mercatus ſit Ptolemæus, eosque cum aliis quos ingenti pretio Athenis & Rhodi coëmerat, Alexandriam unum in locum tranſtulit, trecentis ante Chriſti adventum annis, (calculo Antonii Carafæ Card. in præf. biblior. græc. Romæ excuſ. 1587.) Libros item ſacros Chaldaicos, Ægyptios, Romanos aliosque diverſarum linguarum in græcam omnes converti curavit, ad centum millia voluminum; Quamvis de numero librorum authores invicem non benè conſentiant, atque Cedrenus quidem centum librorum ponat millia; Iſidorus autem ſeptuaginta, Freculphus numerum hunc contraxerit myriadibus in chiliades converſis; Agellius (lib. VI. c. ult. & Amian. lib. VI. c. 12.) ſeptingenta numerent; Ariſteas apud Joſephum quingenta; denique Seneca (de tranquill. c. 9.) quadringenta tantum millia: conf. Lipſ. Syntag. de bibl. & Salian. in Annal. an. ab V. C. 474. & 564. Nec dubium eſt quin proceſſu temporis numeroſior ſemper auctiorque bibliotheca illa evaſerit, adeo ut omnium artium ingenuarum & totius encyclopædiæ libri diverſis linguis conſcripti in ea extiterint, præſertim cum Ptolemæus iſtos partim ex orbe propemodum univerſo conquiſiverit, apud Æthiopas, Indos, Perſas, Elamitas, & Babylonios, Aſſyrios,

Phœnices, Syros & Romanos; partim ab Ægyptum præternavigantibus ſibi afferri curaverit, quorum αὐτόγραφα magni empta in bibliotheca Alexandrina depoſuit, transſcriptos codices nautis redeuntibus reddidit, atque in egregio hoc libros colligendi ſtudio, Eumene Attali regis filio, *Pergamenæ bibliothecæ* conditori præivit. Conſtabat ea (Plutarcho teſte) ducentis librorum millibus, Galeni adhæc locupletata voluminibus CL. quæ de omnifaria artium eruditione ediderat. In Cnido etiam, una Cycladum inſula in mari Ionio, bibliothecam iipenes quos rerum ſumma, conſtituebant, quam Hippocrates igne, alii malevolentia concrematam tradiderunt.

II. Neque verò Romæ veteris imperatores præſtanti librorum theſauro cæteris principibus concedere voluerunt. Cæſar Dictator domi omnium forisque compos, mox armatæ togæ victima futurus, magnam librorum vim undique collegit, neque populum victorem ſine hoc ſapientiæ inſtrumento rectè poſſe vivere æſtimavit. Cæſar Auguſtus cum hæreditate hanc quoque ſuſcepit curam, & quod inchoatum à parente erat animoſè abſolvit. Ad ejus exemplum in domo ſua bibliothecam Tiberius condidit, cujus meminit Gellius lib. XIII. c. 18. Gordianum Juniorem una fere bibliotheca ſibi à Sereno Samonico teſtamento relicta ad cælum tulit, nulla alia conſecratione quam hominum literatorum elogiis, cumque hoc bibliothecæ ſtudium præcipue ſit regium, ideo Senatus Romanus capta Carthagine, gratificari volens Africæ regulis eis bibliothecam donavit, teſte Plinio lib. XVIII. hiſt. c. 3. Cumprimis autem Magni Conſtantini eximium & ſingulare in hoc ipſo prædicatur ſtudium, quod (tradente Euſebio lib. III. de ejus vita) imperatorios theſauros effuderit in colligendis, ſcribendisque libris ſacris, quos gentiles perſecutionum temporibus ab eccleſia ferè excuſſerant. Imò Julianum illum apoſtatam, tametſi hoſtem & perſecutorem

eccleſiæ

ecclesiæ vehementissimum, Libanius celebrat h. m. βιβλία πάντα πανταχόθεν ἐξείλκυσε, καὶ τὰ τομεῖα διεφεύγετο ταῦτα μᾶλλον ἢ τὰ τῶν χρημάτων ἔτεροι. Theodosius etiam junior eo prædicatur nomine, quod collegerit sacros codices, & quæ ab interpretibus ipsorum erant exarata. Et Constantinopoli in domo rregia (Basilica dicta) teste Zonara, libri externæ sapientiæ & generosioris doctrinæ diviniorisque, multi servabantur. Ast cum regnante Basilisco urbem incendium maximum afflixisset, plurimaque ædificia & officinas devorasset, ipsam Basilicam cum bibliotheca, sexies centena millia voluminum continente, in cinerem redegit, eamque jacturam Malchus Byzantius Sophista in sua ab imperio Constantini ad Anast. historia vehementer & tragicè deploravit. De tristi hoc incendio etiam Georgius Cedrenus: *Accidit* (inquit) *Constantinopoli, imperante Basilisco, quod florentissimam urbis partem consumsit, & omnem viciniam appellatam Basilicam, in qua erat bibliotheca habens voluminum sexies centena millia, inter quæ erat intestinum draconis, pedum centum & viginti, in quo scripta Homeri erant poëmata, Ilias & Odyssæa literis aureis. Inerant etiam in hac bibliotheca historiæ, heroum res gestas continentes. Multis post seculis quam deflagravit hæc bibliotheca sub Basilisco, cum Leo Conon Rex Basilicæ eruditos in sententiam suæ hæresis trahere non potuit, combussit illos una cum Basilicæ palatio & bibliotheca, quæ pulchris libris post incendium iterum ornata fuerat, &c.* Quam copiosam quoque librorum congeriem penes se in palatio habuisse putandus est Alphonsus Aragonius, cui nec gratius unquam munus offerri potuit, quam eximius aliquis liber, & qui nec aliam tesseram symbolicam, quam apertum librum gestare voluit, qui denique, (ut Æneas Sylvius lib. 1. epist. CV. scribit) nunquam in castris fuit sine libris, quocunque ivit, eum bibliotheca est secuta, sive in tectis esset, sive in tentoriis, singulis diebus aut legit aliquid, aut audivit.

III. Attamen præfracte negare haud velim, integras & locupletas bibliothecas nonnullos reges & monarchas non alio consilio, quam ad pompam & apparatum coacervasse. Quo enim alio fine regina meretrix Cleopatra auctor esse potuit reparandæ bibliothecæ illius Alexandrinæ, tristi fato consumptæ, impetratâ ad id ab Antonio Pergamena bibliotheca, quæ ei in Asiæ sortitione obvenerat, eaque Alexandriam translata, ut auspicium esset & fundamentum literariæ suæ magnificentiæ, in quo fœmina superbo ac procaci fastu nolebat se ab ullo præcedentium regum superari, uti nec passa est se in epularum insania vinci ab amasio suo. Minervam fuisse illam oportuisset non venerem, si studiorum gratia bibliothecam novam conquisiviſſet. Sic imperatorem Domitianum nulla discendi cupiditate impulsum, sed opum duntaxat & potentiæ ostentandæ studio extruendis bibliothecis animum adjeciſſe, ex Svetonio colligere mihi videor, qui in ejus vita, *Domitianus* (scribit) *liberalia studia initio imperii neglexit, quanquam bibliothecas incendio absumtas impensissimè reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam qui describerent emendarentque; nunquam tamen aut historiæ carminibusque cognoscendis operam ullam aut stylo vel necessario dedit: Epistolas orationesque & edicta alieno formabat ingenio.* Licet igitur verisimile sit, eundem multorũ regum & principum in ejusmodi literariis molitionibus fuisse animum, minus tamen videntur reprehendendi quod aurum suum in bibliothecarum forulis dispositum prostare, quam aliorum more vel arcæ incluſum continere, vel splendidis vestibus, magnificis ædificiis, sumptuosis spectaculis, publicis epulis, sexcentisque aliis pro cujusque ingenio vanitatibus impendere maluerint. Et sanè rem accuratius consideranti, haud videntur honestius effundi pecuniæ quam in bibliothecarum extructiones, quibus non Græcos solum aut Romanos, verum *Hebræos* etiam operam dediſſe,

dediſſe, ſuasque bibliothecas multis voluminibus ornatas habuiſſe neminem ignorare exiſtimo. Sic Judas Machabæus *Nehemiæ ſecutus exemplum* (juxta II. Mach. II. v. 13.) *bibliothecam extruens, accumulavit ſcripta de regibus & prophetis, ſcriptaque Davidis, & de donariis regum epiſtolas*, quæ omnia Epiphanes abolere tentaverat. Ac licet multis ante Nehemiam & Judam ſeculis Moyſes ſcriptum à ſe legis volumen juſſerit Levitas ponere in latere arcæ fœderis; Deut. XXXI. v. 25 prima tamen ſolemnis Judæorum bibliotheca erat, quam Nehemias conſtruxit, & quam Hieroſolymitæ adeò celebrare videntur, ut eam Philadelphi bibliothecæ componere vel opponere non dubitaverint, cum in Ægypto degentes ſint gloriati: *Vos plures forſan habetis gentilium libros profanos, at nos ſoli habemus libros ſacros & hiſtorias gentis noſtræ, quibus caret bibliotheca Philadelphi.* Etſi vero non deſint qui ex lectione græci textus (qui non dicit Nehemiam congregaſſe de regionibus libros, ſed congregaſſe quæ de regibus & Prophetis deque donariiis ſcripta erant,) colligunt loc. Machab. cit. non ſignificari libros ſacros, ſed alios hiſtoriales ab antiquis auctoribus de prædictis rebus conſcriptos; nihilominus tamen crediderim, Nehemiam ſacros potiſſimum libros conquiri juſſiſſe. Valde enim probabile eſt principem adeò religioſum, & acerrimum ſacri cultus defenſorem, imprimis ſacra volumina undique conquiſita in bibliotheca ſua repoſuiſſe, præſertim cum ipſe non curioſitati aut ambitioni, ut quidam principes tum veteres tum recentiores alii, ſed publicæ præcipuè populi utilitati, profectuique ſpirituali, bibliothecam à ſe conditam haud dubie conſecraverit. Accedit quod id ſuaſu potiſſimum & opera Eſdræ præſtitiſſe videatur, qui cum eſſet ſcriba in lege doctiſſimus, ſciretque quanti momenti eſſet ad verum Dei cultum præſertim interiorem ſeu ſpiritualem, in animis hominum altius infigendum frequens & aſſidua ſacrorum

librorum evolutio, facile optimo principi eorum ſtudioſam collectionem perſuadere potuit, quin & ipſe forſitan ſummi bibliothecarii munere conſpicuus apparuit, ad quem ex Nehemiæ mandato ſacrorum & aliorum antiquorum auctorum monumenta ſunt delata, ac ſummo poſtea ſtudio à judæorum gente aſſervata. Hinc D. Auguſtinus: *Quid eſt aliud* (ſcribit Tom. VI. lib. XII. contra Fauſt. c. 32.) *gens ipſa, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum, bajulans legem & prophetas ad teſtimonium adſertionis eccleſiæ, ut nos honoremus per ſacramentum, quod nuntiat illa per literam.* conf. comm. ſuper pſal. 56. Tom. VIII. fol 384. Non omiſerim quod ſcite & eleganter ex Creſolio quodam Claudius Clemens lib. 1. ſect. II. cap. 2. de extruct. muſ. notavit, ſcil. in cœleſti prætorio, & ſummi regis aula bibliothecam eſſe videri cultam & lucentem, ubi reperiatur liber vitæ, de quo frequens in divinis oraculis mentio, & ex cujus muſei adamantinis pluteis nunc promantur illa volumina, quæ arcano myſterio jubet devorari à prophetis, & penetrali cordis excipi, nunc codices volantes, nunc volumina purpureo tergo, inaurata fronte & ſignata ſigillis ſeptem, in quibus ſcribi poſſit ſtylo hominis, &c. hactenus Clemens.

IV. Quis porrò non miretur reges etiam barbaros Muſas ſibi adſciviſſe in contubernium, atque illis ædem inter regiarum ædium ſepta dedicaſſe. *Cum quidam* (ſcribit idem Clemens l. d.) *è noſtra ſocietate ante annos plus minus viginti quinque Argirium Mauritaniæ profectus eſſet pretium redemptionis captivorum laturus, rex qui aliquando chriſtianus fuerat, eum in ſuam duxit bibliothecam, varia librorum ſuppellectile refertam. Multos hic illi codices viſendos porrigit, atque in his aureolum libellum Thomæ à Kempis de imitando Chriſto in vulgarem linguam Turcarum converſum: adjecit autem, pluris ſe unicum illum facere quam reliquos omnes Mahometanorum:* idem ferè ex ipſius Metaphraſtis Turc. præfatione

one refert D. Hottingerus biblioth. orient. fol. 90. ac notanter addit, eundem librum Romæ ad prælum cum versione Turcica paratum, nec non ex lingua Latina in Arabicam quoque translatum fuisse à quodam Cœlestino de S. Liduina, Ordin. Carmel. Discalsear. quo autoris MS. ipse aliquando sit usus; *Versam esse translationem, & nitidiorem quam quæ ab homine Europæo expectari possit, &c.* Id quod specimenibus aliquot egregiis d. l. comprobavit. Neque verò istum solummodo libellum, sed omnes ferè antiquos Græcorum Romanorumque authores in sermonem Arabicum traductos esse; & hoc etiam tempore apud Arabes extare multos integros & incorruptos, qui apud nos aut non reperiantur, aut miserè admodum mutilati & depravati, quique ex Arabismo magno literarum bono feliciter restitui possint, cum Clenardo, Postello & Scaligero testatur Th. Erpenius, Orat. I. de Lingua Arab. fol. 35. additque, maximam librorum Arabicorum copiam latere in Mauritania (Regis scil. illius apostatæ dominio quondam subjecta provinciâ) quam quicunque viderint, libris abundare tradiderint: neque illud mirum esse; cum in nullo imperii Saracenici regno magis olim studia floruerint quam in hoc & Hispanico. Imo à testibus oculatis fideque dignissimis se habere scribit Erpenius, in una bibliotheca Fessana XXXII. millia voluminum Arabicorum asservari. Et Author Archontol. Cosm. Lib. II. p. 677. Ajunt vulgo (inquit) Turcas odio habere libros & artem typographicam: de quo posteriore ut non negaverim; (Typographos enim notante Joh. Fabro in Specim. Arab. p. 44. ideo non admittunt, quod eos existiment pernicioſos reip. & fidei esse, hinc enim fidei nostræ schismata & hæreses pullulare dicunt) ita videre non possum, quomodo prius illud locum habere possit; cum haud longè à cubiculo magni Turcarum principis cœnaculum amplum sit, in quo servatur bibli-

cibliotheca, raris & curioſis libris inſtructiſſima, qui omnes eleganter ligati compactique ſunt, & hæc ſigillatim appellatur bibliotheca principis. Eſt enim etiam alia in uſum nobilium puerorum & miniſtrorum aulæ, plena voluminibus omnium artium & linguarum. Supereſt autem & ibi antiqua bibliotheca Conſtantini M. Imp. in qua ſunt libri MSS. membranei, tam nitidè & concinnè parati, ut potius materia ſerica, quam pelles videantur. In his etiam ſunt Libri V. & N. T. tecti omnino argento deaurato, modo antiquo, ornatique lapillis pretioſis. Debetur autem horum conſervatio pulchritudini & pretio eorum, cum infinita alia exemplaria rupta, ſciſſa & deperdita fuerint, multa etiam igne cremata, tunc cum Turci Conſtantinopoli vi & armis potiti ſunt. Qui autem ſuperſtites manſêre, prope ſancti habentur, ut eos nemo tangere audeat. Hactenus Archontol. Coſm. author. Quid quod teſte Erpenio l. d. p. 64. quondam Conſtantinopoli Illuſt. Ordd. Belg. apud Imp. Turcicum legatus Hagam ſcripſerit, duas eſſe ibidem Bibliothecas Arabicas, quarum ſingulæ æſtimentur centum ducatorum millibus, i. e. quatuor auri tonnis. Unam autem quæ quadringentis æſtimetur ducatorum millibus, i. e. ſedecim tonnis auris, additque quinque aut ſex annos eſſe, quod regis Maroccani bibliotheca Arabica à Nearcha quodam Maſſilienſi improbè in Hiſpaniam avecta, & in regis Hiſpaniarum biliothecam translata fuerit, quæ referente ipſiusmet regis Maroccani legato, ſeptem mille & octingentis juſtis diſtinctisque codicibus conſtiterit. Et cui non mirum videatur ex transfugæ illius Mauritani regis animo Turcicam veritatem nec ita potuiſſe exculpere amorem literarum, quin in fortuna inſolentiore, & bellorum tumultibus Muſis in ea bibliotheca litaret, quam ſibi in palatio luculentam extruxerat, imitatus non tantum Juliani perfidiam

in

in deſerenda chriſtianâ religione, ſed & ejusdem in conquirendis libris ſtudium, qui Georgii epiſcopi Arriani à gentilibus necati, copioſam bibliothecam omni diligentia perquiri, & integram ad ſe Antiochiam mitti ſevere præcepit, aliaque ad Ecdicium Ægypti præfectum epiſtola indicavit, quanto librorum arſerit ſtudio: *Quidam equis, alii avibus, nonnulli feris delectantur; ego vero inde usque à pueritia librorum arſi cupiditate.* Eadem quod mireris etiam Africani quidam reges tantopere flagrarunt, ut facto ſuo librorum curam aliis magnatibus mirifice commendaverint. Magnis celebratur encomiis Jacobi Almanzor Arabiæ & Africæ regis bibliotheca, quæ voluminum ſive tomorum quinquaginta quinque millium, ſeptingentorum viginti duorum, varii item linguarum ac ſcientiarum generis eſſe perhibetur. Muleaſſis Tuneti regis bibliothecam (cui auraria pictura pretium addiderit,) valde numeroſam fuiſſe refert Ludovicus de Urreta, hinc cum Mena Æthiopiæ imperator eam à Caroli V. exercitu expilatam audiviſſet, negotium dedit mercatoribus Ægyptiis & Venetis, quocunque tandem pretio quoscunque libros redimerent, mathematicos, medicos, phyſiologos, aliarum facultatum alios. Miſere illi ad Menam imperatorem amplius tria millia, quos ſtatim ipſe ad regiam Abyſſinorum bibliothecam (omnium, ne Alexandrina quidem excepta, numeroſisſimam) ablegavit. Etenim ſi Urretæ credimus, in monte Amara ſanctæque crucis monaſterio tria amplisſima replet conclavia, quibus continentur amplius decies millies centena millia voluminum, ſcripta in candidis membranis, atque in thecis ſericis repoſita. An vero tantam librorum ſupellectilem (uti quidam volunt) coacervare Regina Saba, ipſiusque ac Salomonis communis (quem memorant) filius Melilec cœperit, ejusque ſint opera pleraque cum aliis Enochi, Noemi, Abrahami & Jobi &c. dicere haud conabor. Idem forſitan de eo ſen-

tiendum, quod de mendacisſimi illius Benjam. Tudelenſis relatione, qua (itiner. ſui f. 77. 78.) in ripa Euphratis ſepulchrum Ezechielis Prophetæ & *Bibliothecam* librorum primi & ſecundi templi extare memoravit, en verba: ומשם ג׳ פרסאיות לכנסת יחזקאל הנביא ע״ה שעל נהר פרת ובמקום הכנסת בנגרו ששי׳ מגדלים ובין כל מגדל ומגדל בנסת ובחצר הכנסת התיבה ואחרי הכנסת קברן של יחזקאל בן בוזי הכהן: i. e. *Hinc tres paraſangæ numerantur ad beati Ezechielis prophetæ ſynagogam in ripa Euphratis: ubi è regione ſynagogæ ſexaginta turres ſunt: & inter ſingulas eſt ſynagoga. In illius atrio librorum ſacrorum theca eſt; & poſt ſynagogam Ezechielis filii Buzi ſacerdotis ſepulchrum.* Et paulo poſt: ושם בית גדול של הקדש והוא מלא ספרי׳ ומביה ראשון ומבית שני יש שם ספרים ובל שאין לו בן יקדיש ספרו לשם ומביאין: *Ibidem ſancta quædam magnaque domus libris plena, ubi etiam cum è prima, tum è ſecunda æde libri ſervantur: & quicunque liberis carent, illic libros ſuos conſecrant.* Quin imo eodem loco magnum librum Ezechielis prophetæ manuſcriptum aſſervari, dieque expiationis annuo productum evolvi legique falſo haud dubie nuntiavit. Ex præfatione quidem libri הישר (qui raro reperitur, & commentarius eſt Hiſtorico-chronologicus in pentateuchum, brevis tamen & paraphraſticus magis quam exegeticus) apparet, etiam ante devaſtationem urbis templique hieroſolymitani ultimam, non contemnendam librorum variorum ſupellectilem à judæis collectam fuiſſe. Meminit enim folii reperti à Duce quodam Romano, in quo: ספרים רבים תורא נביאים ובתובים וגם ספרים מכלבי ישראל ולמלבי העמים וספרים רבים לישראל וכר ספרי המשנה וגו׳ *Notati libri plurimi, legis, prophetarum, hagiograph. nec non libri hiſtoriam regum Iſraelicorum ethnicorumque continentes, multique alii de traditionibus judæorum agentes*, &c. quemadmodum & poſte-

posteriores Ebræi, ex quo tempore inter Europæos (ubique fere bibliothecarum curam gerentes) vivere cœperunt, suas quoque peculiares passim instituerunt, cumprimis R. quendam Isaacum Cordubensem hominem opulentum, augendi librarii thesauri valde studiosum fuisse in Juchas. f. 128. a legitur. Ipse Amstelodami ante aliquot annos locupletem satis judæorum vidi bibliothecam. Verum ad regiam illam Abysinorum redeo, in qua nulla fere sanctorum, (qui aliquid scripserunt, monumenta desiderari, constat ex indice Antonii Grici & Laurentii Cremones, qui Cardinalis Zarleti rogatu & Gregorii XIII. jussu miraculum illud librarium (quod Æthiopica lingua *Assabraria* vocant,) inviserunt. Memorabile etiam est, quod teste Gassendo in vita Peiresc. Ægidio Lochiensi Capucino visa fuerit apud Æthiopes bibliotheca octies mille voluminum, quorum pars non exigua præ se tulerit ævi Antonini notas. Quandoquidem vero (ita Gassend.) inter cœtera animadvertisse se dixerit *Mazapha Einok*, seu Prophetiam Enochi, declarantem ea, quæ ad finem usque seculi eventura, librum Europæ pridem invisum, illic autem charactere ac idiomate Æthiopico seu Abysino conscriptum; ideo Peirescium ejus desiderio sic fuisse accensum, ut nullis parcens sumptibus ipsum denique sui juris fecerit. *Sunt etiam hinc inde* (ita D. Hottingerus bibl. orient. f. 319.) *in virorum magnorum bibliothecis pauca quædam de Abyssinis tum scripta tum edita; multa cum primis orbi literato in hoc studii genere polliceor de viro, sive eruditionem spectes, sive humanitatem, sive morum affabilitatem, sive denique omnes juvandi προθυμίαν, vere eximio D. Jobo Ludolfo, qui si quid judicare possum, unus est, cujus exercitata peritia jacentes literæ Æthiopicæ commendari poterunt & promoveri.* Sane quos ab eo expectare possimus thesauros, ex sola ejus ad ipsum Hotting. epist. publici juris ibid. facta luce meridiana clarius apparet. Nec istud prætereundum, quod inter solennes ritus inaugu-

rationis Abyſſinorum imperatorum ſit *traditio clavium regiæ bibliothecæ*, perinde ac ſi nihil in toto illo vaſtiſſimo regno, ſit libris auguſtius ; ac teſtentur Æthiopes, ſe ſummopere deſiderare, ut principes majeſtatem & regnandi peritiam è libris & literis ſibi accerſant. Quid vero de potentiſſimis quondam Sinarum regibus proferam, nonne & illi haud minori induſtria cum cæteris orientalibus bibliothecas ſuas condiderunt ? Vtique. In monte Lungmuen reperitur 30000 librorum Sinicorum bibliothcca, quæ Siyuli dicta ex eo, quod rex ille ſeu præfectus eandem inchoaverit; & in Fano Venchung ingens aſſervatur ad muſeum regium librorum copia, quo in loco vetuſtiorum regum plurimi literarum ſtudiis dederunt operam, conf. Comm. noſtrum de re litt. Sin. ſect. II.

V. Ne vero fruſtra hæc recenſio excreſcat, relictis bibliothecis iſtis exoticis & antiquiſſimis, ad noſtras, Europæas nimirum, ævumque propinquius deveniamus, quo nempe laudabilis hæc cura ad *Chriſtianos* etiam reges & principes tranſiit, poſteaquam artium ingeniorumque cultura librorum quoque colligendorum curam atque impenſam peperiſſet, inter mortua ſtudia revocaſſet & libros carie ſituque perituros reſtituiſſet. Leo X. itaque ſtatim hoc egit in Italia & poſt eum Sixtus V. Pontif. reſtaurata, & mirifice aucta Vaticana illa ſive Palatina Pont. Rom. bibliotheca, ob incomparabiles librorum antiquiſſimorum theſauros, variorum, utpote Angeli Rochæ, Onuphrii Panvinii, Franciſci Schotti, Antonii Cicarellæ aliorumque encomiis celebratam. Sic Ludovicus XII. Franciæ Rex, Bleſis ſuæ nativitatis oppido pulcherrimam conſtruxit bibliothecam, & magnam in ea librorum præcipuè hiſtoricorum copiam coacervavit. Nec minus Franciſci I. regis bibl. Fontebellenſis plurimis rariſſimisque codicibus inſtructiſſima fertur. Hodie Pariſiis duæ extant libris exquiſitiſſimis refer-

refertæ, quarum una in collegio regio, quod dicunt Navarræ, altera vero in monaſterio S. Victoris collocata. Apud Hiſpanos laudabile ſtudium emicuit Cardinalis Toletani. (qui inſtitutam à ſe Complutenſem academiam inſigni bibliotheca locupletavit,) regis Henrici VIII. apud Anglos; Florentiæ vero Laurentii & Coſmi Medicum; in Hungaria Matthiæ regis; qui bibliothecam ſuam, quam ex omni ſcriptorum genere confertiſſimam inſtruxerat, in amœniſſimo etiam templo conſecravit. Eandem laudem promeruit in Germania Maximil. I. Imp. Otto Henricus elector palatinus (cujus inſtructiſſima bibliotheca Heidelbergæ ante ferale nupérum bellum ſumma floruit celebritate, & MSS. cum multitudine tum bonitate omnem ante hac Europam provocavit, verum an. 1623. per vim Romam avecta, Allatio curante in Vaticanam tranſit,) & noſtro cumprimis tempore ſereniſſ. Princeps AUGUSTUS, Brunſ. & Luneb. Dux, de cujus ſummo erga literarum ſtudia affectu à nemine tam multa, tamque magna poſſunt prædicari, quin multa majora encomiis ſuperſint. De inſigni vero ac incomparabili fere biblioth. Auguſta peculiari quadam ad ill. Boineb. epiſtola *ita ſcripſit celeberr. Conringius*, ut (judice D. Hotting. c. II. bibliothecarii fol. 13.) *dignum omnino auguſtiſſimus princeps laborum ſuorum nactus ſit præconem. Mirum eſt unius ætatis bibliothecam ea accepiſſe incrementa, ut nata ſimul & ad ſummam perfectionem perveniſſe videatur. Vix decem luſtrorum labor eſt, qui alios, aliquot, diſpari ſucceſſu, occupavit ſeculis.* Cumprimis autem notanda ſeptem illa admiranda ſunt, quibus bibliothecas omnium maximas veteris noſtrique ævi, AUGUSTAM illam æquare imo ſuperare D. Conringius epiſt. p 43. ſeq. obſervavit. Nimirum quod I. authorem habeat principem, qui eam & collegerit & longe optimo ordine diſpoſuerit; II. Quod unus ille princeps, nemine ante hac præeunte & inceperit pariter Auguſtam ſuam, &

ad tam ſtupendam magnitudinem perduxerit. III. Quod ſuis omnia ſumptibus ex Germania, Gallia, Hiſpania, Britannia, Belgio; (trium locupletiſſimarum bibliothecarum, Marquardi Freheri, Curionum Patris & Filii, & Joach. Clutenii acceſſione facta) comparaverit. IV. Quod immenſa licet librorum inſtructa ſit multitudine; (voluminum ſcil. 28415. librorum vero ſeparatorum 116351.) Attamen V. præſtantiſſimorum gaudeat ſelectu; Nec non VI. accurata eorundem diſpoſitione, denique VII. egregia loci ſeu domicilii diſpoſitione, qui omnia ab auth. laud. prolixe ſunt commendata. Quis inſuper dignis celebret encomiis invictiſſimi noſtri IMP. LEOPOLDI. I. in reſtauranda bibliotheca Vindob. ſ. Viennenſi ſtudium, dum S. Cæſ. Maj. motu proprio eam curavit repurgari, inſtaurari, & in eum ſtatum reſtitui, ut & Deo Opt. Max. & ævo noſtro ac poſteritati omnimoda & prorſus incredibili utilitate poſſit inſervire, ſiquidem P. Lambecio lib. I. comment. de bibl. Vind. p. 71. memorante conſtat, & vel ex ſolo mille loculamentorum numero, ſi ſingulis loculamentis octogena tantum volumina aſſignentur, evidentiſſimè apparet, bibliothecam Cæſaream Vindobon. continere minimum octoginta millia voluminum. Ejusdem vero uberiorem deſcriptionem, cum univerſali omnium illius tam manuſcriptorum quam impreſſorum librorum catalogo intra paucos annos idem D. Lamb. exhibebit.

VI. Memoratione digna etiam videntur ea, quæ ante annos aliquot Italus quidam eruditus in deſcriptione archigymnaſii Romani ab Alexandro VII. papa perfecti, luſtrati, conſecrati, &c. (ed. Romæ 1661.) de novæ cujusdam bibliothecæ pontificiæ extructione verbis prodidit ſequentibus: "Quoniam mortua ſine libris, in quibus loquuntur mortui, "ſtudia literarum ſunt, ſtatuit Alexander bibliothecam in-"ſignem inſtituere, quæ cum operis magnificentia oculos

los alliceret, tum multitudine & varietate voluminum " mentes citra faſtidium erudiret: adjecto inſigni iconum " tabularum, ſignorumque ornatu, quo legentium animi " intermiſſu ſtudio honeſte oblectarentur, & refricata eo- " rum quæ intuebantur memoria, ad diſcendum ſtimula- " rentur: ut externa, quæ patent oculis placerent, & quæ la- " tent per oculos facilius in animos intrarent. Hanc vo- " luit publici juris facere ut vere Romana eſſet. Quamvis " enim claves apud miniſtros ſapientiæ futuræ ſint, cuſto- " diæ id, & curæ domeſticæ dandum; cæterum nemini clau- " denda, omnibus aperta & pervia futura erat, tum indige- " nis, tum peregrinis, quos invitare volebat ad habitandum " in libris, quos otio torpere, & ſitu & pulvere horreſcere " nollet; ac ut laxum eſſet hoſpitium, ampliſſimam juſſit " fabricari, ſinu capaciſſimo, ut literatum uterum ferret, " fœcunditatis librorum argumento: quorum ingens eſſet " vis, at non incondita, nec confuſa, ſed per pluteos certis " intervallis ordinatim diſpoſitos diſtributa, ut ſinguli ſuos " in thecis quos ligneæ faſciolæ interſtinguuerent loculos, " juxta facultatum, ad quæ attinerent genera occuparent. " Apertis feneſtris aliis in circum ad uberiorem lucis uſu- " ram projectis, aliis in viam, aliis in pergulam areæ immi " nentem obſcurioribus verſis. Tota ſic ædificata, & in- " ſtructa, ut cum ſtructura ornatus certaret. Hanc Ale- " xander condere voluit adoleſcentibus illicium, ſenibus " ſubſidium, otioſis ſpectaculum, occupatis diverticulum, " ſtudioſis negotium, ſibi glorioſum monumentum. Quare " in fronte bibliothecæ ſtatua Alexandri marmorea bicubi- " talis affabrè facta à magni nominis ſculptore Dominico " Guidi excelſo in ſolio collocata, pontificali eximio ha- " bitu eleganter expreſſo: ſolida, ſed tribus per intervalla " coronis diſtincta Tiara inſignis, lemniſcis hinc inde pen- " dentibus, ad majeſtatis auguſtæ ſpecimen compoſita viſi- "

tur,

„tur, læva librum aptè in loco præ ſe ferente, dextera ad „benedictionem porrecta, quaſi accedentibus fauſtitatem „impertiat, & ad ſocietatem ſtudiorum inviter. Adeo ut am„biguos ſpectatores reddat, utra magis alteram deceat, „aula effigiem, an effigies aulam? niſi quod hæc, animæ „inſtar, vitam bibliothecæ videtur præbere. Hanc ex voto „beneficii literarii cauſa concepto, Illuſtriſſimi Domini „Advocati Sacri Conſiſtorii, curante imprimis Rectore „Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Carolo Emmanuele „Vizzanio eruditi ingenii, grati animi, ac celſæ indolis „viro, recens fabricari, eoque loco erigi imperarunt, ad„dita hujusmodi, ſervatis idoneis inter lineas ſpatiis in„ſcriptione:

ALEXANDRO. VII.
PONTIFICI MAXIMO
QUOD POST URBEM à PESTILENTIA VINDICATAM
ET AD SUMMAM ELEGANTIAM,
NITOREMQUE MULTIPLICI OPERE
PERDUCTAM
POST EMENDATOS POPULI MORES
ET CLERI DISCIPLINAM DIVINUMQUE
CULTUM SANCTIUS ORDINATUM,
ALIAQUE QUAM PLURIMA LIBERALITER
POSITA ET SALUBRITER INSTITUTA
NE QUID
VEL AD CIVIUM COMMODITATEM
VEL AD AMPLITUDINEM URBIS
DEESSET:
LIBERALIBUS DISCIPLINIS
ET BONIS ARTIBUS PUBLICE ALENDIS
EXCOLENDISQUE
GYMNA-

GYMNASII ÆDIFICATIONEM ABSOLVERIT
BIBLIOTHECAM
INSTITUERIT, INSTRUXERIT DICARIT
SACRI CONSISTORII ADVOCATI
P. P.
ANNO M DC LX.

VII. At verò ea cura non imperatores ſolum, reges, pontifices Romanos aliosque principes occupavit, verum ad nobiliſſimas etiam respublicas felicitas iſta pertigit. Inter quas ex debito erga patriam adfectu primo loco merito celebramus *Auguſtanam*: Quæ bibliothecam bonarum artium ſtudiis, & doctorum hominum uſui extruxit An. M D LXII. Ampliſſima ea eſt, & ob inſignem rariſſimorum codicum græcorum MSS. (magno quondam ære ab Antonio Eparcho epiſcopo Corcyrenſi coëmptorum) copiam & varietatem, ut & Welſerianæ bibliothecæ acceſſionem in toto ferè orbe literato hactenus celebrata; nec carceris in modum ad ſepelienda in tenebris maximorum ingeniorum monumenta, ſed veluti publicum ærarium, ad ſublevandam omnium promiſcuè indigentiam deſtinata, eaque propter variis eruditorum encomiis paſſim huc usque deprædicata; Inter quæ eminet Michael. Neandri de biblioth. deperditis & noviter inſtructis, & celeb. D. Johan. Henr. Hottingeri, cap. II. bibliothecarii ſui fol. 14. ita ſcribentis: *Auguſtana bibliotheca ditiſſima eſt, MSS. Græcis cumprimis valde commendata. Catalogus eorum prolixus pridem editus eſt ab Hoeſchelio primum, poſtea Elia Ebingero manuſcriptum inter Muſculi habeo miſcellanea. Sed ab eo tempore multis numeris habemus abſolutiorem, quem tamen comparatu jam difficilem eſſe, amicus nuper ad me Auguſta ſcripſit. Vidi bibliothecam & magna cum admiratione obſervavi tanta ibi extare copia codices MSS. græcos, ut multis aliis palmam facile præripiat. Inſignes habuit bibliothecarios, Hieron. Wolphium*

Oetingenſem præter alios. Hodie curam ejus gerit vener. ſenex, rector gymnaſii Ann. meritiſſimus *Dn. M. Matthias Wilhelmus*, cui optimo quondam præceptori meo omnia minima maxima me debere ultro profiteor. Si ulli bibliothecario, certè huic noſtro illud Horatianum accommodari poteſt,

- - - ſuper omnia vultus
Acceſſere boni,

cum non modo, (ſicuti de Mediolanenſis bibl. cuſtodibus Paulus Bombinus ad Leon. Allatium ſcribit epiſt. Apibus Vrb. p. 40. inſerta) confluentibus ſingulis ſemper præſtò ſit, ſed ſingulari humanitate nullo tædio tam faſtidioſæ aſſiduitatis victus, omnibus occurrat, omnes juvet, cumprimis magno ſtudio *hujus quoque pomi*, nimirum *Vindelico-Auguſtani honorem*, bibliothecæ laudatiſſimæ incrementum & emolumentum procuret. Atque utinam (ſic cum CL. Ehingero è præf. Auguſt. bibl. catalogo 1633 ed. præfixa precor) magis ac magis illa efflореſcat, perduretque felix ad optatiſſimum usque redemptoris noſtri reditum! Cœterum Auguſtanæ noſtræ reip. laudabili iſto libros colligendi ſtudio haudquaquam cedere voluit illuſtris *Reſp. Norimbergenſis*: Præterquam enim quod (teſte Clariſſ. D. Joh. Sauberto in bibl. Norib. hiſtoria anno 1643. ed.) egregium hac in parte nobiliſſ. & celeberr. Senatoris Norici Bilibaldi Pirkameri emicuerit ſtudium, quo nulli vel ſumptui vel labori parcens; libros non ſolum excuſos, ſed & manuſcriptos multo plures, maximè græcos ſanctorum patrum, Baſilii, Nazianzeni & aliorum monumenta, nec non melioris notæ authores & librorum editiones de omnis generis diſciplinis & artibus comparavit; ſtatim poſt reformationem evangelicam Hieronymus Baumgartnerus eccleſiar. ſcholarumque præfectus de bibliothecæ alicujus publicæ ſerio cogitare cœpit initiis: Itaque libros ex cœnobiis translatos primum in muſeo Ægidiano (quod jam auditorium nominant,) deinde in monaſterio

præ-

prædicatorum loco valde idoneo quidem, ſed anguſtiore ædique contiguo locari juſſit, nempe ad veterum exemplum, qui ut ſtudia redderent ornatiora, librosque facerent commendabiliores, utque doctorum hominum cultum & venerationem augerent, bibliothecis non alibi quam in Deorum ſuorum templis locum dederunt. Fundamenta ſic bibliothecæ publicæ à patre feliciter jacta, filius defuncto ſubrogatus porrò ſtabilire & augere cœpit, & poſt eum nobiliſſ. & ampliſſimi ſcholarum curatores plurimi à D. Sauberto l. a. prolixe laudati, nihil quicquam intermiſerunt eorum, quæ ad conſummatæ bibliothecæ publicæ extructionem pertinere videbantur, quin & auctoritate ſua effecerunt, ut ſenatus conſultum de accumulandis libris publicis ederetur, & Doctoris Gabriel Mörderi ipſiusque Prætorii bibliothecæ maximam partem Norimbergenſi publicæ adjungerentur. Quinam vero in ea librorum MSS. theſauri præcipui ſint reconditi poſtea verbis D. Saub. indicabimus. Porrò de inclytæ *Baſileenſis* reip. bibliotheca idem mihi ferè dicere liceat, quod de Auguſtana D. Hottingerus l. a. pronunciavit: *Ditiſſima* eſt, & MSS. plurimis valde commendata; vidi anno 1661. ſæpiusque perluſtravi bibliothecam, & magna cum admiratione obſervavi tanta ibi extare copia codices MSS. varios (quorum deſignationem poſtea dabimus) ut multis aliis palmam facile præripiat. Quin & ipſe Hotting. cap. II. bibl. eandem egregio hoc celebrat elogio: bibliotheca Baſileenſis poſſidet ſuppellectilem ſede illa dignam. Non magno tantum numero libros ibi videas cujusvis facultatis (tum ex variis cœnobiis collectos, tum ære redemptos, tum à bibliopolis oblatos, initium liberaliter faciente Joh. Oporino) impreſſos, ſed & MSS. Græcos potiſſimum, ex quibus codex evangeliorum antiquus, cui mille alii, alii octingentos, aſſignant annos, habet in margine ſectiones, quibus dominicæ notantur lectio-

nes ſ. dominicalia, orientali eccleſiæ jam antiquitus exemplo ſynagogæ recepta. Ibidem Nili MSS. & Alcorani exemplar accuratum, una tantum & altera pagina mancum, aliaque plura ſemel atque iterum à me obſervata. Incredibile accepit incrementum ex bibliothecæ Amerbachianæ acceſſione, quam Ampliſſimus Magiſtratus, academiæ hoc demum anno (ſcil. 1664.) imitando liberalitatis exemplo, donavit. Ut enim Amerbachiana bibliotheca, inchoata quondam ab Eraſmo & Amerbachio, librorum ampliſſimæ meſſis fuit continuatio, ita certum eſt, hoc futurum auctario, ut librorum copia, Baſileenſis jam bibliotheca cum aliis multis paria ſit factura. Hactenus de ead. D. Hotting. Quo teſte etiam reſpublica *Bernenſis* magnum egregiæ bibliothecæ habet apparatum, non ex acquiſitis tantum longo tempore variis authoribus conflatum; verum etiam liberali dono bibliothecæ Bongartianæ, tam numero quam ſelectu & varietate librorum MSS. etiam commendatiſſimæ exornatum; *Ingens ibi MSS.* (inquit) *theſaurus, patrum ſcholaſticorum, hiſtoricorum, Francorum præſertim, & eorum qui de bello ſacro & terra ſancta ſcripſerunt, quin & biblia MSS. priſco Gallorum idiomate. Mantiſſam Hebraicorum MSS. D. Samuel Hortinus addidit.* Nec minus *Tigurinæ* reip. libraria ſuppellex iis crevit augmentis, ut nec ſitu loci (qui peninſula eſt) nec librorum varietate, nec numiſmatum copia iis cedat, quæ durationis & annorum non præcedunt prærogativa. *Extat in illam* (verba ſunt Hott. biblioth. p. 25.) egregium magni Venatoris carmen, *quod lexico noſtro Harmonico præfixi. Habet bonos aliquot ſcriptores hiſtoricos præſertim MSS. qui alibi non facile occurrunt &c. monumenta plurima poſſidet ſive* ἀυτίγραφα *ſive* ἀπόγραφα *multa* ἀνέκδοτα, *quibus numerum voluminum reſarcit. Theſaurus cumprimis auro contra charior eſt utrumque tum collegii Carolini, tum eccleſiæ cathedralis archivum. Illud antiquiſſimis imperat. regum, pontificum, cardinalium, privilegiis, immunitatibus;*

tibus; hoc reformatorum & per universum fere orbem celebriorum doctorum actis & gestis ἀνεκφόροις *copiosissimum.* Huc etiam pertinet oratio cultissima, qua vir magni & celeberr. nominis *Daniel Heinsius*, post acceptum bibliothecarii splendidum munus, amplissimos civitatis *Lugduno Batavæ* consules, & academiæ curatores est allocutus: dum præ- " cipue (inquit) maximisque opibus foris oppugnati " estis, tanquam rebus omnibus compositis domi trophæ " um erexistis, non è truncis arborum, aut lapidibus, non " ex ære aut victorum populorum spoliis, sed ex ipsa litera- " rum perennitate, & magnorum hominum ingeniis: qui " præclaris monumentis suis & laboribus, sibi gloriam & " decus, vobis nominis æternitatem pepererunt. De aca- " demia adhuc loquor: in qua sive partes videamus singulas, " fieri non potest, quin totius constitutionem admiremur: " sive totam simul videamus, quin præcipue eas admire- " mur, quæ ad totam constitutionem plurimum conferre " videntur. Nam cum alia aliis disciplinis ac artibus sint pro- " pria, unum omnium commune est: *Bibliotheca* nimirum, " quam totius quasi sapientiæ armamentarium, curæ dili- " gentiæque nostræ incumbere voluistis. - - - Equidem, " quoties hanc eruditionis sedem, hoc sapientiæ domicilium, " hoc literarum securissimum sacrarium, hoc denique ma- " gnarum animarum prytaneum, & quasi capitolium æter- " nitatis adscendo, quod præclara vestra liberalitate nobis " est commissum, toties de ambitione, quæ plerumque ma- " gnas mentes comitatur, triumphare soleo; non impera " torio habitu, cum armillis & lauro, nec sequente militum " manu, sed, astante tot illustrium ingeniorum exercitu, " quorum nomina immortalitati consecrata sunt, astante " omnis ævi omnium seculorum populo, qui aut græce aut " latine aut quocunque literarum genere aliquam sapientiæ " partem coluerunt. - - - Gratias ergo vobis nobiliss. am- "

plisſimique viri habeo, & ſi ulla referendi ratio excogitari poterit, ne de illa quoque cogitare deſinemus. Quicquid enim in divina hac muſarum æde & Apollinis oraculo, veſtris, quod hic neceſſario fatendum eſt, auſpiciis, labore autem noſtro atque induſtria inveniri feliciter, obſervari diligenter, accuratè annotari poterit, id omne laudi veſtræ atque exiſtimationi accedet. Et quandoquidem jam magnitudine animi reges imitari incepiſtis, quorum inſtituta hactenus probaſtis, eos voluntate quoque in hac diligentia æquate. Quantam etiam curam reip. *Ultrajectinæ* magiſtratus hoc ſeculo in publicæ cujusdam bibliothecæ extructione adhibuerit, ejus eccleſiæ paſtores & adminiſtri in præfatione catalogo biblioth. Trajectinæ (anno 1680. ed. præfixa verbis expoſuere ſequentibus: *Quandoquidem ampliſſimo magiſtratui urbis noſtræ, ad uſum & commoditatem literatorum placuit, clariſſimorum & ſpectatiſſimorum virorum DD. D. Huberti à Buchel Canon. D. Mariæ & D. D. Eberhardi Pollionis advocati illuſtriſ. DD. ordinum Trajectenſium p. m. bibliothecas reipublicæ & eccleſiæ noſtræ legatas, diverſaque alia veterum patrum & ſcholaſticorum recentiorumque doctorum monumenta, typis excuſa & manuſcripta, tam ex cœnobiis & conventibus adhuc reſidua, quam ipſorum dominorum liberalitate comparata, in unum quaſi theſaurum in choro templi D. Johannis non ſine magno ſumptu referre, omnino conſultum & è re frequentantium eſſe putavimus, ut non tantum libri iſti omnes in ſuas claſſes redigerentur, verum etiam exactus eorum catalogus typis excuderetur, ut eo commodius & majori cum fructu quilibet iis uti & frui poſſet. Eam ob cauſam laborem noſtrum in hunc finem lubentiſſime obtulimus & inſumſimus, ſperantes legentibus & frequentantibus tam fore utilem & gratum, quam nos ſine tædio illud quidquid eſt operæ præſtitimus &c.* Nimis longum foret reliquarum urbium atque rerumpubl. theſauros commendare librarios; Utpote

pote Aurelianenſis in Gallia, Oxonienſis in Anglia, (cujus bibl. ſi dicente Svertio in Athen. Belg. p. 51. fuerit ex conditoris Thomæ Bodleji Eq. aurati præſcripto benè adminiſtrata & gubernata, omnium totius orbis bibliothecarum luminibus facile obſtruxerit,) Salmanticenſis in Hiſpania, Tungerloanæ in Brabantia, latinis pariter ac græcis codicibus refertiſſima, juxta verſus, ibid. extantes:

Sive latina cupis, ſeu græcà revolvere, fonte
Hæc velut è largo bibliotheca dabit.

Sic Bononienſis reſp. duabus etiam biblioth. inſtructa perhibetur, quarum una ad Salvatorem, quinquaginta pulpitis hebraicis, græcis, latinisque libris ornata, altera ad Dominicum, major ſed non melior plurimis jurisconſultorum libris referta aſſervatur. Utriusque deſignationẽ cum in libello nuper Venetiis allato, cujus tit. *Minervalia Bononienſia* (ib. 1641. ed.) contineri credidiſſem, nil præter ſcriptorum patria Bononienſium, ut & pictorum ſculptorumque antiquorum ejusd. civit. prolixum catalogum deprehendi. Neapolitanarum quoque bibliothecarum aliquot ab authoribus fit mentio, quarum primaria ſit S. Dominici, quæ Joh. Joviani Pontani non pauca poſſideat monumenta ab Eugenia filia donata; reliquæ vero ad S. Catharinam, ad S. Mariam, ad S. Petrum Martyrem, ad S. Mariam Oliveti, ad S. Johannem Carbonarii, (ubi integra adhuc Card. Seripandi biblioth.) inveniantur. Nec denique prætereunda memorabilis Jacobi Philippi Thomaſini epiſcopi Æmonienſis de bibliothecæ *Patavinæ* extructione relatio, quæ prolixe de ſereniſſ. reip. *Venetæ* erga librariam rem affectu teſtabitur: Poſt „ viridarium (ſcribit ille lib. I. Gymn. Patav. c. 73.) publicum „ nihil magis agitabat ſenatorum animos, quam de extru „ enda Patavii bibliotheca, quod tandem ſummis precibus „ excitante & exhortante Felice Oſio Mediolanenſi artis orat. „ PP. librorum avidiſſimo, prompti ingenii viro clariſſ. & „

ſtudi-

„ ſtudioſiſſimo ſancitum eſt. Adminiculante potiſſimum &
„ procurante Dominico Molino, qui tunc gymnaſii mode-
„ rator erat. Senator equidem graviſſimus literatorum
„ ocellus vere & moecenas ampliſſimam jam bibliothecam
„ congeſſerat, totusque in librorum delectationem fereba-
„ tur & in literatorum converſationem. Fruimur hodie
„ ejus fratre Franciſco ſereniſſimæ reipublicæ Venetæ duce.
„ Ego cum Oſio mihi amiciſſimo plura de loco, de pecuniis
„ pro ædificio, pro ejus augmentatione, conſervatione &
„ delectu ampliſſimis moderatoribus propoſui. Quibus fere
„ omnibus communi patrum conſenſu anno M DC XXIX. pro-
„ batis, bibliotheca pro gymnaſii ſplendore fuit aperta,
„ præfecto ipſius Felice Oſio. De loco bibliothecæ plurimum
„ diſputatum fuit: Alii prope gymnaſium: Alii in vico S.
„ Crucis in palatio magnifico Prioli: Alii in ſcholis ipſis:
„ Quidam in palatio nobilium de Collaltis æſtimabant con-
„ ſtituendam. Locus tandem ſelectus eſt in ædibus Jeſuita-
„ rum, & quidem in ſcholis eorundem patrum. Delicias præ-
„ bebat plurimas loci amœnitas, ædium majeſtas, con-
„ ſpectus extra urbem, & fluentium aquarum ſuave mur-
„ mur, cum ſpacioſis deambulationibus periſtyliorum &
„ arearum cum hortis, plantis & vineis undique conſitis.
„ Verum hic Apollinis & muſarum videbatur domicilium.
„ Supra oſtium fuit denuo erectum leonis ſimulacrum
„ cum tali inſcriptione:

BIBLIOTHECA
GYMNASII PATAVINI
SERENISS. REIP. VENETÆ DECR. CIVIUM
ET EXTERORUM COMMODIS E.
SALUTIS ANNO M DC XXXI.
FRANCISCO ERITIO PRINCIP.
PRÆT. VINCENTIO CAPELLO. PRÆF.

PETRO

PETRO SAGR. GYMNASII III. VIRIS.
FRANCISCO MAUROCENO PROC.
HIERONYMO CORNELIO EQ. ET PROC.
DOMINICO MOLINO.

Anno itaque M DC XXX. paratis ſubſelliis bibliothecam Bartholomæi Silvatici J. C. celeberrimi & à conſil. reip. Venetæ à Benedicto Silvatico equite primario medicinæ practicæ prof. dono reip. datam, hic collocarunt: quo tempore peſtis urbem Patavinam vexare ceperat, quæ indies fulguris in modum aucta, plebem & cives percutiens, clariſſ. gymnaſii profeſſores eripuit, inter quos etiam Felix Oſius occubuit, dum bibliothecæ pluteis conficiendis præeſſet. Pervertit hæc mortalium clades bibliothecæ opus, ejusque incrementum, extinctoque ſub ejus primordiis parente elanguit, clauſisque januis viduata diu permanſit. Urbe tandem Dei benignitate liberata, placuit illuſtriſſimo Aloyſio Valaresſio equiti civitatis præfecto, nunc vero D. Marci procuratore, bibliothecam hinc transferri in cœnaculum præfecti amplisſimum, quod vulgo a picturis pulcherrimis *heroum* appellatum, *il ſalone dei giganti*, paratis novis ſubſelliis, & pluteis pro libris collocandis, quorum ſuppellex aucta eſt dono Cæſaris Cremonini, qui ſuos libros & MSS. huic loco legavit. Huc etiam translati Bartholomæi Soveri profeſſoris mathematum celeb. libri ſcripti, quibus patrui ſui Pompej. Caimi Utinenſis profeſſoris medici bibliothecam Jacobus nepos J. C. & prof. publ. addidit. Oſtio hæc inſcriptio appoſita:

Η ΟΠΛΟΘΗΚΗ ΑΘΗΝΑΣ
EX S. C. AD ÆDEM D. MAR. MAGDAL.
PRIMUM
POSITA { FRANC. MAUROCEN. D. M. P. / HIERON. CORNELIO EQ. ET D. M. P. / ET DOMINICO MOLINO } R. L. III. VIR.

X VIN-

VINCENTIO CAPELLO PRÆT.
ET PETRO SAGREDO P. V.
UT IN HANC BASILICAM REDIGERETUR,
SUCCESSIT ALOYSIUS VALARESSUS
EQ. P. V.
FRANCISCO MAUROCENO D. M. P.
HIERON. CORNEL. EQ. ET D. M P.
ET PETRUS FOSCARENUS
AUCTORES FACTI
M DC XXXIII. KAL. OCTOB.
FRANCISCO PISANO PRÆTORE
ALCYSIO VALARESS. EQ. P. V.
SENATUS VENETUS
MUSIS EUGANEIS
ANNO DOMINI M DC XXXII.
FRANCISCO ERICIO DUCE.

Bibliothecæ curam nemine tunc ambiente, eam Alexander Syncliticus JC. prof. legum primarius aucto sibi salario florenorum centum obtinuit, addito custodis titulo Paulo Frambolto bibliopola. Sed ut vir erat omnium literarum peritissimus, sic ad bibliothecæ calamitatem accessit, quod ille senectute & studiis occupatissimus longo tractu à præfecti curia abesset, ut vix eam bis in anno inviseret. Ita sacrum hoc ærarium semper clausum frustra videbatur erectum, aliarumque commodis parum utile. Anno M DC XLVII. defuncto Synclitico, plurimis viris clarissimis munus id frustra petentibus, Octavio Ferario artis orator. prof. celeberrimo oblatum fuit, à cujus diligentia non minus incrementi, quam à singulari eruditione præsidii decorisque merito expectamus; quandoquidem in conservationem & augmentum bibliothecæ decretum fuerit, quod quilibet laureæ candidatus & præterea in collegium quodcunque universæ ditionis Venetæ recipiendus, duos solvat coronatos

natos argenteos, profeſſores quoque recens acciti, aut in aliam cathedram translati, honorarii decimam in eundem uſum pendeant. Hæc dicto loco Tomaſinus, à quo alias in tractatu de bibliothecis Patavinis MSS. publ. primo loco commendatur bibl. Zœnobii S Johannis in viridario, MSS. codd. inſignis, qui relicti ex teſtamento clariſſ. virorum, & in primis Petri de Montagnana, Baptiſtæ de Lignamine, Joh. Marchanovæ, Hieron. de Montagnone, Galatiæ de capitibus, Liſtæ & aliorum. Secundo biblioth. Cœnobii S. Juſtinæ pervetuſta, quam à D. Placido Pavanello Pat. Monacho Eugenii IV. familiari & epiſcopi Torcel. ſtudioſe conquiſitam, huic zœnobio legatum fuiſſe teſtatur Jacob. Cavacius libr. V. hiſtor. hujus cœnobii. Eam poſtea diverſis juris-conſultorum ſcriptis auxit Jacobus de Zocchis jur. P.P. additis in chori ſubſtructionem ex teſtamento mille ducatis aureis. Tertio bibl. S. Auguſtini, quæ præter numeroſos auctores editos paucos MSS. codd. (de quibus infra) exhibet. Memorantur inſuper ibid. minores bibliothecæ aliquot publicæ, ut:

D. Mariæ Prataleæ octavo ab urbe lapide.

S. Antonii in cœnobio, templo D. Antonii adjacente, imaginibus inſuper clarorum virorum exornato.

S. Franciſci in cœnobio F. F. conventualium minoris obſerv. juxta templum Franciſc.

S. Urſulæ perexigua FF. conventual. extra portam qua Venetias itur, &c.

Patrum ord. Eremitan. cujus melior pars temporis injuria abalienata, reliqua tineis corroſa.

Biblioth. divæ Mariæ montis Ortoni ſeptimo ab urbe lapide, editis libris mediocriter, MSS. parum inſtructa.

Denique biblioth. clericorum regularium, qui vulgo Theatini vocantur, in qua pauci codd. MSS. videantur.

Cæterum quantopere cura hæc bibliothecaria ſereniſſ. rempubl. Venetam occupaverit, etiam ex alio ejusdem Thomaſini de bibliothecis *Venetis* publicis & privatis libello Utini 1650. edito, abunde colligitur. Principem inter eas locum obtinet bibliotheca *S. Antonii*, editis pariter ac MSS. libris egregie inſtructa. ſupra oſtium legitur: *Dominicus Cardin. Grimanus Antonii Principis Fil. bibliothecam hanc publicæ poſuit commoditati.* Secundum locum bibliothecæ SS. Johannis & Pauli (ſupra cujus oſtium: *Viris Illuſtribus condita Domus*) Tomaſin. attribuit, & cum accurata MSS. in iis (aliisque minoribus biblioth.) exſtantium deſignatione, *Barocianæ* catalogum ut & librorum à cardin. Beſſarione reipubl. Venetæ legatorum indicem longe perfectiorem quam olim à Poſſevino & Gregorio Sozomeno editum, cum ſolenni donationis illius formula exhibuit.

VIII. Quemadmodum vero inſtituto adeo laudabili egregia hæc regnorum atque rerumpublicarum ornamenta collecta ſunt atque aſſervata, ita præcipua plerumque circa *manuſcriptos codices* cura emicuit, quos viri magni, ſumtibus magnis, nec minori ſtudio conquiſiverunt undique, non ut parietes ornarent, ſed ut & publico inſervirent bono, & ad eorum plerosque tanquam autographos, ſummaque diligentia calamo exſcriptos, edendi libri examinarentur. In ſolis quidem *manuſcriptis* codicibus non omnem bibliothecæ cujuslibet eximiæ bonitatem & perfectionem collocatam eſſe celeb. D. Conring. recte exiſtimat: *neque potior quidem pars perfectionis* (ſcribit in epiſt. de biblioth. Aug. p. 108.) *in iis eſt ſita, quoniam potior ſtudiorum uſus ab iis peti non poteſt. Ad hoc magna quidem doctrinæ omnigenæ pars per græcorum quondam & latinorum ſcriptorum monumenta ad nos devenit, atque ex iis hodieque maximo capitur cum emolumento; Sed cum græcorum tum latinorum illa pleraque, ſaltem optima quæque jam curantibus viris præclaris typis ſint edita, ut ad illa quidem manuſcripta*

ſcripta recurrere ſapientiæ hauriendæ cauſa non ſit neceſſum, ſaltem horum MSS. pretium longe jam ſolito vilius eſt. Attamen maximam codicibus aliis præſertim vetuſtioribus reverentiam deberi, cum ipſo D. Conringio eruditi plurimi uno ore fatentur. Quemadmodum enim aqua, quæ in fonte ſuo hauritur, dulcior & purior vulgo exiſtimatur; ita doctiores eos potiſſimum manuſcriptos codices hactenus magnifacere conſveverunt, qvi vel ipſorum auctorum manu exarati, vel ab iisdem recogniti fuerint. Sic D. Hieronymus (lib. de ſcript. eccleſ.) teſtatur, ſe Pamphili Martyris ſcripta ipſius manu notata cuſtodire, atque omnibus anteferre Crœſi theſauris. Ptolomæus Philadelphus non prius alimenta ſuppeditavit Athenienſibus laborantibus annonæ penuria, quam ſibi tragoediarum Sophoclis, Euripidis & Aeſchyli *autographorum* poteſtatem feciſſent, pro quibus tamen præter vectigalium immunitatem, quindecim talenta iis oppigneravit, eadem poſtea cum exſcriptis exemplaribus eis dono dedit. Eadem erga literas propenſione atque manuſcriptorum codd. æſtimatione Alphonſus Aragonum rex de extruenda bibliotheca admodum ſollicitus, recepit à Cosmo Mediceo Florentinorum principe, quas dono offerebat Livii decadas; idemque a Venetis ſummi muneris loco brachium Titi Livii obtinuit, uti publica Patavinorum documenta teſtantur. Idiographum Virgilii de quo Gellius (lib. IX c. 14.) quis non magni æſtimet? ſi referente Hercule Ciefano in vita Ovidii, Iſabella Pannoniæ regina Angelium Bargæum nobilem poëtam oſtenſo tantum Ovidii Naſonis calamo, in quibusdam ruinis haud multo ante reperto maximo affecit gaudio, quanta lætitia ac voluptate monumenta ipſa literaria, propria magnorum virorum manu notata erunt excipienda.

IX. Quandoquidem vero ea felicitas raro contingere ſoleat, ut bibliothecarum præfecti de ipſorum auctorum

præſertim antiquiorum manu exaratis codicibus gloriari poſſint, hinc illi quoque nec immerito magno conquiruntur ſtudio, qui finitimi ſunt auctoris temporibus, vel qui ante longa ſeculorum decurſa tempora conſcripti atque adornati, quales in quibusdam orbis Europæi bibliothecis plurimi hactenus aſſervati, aque viris ſummis magnopere æſtimati, imo præ aliis nonnunquam muneribus ſplendidiſſimis ſunt exoptati, id quod magni illius Capnionis exemplum comprobat egregie: miſſus eſt aliquando Joh. Capnio Phorcenſis ab Eberhardo Barbato Wurtenbergenſi Principe ad Cæſarem Fridericum III legatus; cumque ſibi ſicuti & cæteris legationis ſociis oblata eſſent pretioſa munera, phialæ aureæ, equi magnifice ſtrati, & id genus alia, Capnio nil niſi antiquiſſima hebraica eleganter ſcripta accepit biblia, eaque pluris fecit, quam cuncta alia aurea, quamvis imperatoria donaria. Eadem erga ſacra volumina vetuſtiſſima manu exarata voluntas præclare emicuit in Johanne *Weſſelo* Groningenſi (vulgo *Lux Mundi* appellato, quod tenebras ſeculi barbari eruditionis lumine diſcuteret.) Eum cum ob ſingulares animi dotes Sixtus IV. Pont. ad ſe attraxiſſet, & in hunc modum compellâſſet: Fili, pete, â nobis quod vis, nihil tibi negabimus, quod & noſtram æſtimationem & tuam conditionem decebit, libere ille reſpondit; ſanctiſſime Pater, Patrone clementiſſime, non eſt quod ego ſanctitatem tuam multum gravem. Res magnas nunquam quæſivi, ut ſcitis, ſed quoniam vos nunc ſummi in terris pontificis & paſtoris perſonam ſuſtinetis, rogo ut ſecundum nomen ſit etiam laus veſtra; & ita adminiſtretis iſtam tantam veſtram functionem, ut cum venerit magnus ille paſtor ovium, dicat, euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium domini tui & vos intrepide poſſitis dicere, Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuper lucratus ſum. Reſpondit Sixtus; hæc nobis

curæ

curæ erunt, tu pro te aliquid pete. Rogo ergo inquit Weſſelus ut mihi detis ex bibliotheca Vaticana *Graeca & Hebraea Biblia*. Ea inquit Sixtus tibi dabuntur: ſed tu ſtulte, quare non petis epiſcopatum aliquem aut ſimile quippiam? reſpondit Weſſelus, quia iis non indigeo. Atque hæc ipſa biblia Ebræa diu Groningæ hæſiſſe apud virgines ſpirituales, eorumque hodie quædam fragmina ſupereſſe, ſcriptor vitæ Weſſelianæ (cui totam hanc debemus relationem,) ſancte teſtatur. Cæterum, licet vetuſtiſſima volumina merito plurimi ſint facienda, attamen nemo facile inficias iverit, alia recentiora etiam, inter bibliothecarum theſauros eſſe numeranda, præſertim ſi nunquam prælo typographico ſint ſubjecta. Quamvis enim credibile videatur, optimum quemque autorem jam juris publici factum eſſe, â quo tempore ars typographica inventa, cum tamen quotidie eruantur è ſitu & tenebris inæſtimabiles theſauri literarii, qui hactenus delituerant, hinc tanto majori ſtudio reliqui, facta catalogorum ſive indicum copia ſunt conquirendi, recognoſcendi & vel â bibliothecarum præfectis vel eruditis aliis ad Dei Opt. Max. gloriam, eccleſiæ & rei literariæ emolumentum in lucem emittendi. Sane quisquis illa literariorum fœtuum velut emortua cadavera è ſuis ſepulchris, ipſorumque autores eruditiſſimos longa oblivione ſepultos ad vitam & lucem revocat, magnus is Aeſculapius, atque inter heroas literarios merito numerandus videtur. Quanto id ſtudio D. Hieronymus præſtiterit, ipſius ad Florentium epiſtola teſtatur egregie. Quanta porro vel ex ſola MSS. codicum cum exemplaribus editis collatione, noſtro & ſuperiori ſeculo in ſacram & literariam rem commoda redundaverint, dicere haud conabor. Qui vero absque MSS. codicum ſubſidiis magnos autores edendos ſive illuſtrandos ſibi ſumunt, nihil certe faciunt aliud, quam quod ludibrium doctioribus debitum temerarii ſolvant. Hi enim

(ver-

(verba sunt Henr. Ernstii ex præf. Cat. Flor.) quid possunt, nisi quod longissimis suis explanationibus coacervatisque sententiis bonos autores onerent, lectoribusque molestiam creent, & quæ non intelligunt, mendosa existiment, temereque mutent? cum contra alii in rebus dubiis ad MSS. codices & antiquissimos impressos libros, quos publicæ bibliothecæ conservant, & inspiciendos præbent, tanquam ad oracula quædam tutissime confugiunt, ex iisque veras lectiones restituunt. Lotharius imp. (referente Car. Sigonio lib. XI. de regno Ital. fol. m. 270.) Innocentium II. Pont. reducens, & Rogerium Siciliæ regem, qui Anacleto II. Antipapæ faverat bello persequens, Salernum bello mari oppugnabat, Pisani 46. triremes omnibus rebus instructas, eisdem littoribus admoventes, infestam omnem maritimam habuerunt. Pridie Nonas Augusti cum adorti Amalfim essent, urbem primo impetu expugnarunt: ex omni autem præda urbis nil nisi rem unam eximii loco beneficii à Lothario petierunt; hoc fuit *juris civilis Pandectarum volumen*, olim â Justiniano imp. conditum & antiquis admodum literis exaratum, quod in hanc diem Pisis Florentiam translatum, ibi magna (ut ita dicam) servatur religione, *tanquam remedium infinitorum errorum*, quibus ita scatent libri juris, ut sæpe nullus à doctissimis vel ingeniosissimis interpretibus sensus elici possit. Id cùm priscis etiam temporibus optimi prudentissimique imperatores Theodosius & Valentinianus intelligerent, lege caverunt, ut si quid incerti apud jurisconsultos occurreret, id codicum collatione firmaretur, uti videre est in lib. I. Cod. Theod. de respons. prud. Neque tamen longam meretur commendationem criticorum nonnullorum & morosulorum Aristarchorum studium, qui in librorum censu & recognitione se putant cœlo novum sidus addidisse, vel labem aliquam in sole factam repleviſſe, cum unam vel alteram nullius momenti voculam ex MSS. codicum

cum fide vel addendam vel demendam pronunciant, his plerumque uſi verbis: in codice MSS. illuſtris viri aut amici mei Titii vel Sempronii non legitur ac, ſed &; non *attamen*, ſed *tamen*; & de hujusmodi nugis centurias inſtruere, infinitasque ſimilium futilitatũ lectiones nobis afferre non dubitant, de autoribus priſcis imo univerſa re literaria ſe præclare mereri exiſtimantes. Haud immerito noſtræ ætati gratulabimur, quod archetypas illas nugas (quondam putidius captatas) contemnere cœperit. Longe majorem præſtantioremque MSS. codd. fructum laud. Ernſtius in Lactantio emendando percepit; elegantiſſimum (ait ille d. l.) maximeque pium hunc ſcriptorem cum ab indoctis hominibus graviſſimi erroris reum accuſatum viderem, ac ſi docuiſſet, Deum aliquando eſſe cæpiſſe; manu exaratum librum inſpexi, in quo pro: *Fieri non poſſe quin id, quod ſit, aliquando eſſe cœperit*, expreſſis literis ſcriptum reperi: *Fieri non poſſe, quin id, quod factum ſit, aliquando eſſe cœperit*. Ita CL. Ernſtius.

X. Quo cum & ego (liceat pace benevoli lectoris haud impertinentem facere digreſſionem,) vix credam dulciora dari poſſe ſolatia, quam ſi dubii, in bibliothecis omnem antiquitatem ſacram & profanam percurrimus, â mutisque illis ac fidelibus conſiliariis, & intellectus noſtri rectoribus, ſine fuco quod dicitur & fallacia ad omnem veritatem, per eamque in reipubl. commodum erudimur. Egregie Plinius Secundus ſingularem hanc felicitatem, & quicquid inde boni naſcitur Minutio Fundano his verbis commendavit: *nulla ſpe, nullo timore ſollicitor, nullis rumoribus inquietor, mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam ſinceramque vitam! o dulce otium! honeſtumque ac pene omni negotio pulchrius, ô mare! o litus, verum ſecretumque μουσεῖον, quam multa invenitis, quam multa dictatis! proinde tu quoque ſtrepitum iſtum inanemque diſcurſum & multum ineptos labores ut primum fuerit occaſio relinque, teque ſtudiis vel otio trade. Satius enim eſt, ut Attilius noſter eruditiſſime*

simul & facetissime dixit, otiosum esse quam nihil agere. Sicuti etiam duabus rebus, quæ languorem afferunt ceteris, acui consveviſſe animum Scipionis Africani Senioris M. Tullius (lib. III. de offic. c. I.) tradidit, *otio* nimirum & *solitudine*; sic enim inquit: requiescens à pulcherrimis reip. muneribus otium sibi sumebat aliquando, & à cœtu hominum ac frequentia interdum tanquam in portum se in solitudinem recipiebat, dicere solitus, *nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset.* Et tane constat, summorum virorum præstantissimas actiones semper in seductu fuisse, eosque cum Scipione nunquam minus fuisse otiatos, quam cum maxime otiarentur. Non tamen ipse solus hoc otii laborioſi arcanum tradidit, *nam* (inquit Ambrosius lib. III. de offic. cap. 1.) *scivit ante ipsum Moses; qui cum taceret, clamabat, cum otiosus staret, prælabatur, loquebatur in silentio, & in otio operabatur;* scivit & ante ipsum Socrates, qui tantum animi tranquillitatem optans, inter libros suos & chartas sedebat, cum nil præter Alcibiadem Atheniensis loquerentur, & flagrantem adolescentis animum sors nimia adulatione inflammaret, tutus inquam & securus sedebat, qui ætatem omnem animo complexus, totam vitæ ac fortunæ rationem subducebat; scivit cum ipso Cicero II. Tuscul. scribens: *quid possum nihil agens agere melius?* Et Synesius dum (ep. 100.) hominis eruditi otium agrum frugum honestatis & ingenii feraciſſimum appellavit; scivit post ipsum Tertullianus; *secessi,* (ait lib de pall. c. 5.) *à populo, imo unicum mihi negotium est, nec aliud nunc curo, quam ne curem; vita meliore magis in secessu fruare, quam in promtu;* scivit vetustissimis etiam temporibus *Thucydides,* qui cum uxorem divitem ex Thracia oriundam duxisset, opes ejus non in voluptates, sed in *otium literarium* erogavit. Bellum enim Peloponeſ. in seductu scribere aggressus, tempore quo illud gerebatur, Athenienſibus pariter ac hostibus Lacedæmoniis mili-

militibus, qui bello intereſſent, mercedem præbebat, uti res quotidie geſtas ei renunciarent: quas fidelius accipere ſperabat, ſi non ſolum ab amicis, verum etiam ab inimicis doceretur. Et noſtro etiam ævo id ipſum egregie calluit magnus ille Angliæ cancellarius Franciſcus Baco Verulamius, qui extremum vitæ ſuæ quinquennium â negotiis civilibus & vita activa retractus, vel potius invidia procurante ab officio ſuo remotus, ſtudiis & egregiis inſumſit contemplationibus, quo temporis ſpatio, gaudens *otio illo literario*, librorum ſuorum tam Anglicano quam Romano ſermone conſcriptorum maximam partem exaravit, conf. vitæ hiſtor. operibus Francof. 1665. ed. præfixam. Nec denique ignoravit D. Heinſius, dum magnam humanæ felicitatis partem in hoc otio collocavit; *egone enim* (inquit orat. ad Cur. Leid. ſupra laud.) *aurum aut honores avide reſpiciam, qui quocunque me convertam, nihil præter animorum monumenta magnis viris ſupereſſe videam, corporis vero notas ne extare quidem usquam, ceterorum autem vix memoriam aut nomen ad poſteritatem pervenire. Me profecto ne movere quidem illa poſſunt, qui cum in tranquillitatis hoc aſylum me ſubduxi, quicquid reliqui ſperare poſſunt, avide obliviſcor. Si quis quærat, cur tam pauci ita ſe exerceant, breviter id dicam: paucis vacat. Alii in aulis quippe vivunt, in corrupta republ. alii: alii in foro, ubi ſenſus animum, animus mentem involvit, ne intenta eſſe bono ſuo poſſit. Quod ſi rhetorem in caſtris, dialecticum in foro, mathematicum in via meditari poſſe exiſtimamus; credam eos quoque intentos eſſe poſſe, qui ſic vivunt. Illa vero pars divina cum â corpore abire non poſſit, quantum poteſt, ab hominibus recedit: & cum ſola ſecum ipſa vivit, nulli quicquam invidere poteſt. Cum placere ſibi cœpit, omnes voluptates præ ſe ſpernit: veram enim ſolidamque invenit. Equidem ut de me rurſus dicam aliquid, rempubl. hanc meam cum aſpicio, cui me præeſſe voluiſtis, cum illuſtres illos cives hic contemplor, quorum corpora naturæ con-*

ceſſerunt, ceterum imago animorum in hoc ipſo eſt concluſa, fieri non poteſt, quin hilaritate maxima perfundar, quin tranquillitatem meam regnis aliorum & potentiæ opponam. Nam ſi nemo civitates ſuas ita unquam potuit munire, ut cum hoſtes excluſiſſet, curas quoque arcere poſſet; longe me feliciorem qui apertis regni mei foribus, & tutus & ſecurus vivam. Quod ſi inſtitutum noſtrum & hanc vitam, quidam ſemiliterati aut in foro aut alibi contemnunt, qui aut prehenſando aut curſando, aut facundiam locando diem conſumunt; ſic profecto pares jam ſumus. Quippe niſi hos vicissim contemſiſſem, nunquam ab eorum inſtituto recedendum mihi putaſſem. Hucusque D. Heinſius. Quod vero ſummos ac egregios viros, maximorum negotiorum mole preſſos, ſæpius ipſe audivi gementes: *mihi vivere non licet*! heu me infelicem! utinam vel biennali gaudere poſſim ſeductu! ô ſi aliquando otioſum eſſe contingeret! non quidem ut ignaviter in otii ſtudioſi diverſorio vitam tranſigant, ſed ut eo magis ſibi aliisque laborare queant, ad maximi ſcil. Senecæ exemplum, qui de vacatione & quiete intra muſei ſui parietes differens; *poſterorum*, (inquit) *negotium ago, illis aliqua, quæ poſſint prodeſſe conſcribo, in hoc me recondidi & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſim. Nullus mihi per otium dies exit, ſtudiis vindico, non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo &c.* quæ ſane maxima in otio eſt occupatio, ex qua facile apparet, illum æque ac Scipionem nec otioſum in otio, nec ſolum in ſeductu unquam fuiſſe. Quodſi (ita rurſus Heinſ. l. d.) otium atque ignaviam matrem eſſe vitiorum recte â prudentibus viris proditum eſt memoriæ, nihil occupatione illa fructuoſius excogitari poteſt. Nam quemadmodum in ſylva ſemper aut putandum aut cædendum, aut plantandum denique eſt aliquid, ita in hoc publico ſcientiarum penu ſemper invenire poteſt animus quod agat. In quam ſententiam etiam illud quadrat Theophraſti, merito laudatum â D. Hieronymo lib. I. in Jo-

in Jovin. Sapiens habet ſecum omnes, qui ſunt, qui unquam fuerunt boni, & animum liberum, quocunque vult, transfert, quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur, & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, *nunquam minus ſolus erit, quam cum ſolus fuerit.* O celebriorem omni frequentia ſolitudinem hominis ſapientis, numeroſo præſtantium ſcriptorum in bibliothecis degentium comitatu ſepti! haud ſane ei magnopere deſiderandam eſſe exiſtimo ſocietatem corporum, cui ſua bibliotheca providet ſocietatem animorum. Mirifice ſemper placuit egregium illud *Sinarum* quorundam inſtitutum, qui peculiari quodam vitæ genere ſapientiæ ſtudium profitentes (teſte Nicol. Longobardo in epiſt. anno 1598. conſcripta) apprime ruſticanos probant ſeceſſus, & loca petunt ſolitaria luminis naturalis contemplandi gratia, ſeque ipſos reformandi, & quaſi recoquendi, atque (ut ipſi loquuntur) in priſtinum illum ſtatum reducendi, in quo â cœlo creati fuerunt. Eandem ob cauſam (ait) florent apud eos multis in locis cœtus quidem literatorum, qui fugientes aulæ regiæ occupationes, atque humeros muneribus publicis ſubducentes, quieti degunt in oppidis. Unde apparet eos haud adeo cœcos eſſe, quin clare videant ſcientiæ & probitatis fruges in ſolitudine colligi uberrimas. Neque is ſolitarius vocandus, qui cum parentibus ſcientiarum, cum theologiæ antiſtitibus, cum claris juris interpretibus, cum mundi archiatris, cum ipſis denique ſcientiarum omnigenarum parentibus totos dies noctesque verſatur. Quid utilius atque præclarius familiariter uti omnibus omnium ætatum ingeniis præſtantiſſimis, & priſcorum temporum rebus geſtis intereſſe, omnemque coram ſe in muſeo ſiſtere antiquitatem? *quam utile eſt ingredi Moſis exemplo in nubem!* eleganter & vere dixit D. Greg. Nazianzenus orat. 41. ego, (inqvit) quod ad me attinet, ſubduxi me parumper ab hominum commercio, ut introſpicere in me

ipſum, & excuterem mentem meam, qualis ſim in frequentia: & ſi quid à me perperam dictum factumque, ne rurſus eveniat, proſpicerem.

XI. At vero ne extra gyrum egredi videar, & relinquere id, quod præfixus de manuſcriptorum & catalogorum uſu ac pretio titulus innuit; neminem ægre laturum exiſtimo, quod de nova quadam theologicorum codicum deſignatione in lucem edenda fuerim ſollicitus, nec te lect. caud. facile inculpaturum meum hocce in adornanda peculiari MSS. bibliotheca ſtudium, tuo duntaxat bono atque emolumento ſuſceptum, nimirum ut ex eo colligas atque perſpicias, quænam in præcipuis orbis Europæi bibliothecis MSS. inveniantur theologica, quæ etiam ſacris ſcriptoribus ſive edendis ſive illuſtrandis inde ſperanda aut petenda ſint ſubſidia. Ne quæras igitur diutius, quid nuda hac titulorum opus ſit recenſione, quæ commoda aut emolumenta inde ſperanda ſint ſive exſpectanda? quid aſpectus juvet ſi uſus non concedatur? ut enim taceam, quæ de catalogorum ſeu indicum neceſſitate pariter ac utilitate ab aliis notata accepimus, unum illud vehementer hic afficere omnes literarum cultores poteſt & debet, quod indicum beneficio compluribus, imo reipubl. omni literariæ poſſit demum innoteſcere, quos codices liceat ex celeberrimis iſtis bibliothecis exſpectare & promere in commodum eruditionis. Qui literariæ rei uſus eſt reapſe unicus, ſaltem potiſſimus inter prudentes, tantæ librorum collectionis ſcopus atque finis. Eaque propter illud ſummis votis (interprete Fr. Schotto itiner. part. II. c. 10. p. 146.) optant atque efflagitant viri docti, pontif. Max. beneficio indicem librorum græcorum & latinorum (bibl. ſcil. Vaticanæ) bono publico edi, atque evulgari; *ſic enim* (ait) *fieret, ut inflammati eruditi, qui ad veteres ſcriptores illuſtrandos animum appellunt, frequentes Romam venirent: prodirent innumerabiles autores, qui vel latent*

latent in tenebris, lucemque nondum aſpexerunt, vel longe depravatiſſimi, mutili ac manci circumferuntur. Præſtitit hoc Auguſta vere reſpubl. Vindelicorum, per indicem invitatis eruditis hominibus, qui græcos patres comparando, vulgatas editiones, cum MSS. illuſtrare vellent. Et Galliæ regibus chriſtianiſſ. Franciſc. I. & Henrico II quot quantosque ſcriptores græcos, cum hiſtoricos, tum theologos acceptos referam, neceſſe eſt?. ut & Mediceæ bibliothecæ &c. auguſtior vero longeque copioſior pontificia eſt, &c. Haud minore deſiderio ante paucos annos â ſereniſſ. principe *Auguſto*, Illuſtr. Baro à Boineb. petiit editionem catalogi librorum, quos bibliotheca Auguſta comprehendit. Quam ob cauſam vero ea neque hactenus procurata, nec deinceps ſperanda eſſe videatur, diſerte laudatus D. D. Conringius in epiſt. ad eundem Boineb. oſtendit, ſcilicet, neutiquam id ſtetiſſe per optimi Principis voluntatem, qua ſemper ἐμπειρίαν iſtam βιβλιακὴν quam maxime adjutam concupiverit, longo uſu expertus, quanta ad librorum notitiam parandam vis indicum appareat; neque vero per indicis defectum aut imperfectionem; ſiquidem bibliothecæ Auguſtæ catalogus ea cura eoque ſucceſſu jam ſit elaboratus, atque ad maturitatem perductus, ut omnem ſuperet expectationem, & nec voto quicquam magis omnibus perfectum numeris, poſſit iſthoc in genere expeti aut deſiderari; ſed remoram ſolum injeciſſe ipſam indicis magnitudinem, qua talis omnino tamque prolixus appareat, ut vix duobus grandibus voluminibus, ſi literæ etiam minutiores adhibeantur, à typographo biennii ſpatio in lucem queat produci. Verum licet hac de cauſa totius catalogi editio deplorata videatur; ea tamen minime impediret, quo minus partium ſaltem quarundam & MSS. potiſſimum codicum ab erudito orbe ſperanda eſſet deſignatio, qualem excudere vel nullam vel levem moleſtiam eſſe, ipſe D. Conringius p. 43. judicavit. Quo monente indices etiam faciunt

ad

ad comparandam insignem librorum notitiam, quæ non infimus ad eruditionem est gradus. Utque non ita juverint catalogi (cum ad plenam librorum experientiam non sufficiat librorum titulos noviſſe) nescio tamen qua arcana mentis delectatione & voluptate vel soli librorum tituli ingenuos quosque literarum mulceant cultores.

XII. Est vero & alia eaque haud exigui momenti ratio, quæ indicum seu catalogorum editionem quam maxime urgere videtur, scil. quod hoc solum modo perpetuo conservari possit ingentium operarum in extructione cujusvis bibliothecæ collocatarum memoria. Maximis profecto stragibus variisque interitus generibus obnoxia est animorum officina quælibet. Ipsam illam Ozymanduæ Ægyptii dudum periisse quis dubitet? sic bibliothecam Athenis à Pisistrato extructam, urbe incensa jussu Xerxis ablatam & in Persas asportatam fuisse narrat Gellius lib. VI. c. 17. eamque multis post annis â Seleuco Nicanore restitutam, Gothi rursus perdidissent, ni (teste Egnatio in vita Claudii) persvasi a nonnullis fuissent, *abstinendum esse Musis, & literis parcendum, otio enim literario marcescere bellicam hostium virtutem.* Cumprimis vero notandum funestissimum illud nec satis unquam defletum incendium bibliothecæ Alexandrinæ, quam Philadelphus tanta cura tantisque impensis instituerat, ast C. Julius Cæsar ad vim hostilem reprimendam incendi jusserat; quis maxime illustrium autorum hoc igne perditorum labores *monumentum* appellet *ære perennius*? reparatam quidem utcunque Alexandr. bibliothecam â Cleopatra supra indicavimus, acceptis ab Antonio Amasio suo regis Eumenis libris, verum ab Arianis rursus exustam fuisse S. Athanasius de persecutione ad orthodoxos testatur. Simili fere modo perierunt aliæ insignes Romanorum bibliothecæ, Pauli Aemilii, Asinii Pollionis, & ex talionis lege ipsius C. Julii Cæsaris, quæ licet â Tiberio, Domitiano, aliisque sint restitutæ; tamen iterum iterumque ac sæpius

pius flammis conflagravere; ſicuti Capitolina tempore Commodi imp. immiſſo arſit fulmine. Conſtantinopolitana à M. Conſtantino exſtructa, ab aliis poſtea impp. immenſum aucta, â Valente imp. ſollicite curata, tandem Baſiliſci Tyranni tempore igne etiam eſt conſumta, quo de ſupra Cedrenum diſſerentem audivimus, ut & Antiochena, quam in ſuburbio Daphnes Julianus apoſtata inſtituerat, in eo templo, quod Trajano olim fuerat dicatum; aſt Jovinianus uxoris ſvaſu incendi præceperat concubinis faces ſubjicientibus: Quid aliud expectes â venere exoſa Minervæ ſcientiarum præſidis pudicitiam? licet multo æquiorem mitioremque hæc illam in magno quondam experta ſit Sinarum imperio, poſtquam imperator Chingus ſeu Xius extremæ ambitionis homo, quo priorum regum Sinicorum memoriam extingueret, famamque apud poſteros ſolus obtineret, infami facto, emiſſoque mandato publico omnes libros Sinicos exuri præcepiſſet, & præfectorum quidam Liſuus aculeata in literas oratione igni huic oleum addidiſſet; tum certe omnium Sinarum monumenta periiſſent, niſi *feminæ* cujusdam ſtudio & ingenio Confutii ac Mentii philoſophorum præcipuorum ſcripta ſervata, & agglutinatis ad domus parietes paginis, ab interitu vindicata fuiſſent, conf. Martini hiſt. Sin. lib. VI. p. 210. & noſtrum de re lit. Sinenſ. com. ſect. III. p. 40. ſeqq. Quid porro in Tunetano-Africanæ arcis direptione Muleaſſis bibliothecæ contigerit, narrat P. Jovius lib. XXXIV. ſcil. ab eo inter tria incomparabilis jacturæ detrimenta in primis deploratum fuiſſe Arabicorum voluminum luctuoſum exitium; *aſſervabantur enim* (inquit Jovius) *antiquiſſimi codices, non diſciplinarum modo omnium præcepta, ſed ſuperiorum etiam regum res geſtas, & Mahumetanæ ſuperſtitionis interpretationem continentes: quos rex ipſe poſtea me audiente ſe unius urbis pretio ſi fieri poſſit, avide redemturum diſſerebat.* Quem obſecro latet triſte illud Budenſis bibliothe-

cæ (â Matthia Corvino extructæ â Turcis vero cum vix annos LX. floruiſſet direptæ) fatum, cujus antea etiam fecimus mentionem. Quale noſtro quoque tempore experta eſt Palatina illa, quæ (verba adſcribo D. Conring. l. d. pag. 26.) Heidelbergæ ante ferale nuperum Germaniæ bellum ſumma floruit celebritate, & MSS. cum multitudine tum bonitate omnem ante hac Europam provocavit. Illa ſcil. non ita pridem atque adeo ipſa noſtra memoria huc illuc direpta, meliore vero ſui parte, æterno cum Germaniæ damno, tum concedentium dedecore per vim Romam avecta, curante â pontifice, in id miſſo Leone Allatio (nec vero ſilebimus viri nomen, cum hinc etiam laudem captet) in Vaticanam tranſiit. Memorabile etiam eſt, quod privatæ Antonii Urcei Codri Grammatici bibliothecæ contigiſſe, Bartholomæus Bononienſis in ejus vita annotavit: is Forolivii habitabat in penetralibus palatii, cubiculumque adeo tenebricoſum ſortitus erat, ut vel de die indigeret lucernæ lumine; in ſublimiori atque oculatiori muſei ſui parte hoc epigramma cælaverat: *ſtudia lucernam olentia bene olent*; hanc cum per imprudentiam inextinctam reliquiſſet, negotiorũ gratia in forum egreſſus, ignis libros omnes hauſit, quos inter is etiam fuit, quem *Paſtoris* titulo ipſe compoſuerat, qui unum hunc haud dubie magis doluit quam reliquos; tum quod ipſius eſſet, tum quod talium rerum jactura ſit fere irreparabilis. Sic ex privatis, M. Varronis laudatiſſima bibliotheca in calamitoſa ſui temporis proſcriptione, quæ ipſum quoque expulit, cum ceteris bonis eſt direpta, & Patrum memoria Joh. Vincentii Pinelli ſupellex libraria pretioſiſſima cum hærede diu conflictata, â barbaris piratis eſt intercepta (cum navigio Neapolim duceretur) & velut nullius pretii merx in mare abjecta, ſuperſtite parte exigua, quæ Mediolani in bibliotheca Ambroſiana nunc conquieſcit. Mitius paulo illius bibliothecæ fatum fuiſſe videtur, quam Ariſto-

Ariſtoteles moriens reliquit Theophraſto, hic Neleo Coriſci filio, diſcipulo ſuo, qui eam Scepſim detulit; poſt cujus mortem tantus theſaurus ad imperitos pervenit hæredes, qui certiores facti de Pergamenorum & Ægyptiorum regum in conquirendis undiquaque libris ſtudio, ſeu invidia ſeu avaritia moti, libros in ſubterraneo quodam loco abdidere, ubi tineis & blattis præda fuerunt usque ad Apellicionem Tejam, qui eos magno redemit pretio, & poſt eum Sylla captis Athenis Romam tranſtulit, ex qua deinde Tyrannionem Grammaticum plurima intervertiſſe memorant, ab eoque Andronicum Rhodium accepiſſe exemplaria, eaque in lucem edidiſſe, & vulgaſſe hos, qui manibus teruntur *indices*. Eorum vero (ut ad inſtitutum noſtrum redeamus) beneficio ſolummodo ſervari poteſt perennis bibliothecarũ maxime illuſtrium gloria, quæ in defectu indicum, poſt triſtia earundem fata, poſt maximas (quibus obnoxiæ ſunt) viciſſitudines, graviſſimas denique vel ex violenta direptione, vel ignis immiſſione, vel aquarum inundatione, vel furtiva alienatione calamitatis omnino extinguitur, & licet indice ſuperſtite dolor ob deperditos tantos theſauros etiam creſcere videatur, nullum tamen certius ac perennius florentis quondam bibliothecæ monumentum reperias, quam accuratam ejus & incorruptam deſignationem.

XIII. Ad hæc indicum commoda cum reſpicerent eruditorum plurimi, præſtantiſſimarum bibliothecarum catalogos in lucem hactenus ediderunt. Cujus inſtituti initium Auguſtæ noſtræ Vindel. reipubl. deberi, Fr. Schottus, D. Conringius aliique obſervarunt, cum illa græcorum MSS. indicem jam ſeculo ſuperiori publicavit, anno. ſcil. 1575. iterum ſed quadruplo auctiorem an. quinto poſt nonageſimum, tertia vice hujus ſeculi anno quinto, præmiſſa hac invitatione: *quisquis reipubl. literariæ faves ſive lector ſive typographe horum omium codd. ſive interpretandi ſive*

conferendi ſive edendi, ita tibi futura copia eſt, ſi de iis incolumibus reſtituendis caveris; alibi bibliotheca noſtra hoſpites ſuos ore & calamo Hier. Wolffi ita alloquitur:

Hoſpes inhumanum rapiendi projice morem:
Quod tibi non fieri vis, prior ipſe cave.
Omnibus aſpectus datur. At male fida rapina
Res eſt hoſtiliis plena latrocinii.

Et rurſus:

Si non ad ſtomachum diverſa volumina lector,
Forte tuum faciunt: aſpera verba cave.
Quod tibi non ſapit, hoc aliis ſapit; una palati
Omnibus haud quadrat norma ſevera tui.
Scriba Dei regnum ſubiens, ê divite gaza
Tam nova depromit, quam vetera illa tenet.
Sunt quos muſta juvent, quos interiora phalerni
Promta nota: multis utraque vina placent.
Dulcius eſt muſtum: vetus eſt ſalubrius audis
Sæpe vetuſta nocent, ſæpe novella probes.
Delige conveniens ſtomacho magis atque palato:
Sed ne deliciis decipiare cave.
Nec liber eſt adeo malus, ut prodeſſe recuſet:
Dummodo judicio candidiore legas.

Ad Auguſtanorum exemplum etiam Joh. Georgius Hervartus ab Hoenburg, Bavar. Cancell. annuente Ser. Duce Bav. anno currentis ſeculi ſecundo edi curavit catalogum græcorum MSS. qui aſſervantur in inclyta Sereniſſimi utriusque Bavariæ Ducis bibliotheca. Nec minus in Anglia eodem indubie fine Thomas Jameſius bibliothecæ Bodleanæ catalogum edidit. *De cujus uſu & fructu* (ſic ille ſcribit in proœmio,) *nihil eſt cur multis loquar, non ſolum enim communibus per univerſam Europam bibliothecis inſerviet ad catalogum librorum cito contexendum, ſed privatorum hominum votis & deſiderio, ſic, ut præſto & ad manus habeant librum, quem ipſi in uſum*

uſum ſuum aut in gratiam aliorum habere deſiderant. Id quod valde neceſſarium eſſe non ſemel expertus ſum, præſertim cum ad muſea quorundam alioqui doctorum virorum accedens, quæſitum hunc vel illum librum an aliquando viderint, imo inquiunt & habemus apud nos, ſed labore & ſpatio opus eſt ut eruatur. Verum hoc filo Ariadnæo adjuti, ſi non primo quoque tempore invenerint, quem quærunt, librum, in me faba cudatur, ſaltem ordinem à me præſcriptum ſequi ſi voluerint. Qui libris abundant, eos (ſi me audiant) numeratos habeant â primo ad ultimum, etiamſi millenarium unum vel alterum exuperent, ſuum cuique volumini certum numerum affigendo, incipiendo ab oriente ad occidentem, libris prius in folio, quarto & octavo, in pluteis ſeparatim collocatis, neglecta materia quam tractant, &c. Porro de uſu iſtius catalogi (num. 10. procem. ſcribit Jameſ.) licet plurima à me poſſent adduci; tamen ad rem ſatis erit, ſi tantum obſervatur, uſum ejusdem tam ad abſentes licet in transmarinis & remotis partibus agentes, quam ad ſtudioſos hic commorantes derivatum iri, qui per literas poſſunt communicare conſilia ſua, & ab amicis ſuis edoceri, quid in aliquo melioris notæ libro contineatur, ſive collatione ſeu alio quocunque officio opus fuerit. Inſignem hunc catalogorum uſum etiam probe perpendentes Belgæ, ætate noſtra exquiſitiſſimarum bibliothecarum Lugdunenſis, Trajectinæ, & Franequeranæ indices in lucem emisêre. Eadem cura in Italiam quoque tranſiit, quomodo bibliothecarum Patavinarum publicarum privatarumque manuſcriptos codices orbi erudito indicavit Jac. Philippus Tomaſinus, anno ſeculi hujus triceſimo nono, quos poſtea anno quinquageſimo excepit librorum in Seren. reip. Venetæ bibliothecis aſſervatorum deſignatio. Eandem operam in Gallia aggreſſus eſt celeberrimi nominis Jeſuita Philippus Labbeus, edito Pariſiis *antiquarum lectionum ſpecimine in quatuor partes tributarum.* Prima continet hiſtorica & chronologica; ſecunda

cunda vero biblica; tertia exhibet epiſtolica & diplomatica; in quarta denique technica ſeu philologica ſcripta indicantur. Accesſit coronis poëtica antiquarum lectionum græcarum, cum decem ſupplementis. I. Suppl. ex tomis VI. antiq. lect. Henrici Caniſii. II. Ex indice librorum nondum editorum Scipionis Tettii. III. Ex catalogo præcipuorum ineditorum græce MSS. qui aſſervantur in bibliotheca Scorialenſi regis Hiſpaniæ; IV. Supplem. ex catalogo MSS. librorum D. Caroli de Montchal Archiep. Toloſani & catalogo MSS. in bibliotheca Carmelitarum excalceatorum Claromontenſium aſſervatorum. V. Ex catalogo librorum calamo exaratorum Renati Moræi &c. VI. Ex elencho librorum tam typis quam impenſis congregationis Romanæ de fide propaganda impreſſorum, cum appendice indicante. (1.) Libros Arabicos, Perſicos, Turcicos Illuſtr. Dn. de Breves. (2.) Libros aliquot Arabicos bibliothecæ Vaticanæ. (3.) Libros qui erant imprimendi ſeculo præterito, in lingua Arabica & aliis orientalibus. (4.) Libros Chaldaicos Romæ apud Patriarcham Antiochenum. (5.) Libros Hebraicos nondum editos. (6.) Libros Arabicos, quos ex oriente advectos in bibliotheca Leidenſi depoſuit Jacobus Golius. VII. Supplem. ex catal. ditiſſimæ bibliothecæ Ludov. XIV. Francorum & Navarræorum Regis. VIII. ex catal. MSS. codicum, qui continentur in ſecunda parte ſeu Xyſto adjacente ejusdem bibliothecæ regiæ, &c. IX. Supplem. ex breviario ſeu catal. veterum editionum ab an. 1459. ad 1500. in lucem emiſſarum. X. Denique ſupplem. ex variis hinc inde brevioribus catalogis eſt congeſtum, cui addita eſt bibliotheca bibliothecarum & catalogus catalogorum, nomenclatorum indicum, elenchorum &c. Novum vero haud ita pridem eodem Labbeo autore, eodemque bibliothecæ bibliothecarum titulo conſpicuum opus Pariſiis prodiiſſe, ex eruditis eruditorum ephemeridibus à

CL.

CL. Hedouvillio accuratis didici, quod ſcil. tribus conſtet partibus: primam, relationem præcipue omnium catalogorum adhuc compoſitorum continere, ubi videri poſſint: 1. autores cujusvis ut Gallicæ, Hiſpanicæ gentis &c. qui ſcripſerunt. 2. Panegyriſtæ virorum in quavis profeſſione, theologica, juridica medica &c. illuſtrium. 3. illi qui de ordinibus monaſticis Benedictinorum videl. Jeſuitarum &c. nonnihil prodiderunt memoriæ. 4. illi qui tot conſcripſere libros, ut vel ipſi vel alii in catalogum referre eos duxerint conſultum. 5. illi, qui de magnatibus idem habentibus nomen ſcripſerunt. 6. illi, qui de celebrioribus muſeis & bibliothecis inſignibus ſcripſerunt, iisque vel ex manuſcriptis vel libris impreſſis conſtantibus, & de illis quidem præcipue, quarum proſtant catalogi 7. præcipui typographi & bibliopolæ Europæ, ut ſint Manutii Stephani &c. Quia verò difficile foret hæc omnia in toto operis corpore invenire, autorem bibliothecæ, ut inquirentem juvet, plurimas (ſub libri finem adjectas) tabulas compoſuiſſe. Alteram partem bibliotheca numaria inſcriptam catalogum eorum omnium exhibere, qui de nummis græcis, latinis &c. ſcripſerint, nec non autores omnes, qui de monetis, ponderibus & menſuris quicquam ediderint referre. Tertiam denique partem iſtos omnes, qui de inſcriptionibus, ſtatuis, lapidibus cælatis, lucernis, obeliſcis, pyramidibus, ſigillis, annulis, aliisque antiquitatis monumentis diſſeruerunt, commonſtrare. Atque hunc librum orbi erudito utiliſſimum fore laudati ephem. autores haud absre exiſtimarunt. Obſervet autem lector, ex antea commemorato antiquarum lectionum ſpecimine Labbeano, noſtræ collectioni nil niſi MSS. Theoll. Gallo-Regiorum Pariſienſium deſignationem acceſſiſſe. Ante Labbeum vero Antonius Poſſevinus MSS. græcorum indices varios (quorum unum tantum vel alterum Viennenſe ſcil. & Vatican. infra ſumus exhibituri) ediderat,

homiliarum SS. Patrum græcorum & geographorum veterum græcorum ac latinorum, quos idem Holſtenius olim edere conſtituerat, acceſſit inſuper annotatio de tribus bibliothecæ Cæſ. MSS. codicibus in 2. & 3. ep. Holſteniana memoratis, quorum primus Perdiccæ Protonotarii Epheſini deſcriptionem metricam ſanctorum locorum Hieroſol. ſecundus excerpta ex Arriani deſcriptione Ponti Euxini, tertius autem octodecim priores libros hiſtoriæ eccleſiaſticæ Nicephori Calliſti complectitur. In additamento tertio non pauci optimæ notæ manuſcripti codices in bibl. Cæſarea extantes recenſentur, quibus cum alia multa præclara veterum autorum ſcripta, tum quoque continentur opera S. Ephræmi Syri, acta ſynodi Nicænæ II. ſive oecum. VII. & hiſtoria miraculi per imaginem Chriſti â judæis in urbe Beryto crucifixam editi: homiliæ de expulſione Adami ex Paradiſo & de bonis atque malis mulieribus, quæ S. Joh. Chryſoſtomo vulgo tribuitur: Georgii Gemiſti Plethonis opuſcula varia: Georgii Mytilenæi oratio de paſſione Chriſti: Joh. Stauracii Chartophylacis Theſſ. oratio de miraculis S. Demetrii proconſulis & martyris; Joh. Philoponi libri VII. comm. in cap. 1. Gen. & ejusdem diſp. de Paſchate; Euſebii Pamphili eclogarum propheticarum de Chriſto lib. IV. hactenus inediti, quorum tertio egregius locus ex libro V. chronographiæ S. Julii Africani inſertus eſt: Philonis Hebræi opuſcula quædam; S. Cyrilli epiſcopi Hieroſol. catecheſes: Palladii epiſcopi Hellenopoleus ad præpoſitum Lauſum de diverſis SS. patribus narratio: Demetrii Cydonii opuſculum de proceſſione Spiritus S. & ejusdem translatio græca refutationis Alcorani Muhamedici â Richardo monacho Dominicano lingua latina conſcriptæ: Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni expoſitio ſacrorum canonum ſynodalium: S. Thomæ argumentationes de divina incarnatione & alia quædam ejusd. opuſcula ex latino ſermo-

regis jussu distributi, reliqui bibliothecæ addicti, velut bene „ ominata munera & fundamenta illius literariæ apothecæ, „ quæ tam regie & feliciter est excitata. Haud ita multo post „ accessit bibliotheca *Jacobi de Mendoza*, doctrina simul ac „ gentilitio splendore clari, fratris Marquionis de Mondejar „ & Comitis de Tendilla; is ubicunque vixit, non solum in „ Hispania, verum etiam Venetiis viginti annis, & Romæ „ catholici regis legatus, memoriam atque admirationem „ singularis suæ eruditionis reliquit. Quo tempore (ut est „ in Hispaniæ bibliotheca tom. III.) in splendida familia do- „ ctorum hominum gregem quos undique accíverat, atque „ in his Arnoldum Arlenium græce peritissimum similiter „ alebat; græcis exemplaribus partim conquirendis in me- „ dia Græcia, partim ê Bessarionis Cardinalis Nicæni bibli- „ otheca describendis operam sumtusque impendit. Navem „ præterea græcis calamo exaratis libris onustam a Turca- „ rum imp. obtinuit: moriens legavit regi suam bibliothe- „ cam refertam plurimis & vetustis illis codicibus græcis, „ latinis, arabicis, tam impressis quam manuscriptis, quas „ linguas egregie callebat, eam rex accepit, in seque recepit „ nominum solutionem, quæ in testamentarias tabulas de- „ mortui relata erant. Subsecuta est *Antonii Augustini* Archi- „ episcopi Tarraconensis bibliotheca optimorum manuscri- „ ptorum exemplarium latinorum & græcorum locuples, „ nec non plurima ejusdem antiqua monumenta & erudi- „ ta rudera. Collata quoque â Petro Pontio episcopo Legi- „ onensi, omnis quidem antiquitatis sed præsertim eccleśi- „ asticæ admodum studioso manuscripta. Insuper longe late- „ que â rege missi viri docti in Italiam, Germaniam, Belgium „ Hispaniam, qui librario huic thesauro locupletando res „ eximias ejusdem generis perveśtigarent, ac repertas em- „ tasque huc transmitterent. *Ambrosius de Morales*, *Doctor* „ *Johannes Paes*, Julius Clarus & plurimi alii viri docti præ- „

„clara ſui monumenta hic reliquerunt, quorum alia non ab-
„ſolverant, alia jam abſoluta nondum in lucem ediderant:
„præterea certos alios peculiares libros, quos habebant cla-
„riſſimos. Arias Montanus præclaros codices MSS. græ-
„cos, hebræos & arabicos in hoc ſophiæ templo dedicavit,
„ac in primis volumen legis maximo ſtudio & cura ſcriptum
„ea forma, qua volumina eſſe conſveverant, tantaque fide
„ut nec puncto defectum ſit, vel abundet, quod proinde
„*Sacrum* ab illis appellatur. Pugillar hebræum gemini
„uſus, è quo nimirum recitabantur ſolennes lectiones ſacræ
„per omne ſabbatum, ut loquitur Apoſtolus - - Erat præ-
„terea inſtar manualis codicilli, in quem referebatur, ſi quid
„peculiare perſcribendum eſſet. De hujusmodi tabellis
„intelligendum illud Luc. 1. de Zacharia, *qui poſtulans pu-*
„*gillarem, ſcripſit, dicens, Johannes eſt nomen ejus.* Siclum Ju-
„daicum, de quo ipſe Arias diſputat eo libro, quem *Tubalcain*
„inſcripſit, ibidemque expoſuit, & quam mirabili caſu (ſi
„caſus dicendus) in ipſius manus venerit, &c. - - - Non com-
„memoro quæ hic habentur ſacra biblia pervetuſta, ſcripta
„literis Goticis & Longobardicis, luculentum teſtimonium
„ſinceritatis lectionis antiquæ. Rara res eſt, & plane exi-
„mia primigenius quidam codex, ipſius D. Auguſtini
„manuſcriptus, & inſcriptus *de baptiſmo parvulorum*; litera-
„rum forma & ſpecies majuſcularum noſtrarum ſimilis eſt,
„qualis eo tempore in uſu erat apud Vandalos late in Africa
„dominantes. Diu librum hunc Philippus II. inter ſacras
„reliquias habuerat, cum eum juſſit in abaco ſcriptorio in
„bibliotheca cum rebus pretioſoribus recondi. Interroga-
„tus aliquando, unde conſtaret revera eſſe D. Auguſtini?
„reſpondit, id ſe ita accepiſſe ab amita ſua Caroli imp. ſo-
„rore, â qua illam habuerat tanquam rem percaram & anti-
„quiſſimam. Aliud volumen habuit ab eadem amita regina,
„quod D. Joh. Chryſoſtomi olim fuiſſe creditum eſt: in eo

per-

perſcripta ſunt evangelia, quæ totius anni decurſu pro more in eccleſia recitari ſolent. Eſt & aliud exemplar MSS. Apocalypſeos auraria & argentaria pictura ſatis eleganter illuminatum, adſcriptis miniato charactere commentariis, ducentis annis (ut quidem videtur) haud vetuſtius. Item alius quatuor evangeliorum liber aureis literis in perelegantí membrana pergamena ſcriptus, compactus tabulis, atque attalico textu opertus; ſic eum ſcribi juſſit *Henricus* II. imp. uti fuerat inchoatus *Conradi imp.* juſſu, longus eſt ulnæ dodrantem, juſta proportione latus. Sacer ille textus evangeliorum cum præfationibus & epiſtolis D. Hieronymi, & canonibus Euſeb. Cæſarienſis centum ſexaginta quinque foliis continetur, circiter ſexcenti anni ſunt, cum ſcriptus eſt, nusquam tamen pictura ſcripturave vetuſtate evanuit: imo adeo integra, florida & ſplendida eſt, ut opus nudius tertius abſolutum credas: in primo folio pictus medius in nubibus circumfuſus angelorum multitudine *Chriſtus* vindex noſter, in ſolio ſedens, ſiniſtra manu librum tenet, dextera Conrado & Gileſiæ uxori ad ipſius genua provolutis benedicit; in paginæ ambitu ſunt quidam verſus pro inculti ſeculi elegantia. Altera pagina Deiparam virginem exhibet in ſolio ſublimem, ac ſupplices Henricum & Agnetem genibus nixos, regio tamen habitu & titulis, videlicet nondum imperatoria inauguratione conſecratos; nec etiam deſunt verſus in ora paginæ majore pietate quam elegantia. Eraſmus Roterodamus codicem hunc, quem *Aureum* appellat, mirifice extollit, ac profitetur, ſe legitimas & Romanas quasdam lectiones inde eruiſſe, quas in aliis exemplaribus haud repererat, nec niſi ſolenni quadam pompa & accenſis tædis ſibi monſtratum refert. Eum tunc poſſidebat Margarita Maximiliani filia, Joannis Principis uxor; venit poſtea in manus Mariæ reginæ, quæ illum cum tribus aliis, de quibus mentio

„ ſuperius facta eſt, dedit Philippo II. Caroli V. fratris ſui
„ filio, plura Ambroſius de Morales de hoc codice aureo
„ in vita Comitiſſæ Matildis de Cannoſa, qui commen-
„ tarius hic quoque inter alia ejusdem monumenta habetur.
„ Item biblia græca imp. Cantacuzeni valdè conſentientia cum
„ verſione LXX. interpretum, quæ prodiit opera Cardinalis
„ Carafæ viri doctrina & diligentia inſignis, itidem duo gran-
„ dia volumina Gothico charactere, in quæ relata ſunt conci-
„ lia & decreta â primo Niceno ad undecimum Toletanum,
„ cum multis aliis operibus eximiis, quæ referre longum ſit.
„ Alterum ſcriptum eſt æra milleſima â Sibuto Epiſcopo: alte-
„ rum anno nongenteſimo ſeptuageſimo nono â *Vigila* pres-
„ bytero S. Martini *de Alvelda* ob id *codex Vigilanus* dictus:
„ continet etiam multa concilia â primo Nicæno ad decimum
„ ſeptimum aut decimum octavum Toletanum, additis pluri-
„ mis literis pontificum, & ſanctorum, nec non antiquitatibus
„ eccleſiaſticis; theſaurus equidem nobilis, & dignus vene-
„ ratione. Eſt præterea alius tomus conciliorum eadem
„ ſcriptura anno DCCCCXI. ſcriptus. Præter hæc monu-
„ menta venerandæ antiquitatis ſunt alia quædam manu de-
„ ſcripta exemplaria SS. Patrum, Athanaſii, Baſilii, Nazian-
„ zeni, Chryſoſtomi atque aliorum; inter quæ opera exſtant
„ non paucæ homiliæ, orationes, aliique tractatus nunquam
„ in lucem editi; grandes & pervetuſti tomi vitæ ſancto-
„ rum eadem lingua; tabellæ nobilium artificum, aliæ ex for-
„ marum planæ ſcalpturæ prototypis; aliæ penicillo pictæ in
„ libris ingenti numero compactæ; plurimaque id genus rara
„ & curioſa, atque hujus literariæ apothecæ propria ſervantur
„ in arculis & abacis ſcriptoriis; quæ referre infinitum eſſet.
„ Priſca ſcribendi ratio in antiqua papyro Ægyptiaca hic viſi-
„ tur. Quin & illa antiquior in arborum extima cute ſubti-
„ liſſima & pertenui, quam philyram vocant; illorum corti-
„ cum alii ſunt enſium, alii pugionum longitudine; præter

lite-

literas in iis non ineleganter exaratas, nescio quid atramenti „
aut pulviſculi plurimum venuſtatis addidit: argumentum „
ſcripturæ eſt integra quædam hiſtoria, in limine geminæ „
hæ voces præfixæ ſunt, *lingua Malabarica*, compactio bella „
eſt, inſeritur per ſingula folia funiculus: exteriores quoque „
tabulæ videntur eſſe ex eodem ligno. Sunt hic etiam Chi- „
nenſis editionis libri, noſtris tum in elegantia, tum in com- „
moditate longe inferiores; licet chartæ ſubtilitas mirabilis „
ſit, nosque in hac arte chalcographica excogitanda illa natio „
anteverterit. Quæ vero præter hucusque enumerata & „
à Claudio Clemente commendata MSS. theologica in regio hoc theſauro librario Scorialenſi aſſerventur inedita, eorum docebit deſignatio, quam Alexandri Barvoëtii opera adornatam, primum Balth. Corderius 1648. Antwerp. poſtea Philipp. Labbeus, (ſpec. p. 175. ſeqq.) & haud ita pridem vir præclare doctus D. Joach. Joh. Maderus cum aliis virorum clarorum de bibliothecis atque archivis commentationibus (nimirum juſti Lipſii, Fulvi Urſini, Guidonis Pancirolli, Barth. Caſſanæi, Franciſci Patricii, Michaelis Neandri, Jac. Phil. Tomaſini, Laurentii Pignorii, Emundi Frigelii, Balthaſaris Bonifacii, Franciſci Schotti, Onuphrii Panvinii, Antonii Cicarellæ,) in lucem ediderunt. Adjecit inſuper D. Maderus præter eruditiſſ. ſuam de ſcriptis & bibliothecis antediluvianis diſſertationem, duas Balth. Corderii de bibliotheca illa Scorialenſi epiſtolas (S. Cyrilli Alexandrini in Jer. homiliis XIX. Antwerp. 1648. editis, præfixas,) aliamque memorabilem Joh. Alex. Braſſicani relationem de bibliotheca regia BUDENSI, miſerrima quadam impreſſione Turcica direpta, aſt Sac. Cæſ. Majeſt. nuper (ſi vera communis fama nunciavit,) reſtituta: tantum erat hic (ita Braſſic. in epiſt. Salviano ab ipſo edit. præmiſſa) antiquorum, græcorum ſimul & hebraicorum voluminum, quæ Matthias ille rex capta jam Conſtantinopoli, everſisque mul-

multis aliis ampliſſ. Græciæ urbibus, ex media Græcia inæſtimandis ſumtibus coëmerat; ac tanquam mancipia ex barbarorum cataſtis atque compedibus receperat; tantum erat hic latinorum librorum & veterum & recentiorum (procul tamen ablegatis omnibus Sophiſticis) ut nusquam alibi, quod ego quidem ſciam; ſiquidem Matthias rex, (quem recte librorum helluonem appellaveris) quatuor inſignes librarios Fiorentiæ magnis impendiis alebat, quorum is unus & unicus labor erat, ut omnes melioris notæ autores & græcos & latinos, quos commodum ex Græcia habere non poterat, exſcriberent. Nam ipſa typographice (ut exigua ſunt omnium rerum principia) nondum tam late radices egerat, ut ardentiſſimis illis, & vere regiis votis regis omnium excellentiſſimi ſatisfacere poſſet. Vidimus iſthic (id quod ſyllabo noſtro recenſere poſſum, & oculata fide,) vidimus *integrum Hyperidem cum locupletiſſimis ſcholiis*, librum etiam multis cenſibus redimendum. Vidimus grandem librum *Apoſtolicorum canonum*, opus incomparabile; vidimus Theodoretum Cyrenſem in pſalterium integrum. Vidimus *Chryſoſtomi*, *Athanaſii*, *Cyrilli*, *Nazianzeni*, *Baſilii M. & Gregorii Nyſſeni*, *Theophanis*, *Dorothei* infinita opera. Vidimus *Marcum Monachum*, cognomento Anachoritam. Omitto poëtas, oratores philoſophos atque hiſtoricos, quorum hic immenſam vim inſpicere licuiſſet. Vidimus autores græcos innumerabiles, infinitaque in poëtas ferme omnes commentaria, nemini doctorum, aut paucis omnino antea viſa. Huc usque de regia Budenſi bibliotheca Joh. Alex. Braſſicanus, cujus verba ea potiſſimum de cauſa adſcribere placuit, ut integri MSS. catalogi (in noſtra hac collectione haud comparentis,) vicem ſupplere, aperteque teſtari poſſint, nos haud omnimodo tantam tamque in orbe Europæo celebratam bibliothecam ſilentio præteriiſſe. Et cum juſtum æque ſui defectus mœrorem deſideriumque nobis

nobis relinquat MSS. in bibliotheca *Auguſta* ſeu Wolffenbütteienſi extantium notitia, hinc tanto majore delectatione & voluptate etiam celeb. D. Conringio, de ea præclare differenti auſcultabimus: Dicam ergo (inquit ille in erud. ad Boineb. epiſtola f. 119. ſeqq.) tandem quid laudis â librorum bonitate „ mereatur noſtra *Auguſta*: præſertim quoniam, quæ modo „ attuli, tantum in id adducta ſunt, ut errorem fere commu- „ nem ex animis deleam, quo ſoli manuſcripti codices, & qui- „ dem ſoli græci & latini vel etiam orientales, creduntur digni, „ qui in illuſtribus bibliothecis recondantur, aut ſi non ſoli „ receptu digni cenſeantur, citra diſcrimen tamen bonitate „ omnes alios ſuperare. Igitur non ſane deſtituitur *Auguſta* „ etiam *manuſcriptorum* inſigni copia: ut quorum poſſis ibi „ numerare bis mille circiter Græcos, Latinos, Hebraicos, Ara- „ bicos, aliarumque linguarum, & quidem optimæ notæ „ omnes complures hactenus typis non excuſos. In quorum „ conquiſitionem etiam illam felicitatem ſibi contigiſſe im- „ penſe lætatur Princeps optimus, quod dum ardua Sereniſſi- „ mæ Domus negotia Rudolphum II. & Ferdinandum II. Im- „ peratores Vindabonæ adire compuliſſent, in Hungaria laci- „ niam celeberrimæ quondam bibliothecæ Matthiæ Corvini „ ſibi comparare, quamvis magno ære conceſſum fuerit. De- „ prehendere verò in illo manuſcriptorum ordine licuerit Tibi „ ſimul incomparabilem theſaurum, & in Germania quidem „ nusquam ante hac viſum, prope ducentorum, & quidem „ magnam partem ſpiſſorum omnique pagina pleniſſimorum „ primæ magnitudinis voluminum, de arcanis negotiis, ac „ rebus præcipuis, non duntaxat Germaniæ univerſæ aut hujus „ inclyti Ducatus, ſed Galliæ etiam aliarumque rerumpublic. „ Europæ: quod genus manuſcriptorum in uſum civilem pro- „ lixius paulo ante commendavi. Non diffitebor tamen, manu- „ ſcriptorum multitudine forte etiam ſi antiquiſſima illa ſpectes „ præſtantia, vinci Auguſtam ab Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & „

„ Angliæ nonnullis bibliothecis. Enim verò de Vaticana jam „ tum Onuphrius Panvinius non dubitavit referre, excedere „ ejus MSS. numerum ſex millium: qui tamen numerus quem„ admodum iniri commode potuerit nondum indicibus „ confectis equidem ignoro --- Italicæ aliæ bibliothecæ ſatis „ quidem hac parte ſunt opulentæ, non tamen multum ad in„ vidiam fortaſſis. Regiæ Scorialenſi itidem palmam ultro „ defero: utpote quam etiam Franciſcus Schottus præferat „ Mediceæ ac Regiæ Gallorum: cum nihil tamen accepiſſet „ de Maroccanis libris iſthuc translatis. Ante ſpolia illa Afri„ cana ſane, videtur græcis libris potiſſimam ibi fuiſſe digni„ tatem. Ita enim de bibliotheca iſthac Joan. Mariana Jeſuita, „ Hiſpanicarum rerum peritia nemini ſecundus: libros ſervat præſertim Græcos manuſcriptos, præcipuæ plerosque vetuſtatis; qui ex omnibus Europæ partibus ad famam novi „ operis magno numero confluxerunt. Cum Oxonienſi quo„ que non contenderim, imò ne quidem cum Regia Gallicana. „ Fortaſſis etiam græcorum ſaltem manuſcriptorum copia „ vicerit Ingolſtadienſis Bavarica & Auguſtana. Verum enim „ vero quantum hac parte *Auguſta* illis cedit, tantum profecto „ viciſſim ſuperat bonitate librorum aliorum, atque adeo vera „ bibliothecæ perfectione. Enim verò ſi uſum ſpectes, multo „ hac noſtra eſt omnibus illis aliis locupletior meliorque. Novit „ ſcil. Princeps doctiſſimus ſuo juſto pretio & manuſcriptos & „ alios libros omnes æſtimare: novit etiam pro ſua ſapientia in „ quorumnam librorum poſſeſſione vera perfectio bibliothecæ „ regiæ conſiſtat; Itaque manuſcriptorum habuit rationem „ quam par erat habere, & uſu ſpectato id unice dedit operam, „ ne quid ad omnigenæ doctrinæ ſtudia commodum temere deforet. Nec omittenda denique notabilis illa MSS. codd. in bibliotheca Ill. reip. *Noribergenſis* extantium commendatio, facta à vener. eccl. ejus antiſtite Dn. Joh. Sauberto Orat. II. de bibl. Nor. verbis (catalogi MSS. Norib. loco huc tranſcriptis) ſequentibus: Oſten-

Oſtenſurus vobis, in præſentiarum inclutæ reipu- »
blicæ κέρας Αμαλθείας (cur enim hoc nomine non appellem »
divitem iſtum theſaurum, multa librorum millia continen- »
tem?) ſitus, ordinisque rationem habebo, quam poſſum, »
diligentiſſimam. Ædificium ipſum ut ambulacris quatuor »
conſtat, forma quadrangulari, ita ab omni parte libros »
confertim exhibet. »

Intrantibus enim per januam, quæ occidentem ſpectat, »
ſtatim in conſpectum veniunt *Facultatis Philoſophicæ* libri; »
quod ea non dignitate, ſed ordine prima ſit & â diſcentium »
mentibus removeat caliginem, ut prima media & ultima »
rectius videant, Ænea Sylvio teſte. Et poſt alia: »

Rerum naturæ conſulti, itemque metaphyſicæ & logi- »
cæ, aliarumque artium amaſii ſi hujus ſui ordinis manu- »
ſcripta requirent, videbunt librum de natura rerum, & »
alterum de anima, ejusque actionibus, utrumque ineditum, »
Avicennæ metaphyſica & canones, opus philologicum Rem- »
ſpergeri, nondum excuſum, Alberti magni opera, in plu- »
res tomos diſtributa, quæſtiones logicas Bartholomæi de »
Brugis, nondum vulgatas, dictionarium morale Petri Ber- »
thoni, Senecæ epiſtolas, grammaticam Theodori Gazæ »
græcam, αὐτόγραφον, Ciceronis rhetoricam & officia. Addo »
poëtas MSS. Homerum integrum, Sophoclem, Pindarum, »
Heſiodum, Æſchilum, omnes & ſingulos elegantiſſimæ ſcri- »
ptionis, Catonem cum interpretamentis, Horatium, Juve- »
nalem, Virgilium, Ovidium, alios, ubi locum quoque hono- »
rificum Conradi Celtis & Eobani Heſſi manus meretur. »

Ariſtotelis opera peculiariter in philoſophorum gra- »
tiam hic noto, quia & χειρόγραφα quoque ſunt & vetuſtiſſimis »
commentariis ac verſione illuſtrata. Nugas me agere ſi »
quis exiſtimat, quod antiquam textuum Ariſtotelicorum »
verſionem commendem, audiatis, quæſo, Andream Chioc- »
cum, Italiæ medicum clariſſimum: Profecto longe melius, »

„ inquit, converſio vetus, ad verbum facta, mentem Ariſtote-
„ lis & Theophraſti refert, quam hujusmodi eruditorum,
„ nullo ſucco ſeriæ doctrinæ imbutorum, ambitioſa ſedulitas,
„ qua orationi, ſolum latinæ elaborandæ, operam dant, genui-
„ nam verborum ſignificationem & vim flocci facientes.
„ Atque in hoc vitium, quod κακοζηλίαν literariam merito ap-
„ pellaveris, Joachimus Perionius & Bernardinus Donatus
„ incurrerunt; hic, dum quæſtiones quasdam Platonis con-
„ vertit, & germanas authoris voces, quæ propriæ ſunt diſci-
„ plinæ, Ciceronis phraſibus anxie conquiſitis, & veluti torno
„ elaboratis, exprimere ſatagit: ille pariter, dum moralem
„ philoſophi doctrinam vertit. Sic ille. Nec eſt, ut ſilentio
„ hic involvam Theonis commentarium in Syntaxin Ptolo-
„ mæi, græce ſcriptum, antiquitatis δεῖγμα præclarum, quod
„ à Beſſarione Joannes Regiomontanus dono ſe accepiſſe ma-
„ nu ſua teſtatur, ad ipſius Beſſarionis præſcriptionem ἀντό-
„ γραφον talem: τῦ θέωνος εἰς τὴν πτολωμαίου σύνταξιν βίβλος ἐμῦ
„ βησαρίωνος καρδινάλεος τῦ τῶν τουσκωλάνων, id eſt, Theonis in
„ Ptolomæi Syntaxin liber meus Beſſarionis Cardinalis
„ Tuſculani.

„ Sed enim hæc ex Græcia olim in Italiam, ex Italia ad nos
„ in Germaniam tranſiiſſe, in lucro deputandum eſt: Et ma-
„ gni facienda ſimul primorum ſeculorum membrana quæ-
„ dam, qualem Joſephus libro duodecimo antiquitatum de-
„ ſcribere videtur, ubi de ſeptuaginta interpretibus ad Regem
„ Philadelphum miſſis, agit. Cum oſtenderit, inquit, te-
„ nuitatem membranæ, Rex miratus eſt. Miramur & nos
„ tenuiſſimam noſtram, ac in ea ſive antiquiſſimi commen-
„ tatoris, ſive ipſius Claudii Ptolomæi manuductas figuras:
„ Et hic Varronis error ſimul liquet, cum, membranas, mo-
„ dumque in illis ſcriptitandi Pergamenos demum inveniſſe
„ credidit; quibus tamen & Hebræi, longo tempore ante, &
„ Græci (Herodoto teſte) uſi ſunt.

Locus

Locus hic poſtulat, ne indictos relinquamus Philippi Melanchtonis viri ab ſe notiſſimi, libellum de anima, & librum Phyſices τὰς ἀντογεάφας, eosque ipſos, quos teſſellis ſuis typothetæ olim adhibuerunt, *exemplaria*, more antiquo, vocantes; Ut merito gratiam debeamus illis, qui reliquias tales primi collegere, & ab interitu blattarumque morſiunculis vindicarunt. In precio quoque philoſophis ſit manus Fortunati Crellii & præfatio, qua laudes in rempublicam iſtam multas congeſſit, & quanti Ariſtotelem majores noſtri fecerint, monſtravit his verbis: Cui potius peripateticæ familiæ parentem offerrem, quam hujus familiæ fautori & educatori, ſenatui Noribergenſi, qui ſicut literas, ita literatos omnes & inprimis peripateticos, quod omnes uno ore paſſim teſtantur, ſingulari amore proſequitur &c.

Sunt hic quæ & muſicorum mentem voluptate aliqua delinire poſſint, ſi non modo opera didactica Cleonidis, Glareani, Franchini, Froſchii & Simonis Brabantini de quercu, ſed & opus illud muſicum ab ipſo principe Mauritio, Haſſiæ Landgravio magnam partem concinnatum, & Reipubl. huic dono datum, illi intueantur.

Sub finem hujus claſſis Calepini meminiſſe lubet, quod ejus labor oſtendat, aliorum avaritiam famam æternam authoribus parere poſſe. Conſcripſerat is librum de vocabulis ad uſum privatum. Cum vero publici juris feciſſet, tanti eo tempore æſtimatum eſt nomen, ut illius prætextu typographi, lucro inhiantes, nomenclatores quoſvis & dictionaria edere auſi ſint, donec liber in ampliſſimum excreverit volumen, quod hodieque ſub Calepini nomine apparet: Id quod ex editionum, quas habet bibliotheca, diverſitate & ſuccedaneis libri incrementis, patet clariſſime.

Sed de philoſophis ſatis multa pro temporis ratione, pro argumenti tamen qualitate non ſatis.

» Pergendum hinc eſt meridiem verſus, ad *libros hiſtori-*
» *cos*, tum recentiores, tum veteres, ubi primas editiones
» (quas certis de cauſis enumero, licet recentiores non de-
» ſint) Julii Cæſaris, Suetonii, Saluſtii, Taciti, Diodori Siculi,
» Laertii, Suidæ, Sabellici, Sigeberti, Appiani, Aretini, Vola-
» terrani & cæterorum comperietis; quibus accenſendus
» *Platinæ* liber de pontificum viris, primum hic Noribergæ,
» authoris ipſius præſcitu & juſſu, excuſus; nempe ut foris
» ille faceret rei periculum, quod domi tum non audebat.
» Inter manuſcripta Euſebius Cæſarienſis, Egeſippus,
» Joſephus de bello judaico, liber exemplorum & ſimilitudi-
» num ineditus, Petri Comeſtoris hiſtoria, Conradus Celtes
» de urbis Noribergenſis moribus & ſtatutis, Secundinus de
» Origine Turcorum, cum aliis quibusdam nondum vulga-
» tis, eminent. Hic offerunt quoque ſe Joſephi editiones fere
» omnes, cum primis Germanica quædam, literis hebraicis,
» quas currentes vocant, adornata, cui annumeranda venit
» Ruffini, Aquilienſis presbyteri, interpretatio operũ Joſephi,
» quam originalem Mediolani, in ſancti Ambroſii Fano cha-
» racteribus Longobardicis aſſervari, Geſnerus ſcripſit.
» Opera Bergomenſis, Petri Bizarri, Ariani, Pauli Jovii,
» Æneæ Sylvii & Trithemii manuſcripta poſſidere ſe vir ma-
» gni nominis olim publice gloriabatur. Nos eadem & qui-
» dem poſtremorum duorum αὐτόγραφα in promptu habere,
» res ipſa loquitur. Adjicio opera Bruſchii, manu ejus ipſius
» ornata. Quin & permagni referre arbitror, ut Johannem
» Stellam, ſcriptorem Venetum, ex hac authorum nube pro-
» ducam, qui, quod hiſtoriam veriſſimam de Alexandro III.
» pontifice, pedem collo Friderici imperatoris imponente,
» ex veteri memoria retuliſſet, in annalibus Baronii Cardina-
» lis innocens vapulavit; cui tamen ut in hoc argumento ſua
» conſtaret fides & authoritas, Fortunatus Olmus Iralus ex an-
» tiquiſſimis momentis & archivis fide digniſſimis, facti ve-

rita-

ritatem nunc nuper demonſtravit ſolidiſſime, ut miremur, „
inveniri potuiſſe, qui tam præfracte tantaque verborum „
petulantia id negarent. „

Magna quoque hic illos invadet admiratio, qui vide- „
bunt vaticinium, in membrana Anno 1558. Menſe Novem „
bri ſcriptum de iis, quæ nunc demum, annis 1619, 20, 21, 22, „
23, &c. 30, 31, 32, 33, 34, & ſeqq. in *imperio Romano* geſta „
ſunt; quod folium Sibyllæ cura ſumma cuſtodiendum pu- „
tamus. „

Alia hiſtoricorum ſcripta & annales varios, non modio, „
quod dicitur, ſed ipſo horreo admetiri poſſemus, quorum „
plerorumque vos non uſum ſolum magno emeritis ſed & „
viſum. „

Facultatem *Medicam*, quæ ſuperioribus vicina eſt, ſpe- „
ctabilem reddunt omnis generis commentarii, obſervatio- „
nes, methodi, caſtigationes, lexica, inſtitutiones, loci com- „
munes, hiſtoriæ anatomicæ, præcipue manuſcripta Galeni „
multa, conſilia medica & Antidotarium Bartholomæi de „
Montinano. Tractatus principis de Haloaliagen de Medi- „
cina Avicennæ, à Gerhardo Cremonenſe ex Italico in lati- „
num converſus, Marſilius ſuper ſcripta Avicennæ, Jacobi de „
Forolivio commentarius in eundem, Apollonius de ſectio- „
nibus græcus, Synonyma de univerſis libris in Medicina Si- „
monis de janua & id genus plura, propter quæ Æſculapii ne- „
potes vadimonium deſerant. „

Hic quoque cernere eſt notas αὐτογεάφως Doctoris Ge- „
orgii Förſteri in Galenum, in Alexandrum Trallianum, in „
Muſeum, in Conſtantium Africanum, in Clementium Cle- „
mentinum, in Arculani opera. Stupebitis quidem unius viri „
πολυπαραγωσίαν; ſed credite nobis, palmam & huic & aliis „
multis *Palma*, medicorum eximius, præripuit. Galenus „
equidem & Joannes Grammaticus cognomen ſibi à diligen- „
tia invenerunt, alter φιλόπονος, alter φιλοπονώτατος dictus. „

Nos

„ Nos abs re tertium illis adjungimus, Palmam noſtrum, „ apud quem, cum domi fuit, nulla temporis hora lectione, „ meditatione nulla, nulla ſcriptione vacavit. Reliquit nobis „ voluminum ſua manu ſcriptorum copioſam ſegetem, to- „ mos aliquot conſiliorum medicorum & obſervationum „ ſingularium, nondum editarum: praxin medicinæ, ut eam „ Noribergæ per annos compluſculos factitavit, methodum „ curandi ex ore Caſparis Peuceri Wittembergæ olim manu „ puriſſima exceptum, cum notis in Theophraſti Paracelſi & „ aliorum libros.

„ Quibus accedit *αὐτόγραφοι* Nicolai Taurelli, methodo „ prædictionis medicæ inſertum. Accedunt codices Bota- „ nicorum, cum duobus illis, qui florum Eiſtettenſium ex „ vivo ductas, & coloribus apriſſimis expreſſas icones præ ſe „ ferunt.

„ Cuſtodiuntur penes hanc facultatem monſtrorum „ quoque veſtigia quædam animalium variorum anatomiæ, „ vaſa aliquot à vaniſſima gentilitate ſacrificiis deſtinata, & „ humanorum corporum lapides complures, ubi miræ ma- „ gnitudinis calculos veſicales, ante biennium ex puella quin- „ quenni & puero quatuordecim annos nato exemtos (quo- „ rum ſectioni ipſe interfui) conſpicietis, quæ omnia ne præ- „ teriiſſe viderer, ſatis habui, hic attingere.

„ Nunc ad ampliſſimum *jure conſultorum ordinem*, ori- „ entem verſus, depropero, ubi è cenſu nobiliore, plurima „ exhiberi vobis poterunt, maxime manuſcripta, codex juris „ civilis, Bartolus & Baldus, in tomos plures tributi, Anto- „ ninus de Butrio, Calderini repertorium ad jus utrumque, „ Paulus de Caſtro, Gottfridus de Grano, Hoſtienſis appa- „ ratus, Johannes de Lignavio, Clementina cum apparatu „ Andreæ Bononienſis, Bonifacii octo decretalia, Martiniana „ tabula decreti & decretalium, Æneas Sylvius de miſeria „ Curialium, Beneventani ordo judiciarius, Petri de Sanſon diſtin-

distinctiones & alia plurima, quæ recensere minis longum esset.

Venetiis olim index prodiit omnium, ut est inscriptio librorum in jure tam pontificio, quam cæsareo editorum, in quo non solum textus, verum etiam interpretationes, praxes, singularia, decisiones, consilia & alia omnia, ad jurisprudentiam, pertinentia, spectantia proponuntur, authore Joh. Ziletto, jure consulto:

Sed ausim ego fide optima affirmare, & cum Italis insigni quoque decertare pignore, quod bibliotheca nostra si minus librorum numero, at certe authorum pondere, illis par sit.

Hoc vero peculiare videtur, quod omnium bibliothecarum adeuntium oculos ad se convertat, rapiatque juris civilis castigatissima editio, quam Haloander, Florentina, Pisana & ceteris pluribus inter se diligentissime collatis, magno jurisperitorum bono in hac urbe procuravit, dignissima sane auro illo, quo tomi omnes & singuli fulgent.

Et memini eximium quendam juris doctorem Altorfi quondam dicere, tantum ordinis sui Haloandro debere gratiam, quantam â theologis Arias Montanus, correctissima bibliorum hebraicorum editione, iniisset.

Non silebo hic ἀνεκγραφα Francisci Zoanetti & Valentini Forsteri, jure consultorum non è multis, quorum hic tres libros historiæ juris civilis, iste tractatum de Romani imperii jurisdictione senatui nobilissimo nuncupavit.

Ulterius autem, & septentrionem versus si gressum movebitis, ad *Facultatem Theologicam* venitur, cui imperatrici omnes jam nominatæ fasces submittunt, quæque & admiratione coli & silentio prædicari mavult. Est enim admiratio præconium gloriæ, & silentium fidus majestatis interpres; illud tamen dicam; quoquo vos hic verteritis eximii, aliquid occurret, quo reficiamini.

„ Aſſervarur in hoc ordine ingens & pene invidendus li-
„ brorum manu exaratorum theſaurus, codices bibliorum
„ plurimi, græcorum liturgia, tempore Apoſtolis proximo
„ (ut majores noſtri judicarunt) ſcripta, opera divi Hieronymi,
„ Auguſtini opera, duodecim voluminibus comprehenſa,
„ Athanaſii paraphraſis in Pſalmos, inedita, Chryſoſtomi ho-
„ miliæ variæ, præcipue in Matthæum, de quibus Thomas
„ Aquinas dixiſſe fertur, malle ſe eas, quam civitatem Pari-
„ ſienſem, poſſidere; opera Bernhardi, Gregorii, Dionyſii,
„ Origenis plurima, Damaſceni pleraque, Proſperi nonnulla,
„ Nicolaus de Lyra in V. & N. Teſtamentum, Thomæ jam
„ dicti opera, quindecim voluminibus diſtincta, gloſſa ordina-
„ ria in ſedecim voluminibus, eccleſiaſtica hiſtoria tripartita,
„ multis tomis, ſcripta Nicolai Cuſani, varia quædam Gerſonis,
„ opera Hugonis Cardinalis, Hugonis de Prato, Hugonis de
„ Senis, Ramo in prophetas minores, Innocentius de con-
„ temtu mundi, abbatis Joachimi notæ in apocalypſin duobus
„ tomis, Johannis â Seus horologium ſapientiæ, nondum typo
„ cuſum, Alanus de ſex alis Cherubim, Petri Bleſenſis volu-
„ men contra perfidiam Judæorum & commentarius in librum
„ Jobi, liber Johannis de Combaco, conſolationis theologicas
„ complectens, Henrici de Haſſia obſervationes ad Geneſin,
„ Ludolphi de Saro vita Chriſti, commentarius Jacobi Zigleri
„ de conciliis ἀυλέγεαΦ⊙ n. e. Samuelis cujusdam epiſtolæ ad
„ Judæos & hujusmodi prope infinita.

„ Quid vero, ſi quis vetuſta hæc eſſe dicat? fateor eſſe,
„ ſed manu tamen ſcripta, quæ non niſi â veræ ſapientiæ can-
„ didatis æſtimantur. Manuſcriptis ſi conſentiant, ſi â literatis
„ ſint, multum debemus fidei, quibus etiam, ceu ſpongia, ob-
„ ſcuritatum multarum ſordes deterguntur, ut ait Scaliger, vir
„ in miraculum & ævi noſtri gloriam natus. Et habet ſane ſen-
„ tentiæ ſuæ fundos ſubſcriptoresque viros literatiſſimos, ut
„ merito nobis valeant illi, quibus palatum ad tam raræ vetuſta-
„ tis ſaporem obbrutuit.

Adeſt

Adeſt quoque meſis opima librorum Hebraicorum, „
Chaldaicorum, Syriacorum, Æthiopicorum, Dalmatico- „
rum & reliquorum quoque peregrini idiomatis. Adſunt ipſa „
etiam αὐτόγραφα Hebraica Munſteri, Eliæ Hutteri, Danielis „
Schwenteri, & aliorum longe lateque celebrium, Princi- „
pum, Comitum, Baronum, Pircameri, Baumgartneri, „
Lutheri, Philippi, maximo numero Spalatini, Camerarii, „
Scheurelii, Hectoris Pomeri, Hornburgii, Caſparis Nüze- „
lii, Ulrici Hutteni, Georgii Peſleri, Pauli Eberi, Viti The- „
odori, Johannis Mattheſii, totis faſcibus, Cratonis, Lazari „
Spengleri, Andreæ Oſiandri, Bezæ Rudolphi Gvaltheri, „
P. Meliſſi, Johannis Sturmii, Flacii Illyriri, Stigelii, Friſch- „
lini, Franciſci, Raphaëlis, Carlſtadii, Johann Agricolæ „
Islebienſis, Thomæ Münzeri, Samuelis Huberi & plurium. „

Quæ omnia cum non ita pridem inſpectius rimarer, & „
ſuo quoque loco diſponerem, intervenit ex Nariſcorum a- „
gris, Ruſticus ille, qui in Hebræorum lingua & ejus dia- „
lectis non ἡμιμαθὴς eſt, ſed ad ſtivam & inter labores villi- „
canos, ex fundamento tamen eas didicit, ut Hebraica, Syri- „
aca, Arabica, Chaldaica legat, ſcribat, intelligat: qui, incer- „
tum, an magis librorum noſtrorum copiam, quam nos in- „
genium ipſius, & tam vile hoſpitium animæ elegantis, mi- „
rati ſimus. Certe dignum judicavimus, qui ab aratro, ſi non „
ad dictaturam cum Romano illo, in ſcholam tamen publi- „
cam evocaretur. „

Atque hactenus ambitioſo nominum catalogo vobis, „
Auditores, obſtrepere & veſtra abuti patientia viſus forte „
ſum: ſed deprecor â vobis veniam opinioni officii, nec „
poſſum mihi temporare quia unum & alterum pace veſtra „
ſubnectam. „

Vixit hic ante ducentos annos in divæ Catharinæ cœ- „
nobio, Monacha, Margaretha Cartheuſerin, quæ ſua manu „
octo volumina choralis, quam vocant, muſicæ conſcripſit, „

„ & picturis illuſtravit ſeculo illi convenientibus, ut videlicet
„ extaret ad poſteros inimitabilis induſtriæ teſtimonium,
„ quod ex bibliis quoque latinis ab eadem eleganter deſcriptis
„ elucet. Et mirum eſt, quam oculi intuentium raro hoc
„ unius virginis labore capiantur.
„ Nec ſine voluptate noſtræ partis homines aſpexerint
„ Lutheri tractatus, Wittebergæ excuſos, nondum tamen
„ ſive Jenenſibus, ſive Wittebergenſibus tomis inſertos &c.
„ Conſulto præterimus alia, ne nimis longa commemoratione
„ defatigatæ aures, animique veſtri vel obruantur, vel tædio
„ afficiantur. Pauca vero illa de multis, & prope innumera-
„ bilibus elegi, quæ dicerem.

Hactenus de bibliothecæ *Noricæ* MSS. Dn. Joh. Sauberti relatio, ad cujus exemplum conſulto cæterorum theſaurorum membranaceorum commendationes omiſimus, ne nimis longa commemoratione lectorum animi obruantur, vel tædio afficiantur.

XV. Antequam vero hinc abeamus, atque præcipuarum Europæ bibliothecarum ſacra retegamus arcana, duo ſingularia noſtri hujus conaminis indicabimus commoda, atque beneficia, quorum alterum in *eccleſiam orthodoxam*, alterum *rem literariam univerſam* redundare videtur. Primum quod attinet, neminem venerandæ antiq. ſtudio deditum latere exiſtimo, quam varia ac fere omnia SS. Patrum, ſcriptorumque eccleſiaſticorum monumenta, ſive ſeculorum ſuperiorum imperitia, ſive ſcribarum ſeu librariorum, qui dicente D. Hieronymo (ep. 28. ad Lucin. Tom. 1. p. 247. B.) *ſæpe non quod invenerunt, ſed ſcripſere, quod intellexerunt*, incuria, ſive data opera, fraudibusque cum piis tam malignis corrupta ſint, atque vitiata; imo Joh. Ludov. Vive ad lib. XXII. Auguſt. de civ. Dei c. 8. notante, *non dubium ſit, quin multa addita ab iis, qui magnorum virorum ſcripta omnia impuris manibus contaminabant.* Qualia ſexcenta Eraſmus Rhe-

Rhenanus aliique viri eruditi animadvertere. Et Lucas Holſtenius præfat. in Athanaſii opera, Romæ teſtatus eſt, ſe in bibliothecæ regiæ Manuſcriptis multa patrum monumenta hoc modo fœdata inveniſſe. Neque inquit *ſolius Athanaſii ea fortuna, ut ineptiſſimorum interpolatorum manus ſubiret, cum Chryſoſtomi, Procli aliorumque homilias ſimilibus ſequiorum ſeculorum ineptiis fœdatas in eisdem regiis codicibus invenerim.* Atque id profecto cum mihi (verba Deſ. Eraſmi ex præf. in „ Hieron. adſcribo) vehementer indignum videtur in omni- „ bus eruditis, tum longe indigniſſimum in Hieronymo - - - „ Haud ſcio an quiſpiam omnium tractatus ſit indignus. „ Bona pars vigiliarum ejus intercidit. Quod ſupereſt non „ depravatum erat, ſed prorſus extinctum & obliteratum, „ idque partim illiteratorum vitio ſcribarum, qui ſolent ex „ emendatis inemendata deſcribere, ex mendoſis mendoſi- „ ora reddere, prætermittere, quod non legunt, corrum- „ pere quod non intelligunt, velut hebræa græcaque voca- „ bula, quæ frequenter intermiſcet Hieronymus: ſed multo „ ſceleratius â ſacrilegis haud ſcio quibus *ſtudio* detruncata „ permulta, addita nonnulla mutata, pleraque depravata, „ ſordidata, confuſa pene omnia &c. Hactenus Eraſmus; cu- „ jus querela recentiores quosdam non deterruit, quin ſimili audacia in veterum monumenta fuerint graſſati. Quid S. Ambroſio Lugduni apud Frelonios anno 1559. acciderit, ex Fr. Junii teſtis ἀτόπῳ præfat. in ind. expurg. Belg. â ſe edit. abunde conſtat, nimirum duos Franciſcanos pro auctoritate ſua, paginas plurimas ad exemplum veteris & certi exemplaris optima fide impreſſas, diſpunxiſſe, & in earum locum novas (præter omnem librorum fidem) ſubſtituiſſe. Imo quid ipſi Gregorio M. contigerit, copioſe oſtendit Thomas Jameſius in ejus Vindic. anno hujus ſeculi XXV. in lucem editis. Cetera recenſere longum eſſet, & inutile, cum ea de re theologorum & philologorum plurimorum variæ extent diſ-

ſertationes & graviſſimæ querelæ, ê quibus haud poſtremа Kimendoncii lib. II. de ſcript. auth. c. 6. *Teſtes*, (in quit) *appello paſſim tot monaſteriorum bibliothecas, in quarum quibusdam ipſemet vidi monachos audacter admodum falſarias manus intuliſſe ſcriptoribus eccleſiaſticis, integras ſententias & paginas totas obliterando, imò integris ternionibus & libris exciſis autores indigne caſtrando.* Atque hinc Jameſius in præfat. catal. bibl. Bodl. manuſcriptorum Theologicorum uſum majorem eſſe ſcribit, quam vulgo æſtimari ſoleat, propter eorum ungues, qui fœdo contactu Harpyarum inſtar omnia polluunt & contaminant, ſub prætextu (ſi *Dis* placet) ſpecioſo, quod ad veruſtiſſima exemplaria, libros ſuos recognoverint. Itaque haud exiguo (nî fallor) fructu & commodo eccleſiæ orthodoxæ ſe commendat manuſcriptorum Theologicorum in præcipuis Europæi Orbis bibliothecis extantium deſignatio, diſerte indicans, quæ hodie doctorum antiquorum MSS. monumenta quibusque in locis aſſerventur, ut inſtituta paulo accuratiori cum ſuſpectis illis codd. editisque collatione, turpes ac miſeræ corruptiones atque depravationes tanto facilius notari, ab iisque tot illuſtria priſcæ eccleſiæ lumina atque columina liberari poſſint & vindicari. Cum etiam plurima hinc inde in bibliothecis latitent manuſcripta, vitam moresque mortalium corruptiſſimos perſtringentia, quæ ſi publici juris fierent, non exiguum eccleſiæ chriſtianæ corrigendæ afferrent incrementum; ea ne perpetuæ tradantur oblivioni, aut in blattarum tandem & tinearum abeant alimentum, quin potius aliquando, boni communis promovendi ſtudio publicæ luci exponuntur, piorum cordatorumque plurimi, facto ſcriptorum iſtorum accuratiori indicio ſtrenue curabunt.

XVI. Sed jam pergo ad alterum, quod ex indicum ſeu deſignationum editione, in rem literariam univerſam redundare dixi commodum: id eſt *bibliothecæ univerſalis*, tantis

tis eruditionem votis hactenus efflagitatæ, haud contemnendum subsidium; multum profecto illi adornandæ conducere videtur exacta librorum calamo exaratorum & in illustribus passim bibliothecis custoditorum notitia, qua instructus bibl. universalis conditor, indicabit non solum, quinam seculorum superiorum autores editi, hodie MSS. inveniantur, verum qui forsitan huc usque incogniti in suis quasi carceribus fuerint absconditi, atque sic tanto auctior ornatiorque universalis bibliotheca aliquando in lucem prodire possit. Haud equidem me latet, hoc desperatum multis videri, imo magnorum etiam virorum suffragiis conclamatum negotium. Etenim sic (scribente ad Ill. Boineb. D. Conringio p. 39.) vastarum bibliothecarum indices integri, ut confectu perquam difficiles, ita repertu sunt rariſſimi; Si eodem teste, soli *bibliothecæ Augustæ quinque vasta regali quam vocant, proceritate, volumina tribuuntur, plene & minuto charactere scripta, adeo ut librorum illorum annotatio occuparet hominem eruditum peritumque librariæ rei non unum, nec per menses binos, sed per integros aliquot annos; â typographicis vero operis itidem vix intra biennium magnis sumtibus absolvi excusio possit*; quis obsecro sperare aut perfectam bibliothecæ cujusdam universalis, omnium omnino, qui scriptis inclaruerunt, nomina & opera designantis editionem? sive enim autorum, (qui ab orbe vixerunt condito) quis consideret numerum fere infinitum, sive librorum seu voluminum ab iisdem conscriptorum copiam; nationum item, linguarum, & argumentorum varietatem, talia ubique inveniet impedimenta & difficultates, quæ conatum ejusmodi (licet maxime proficuum) vel suspensum reddere possint, vel prorsus intactum relinquere suadeant. Porro autorum singulorum vel si mavis materiarum accurata dispositio, & propriarum sedium assignatio, (quæ summe necessaria) in immensum augebit laborem, satis alioquin arduum,

duum, ſi vel verbotim & confuſe librorum omnium deſignatio eſſet conſcribenda. Curæ huic laborique haud leve accedit tædium, ex perverſis Sciolorum & Zoilorum de optimo hocce conatu judiciis, mercedis quaſi loco exſpectandum, cum multi aſſerere non dubitent, frugiperdarum eſſe opus conſcribere catalogos, i. e. numerare literas, easque ſine emolumento depingere, doctis non magis convenire, quam viris gravibus in arundine longa equitare, κυμινοπρίσαις vix paulo meliores eſſe, qui in hoc muſtaceo quærant laureolam; *adeoque* (juxta Cel. Voſſii querelam in præf. Theolog. Gent.) *laudis nihil ſperandum, quocunque etiam judicio adhibito propter ambitioſulos iſtos inſtrenua inertia, & ingenii & facundiæ laudem ſolis ſibi vindicantes, aliis relinquentes duntaxat laboris gloriam, cum Arcadio ut loqui amant pecore communis.* Quæ & ſimilia ignarorum vel ignavorum contemti laboris præjudicia, ſicut aliis eruditorum utiliſſimis operibus, ita cumprimis bibliothecæ cujusdam univerſalis accuratiori extructioni, obices hoc ſeculo poſuiſſe, quis dubitet? nec mirum profecto, quod ea de cauſa ægre viri docti ad ejusmodi nomenclaturas conſcribendas ſe accingant. Quod ſi vero ſerio ducantur rem ſacram & literariam juvandi deſiderio, parum curabunt ſiniſtra quæque & â ſolo livore dictata judicia, quin potius præclarum illud obſervabunt conſilium, quod Claudius Clemens lib. II. de extruct. Muſ. ſect. III. c. 5. ſubminiſtravit his verbis: *Sæpe optimum factu erit, ut literaria invidia ſcriptis alienis adlatrans, contemnatur potius, quam cum illo decertetur, eſt enim portentum adeo ferax malorum & peſtium, ut cum unam exſecueris, ſubito multo recentiores progerminent. Proinde omnibus ſcriptoribus autor ſim, ut cum ſuum opus abſolverint, illud tradant judicioſis & candidis cenſoribus diligenter examinandum; ſi probaverint, & duxerint, fore ê publico bono, ſi edatur, edant: deinde ſi moroſi carpant, ſi ſemidocti elevent, ſi docti invideant, ſi ſcioli ſemipleno ore laudent, ſi rarus ſit Flaccus, qui*

Det

Det veniam maculis quas aut incuria fudit,
aut humana parum cavit natura; ne magnopere laborent, defensiones haud facile suscipiant; se ipsam invidia conficiat, & livore proprio disrupta crepet, si facere apologiam visum erit, sentiat adversarius, se â nobis superari humanitate & modestia &c. ita Claud. Clemens. Verum multo graviorem laudato negotio obicem ponere videtur certæ cujusdam methodi electio atque adhibitio, cum in bibliotheca nova universali accurate adornanda tot fere judicia inveniantur quot capita, & methodus multorum calculis probata, â pluribus protinus rejiciatur. Quidam bibliothecam universalem in certas classes (nempe theologicam, juridicam, medicam, historicam, philosophicam, philologicam &c.) dividendam esse existimabunt; aliis vix placebit librorum secundum facultates κατὰ πλάτος distinctio, ac v. g. exegeticos, topicos, historicos, asceticos, ecclesiasticos, &c. Theologos, categoriæ theologicæ non simpliciter annumerandos esse reputabunt. Alii aliam requirent dispositionis librariæ ἀκρίβειαν, eamque laudabunt bibliothecæ conscribendæ rationem, quam omnium tutissimam D. Hottingerus in bibliothecario suo c. VII. judicavit; nimirum ut bibliotheca omnium & expedite quidem inservire possit usibus, quatuor disponi debere indicibus, *chronologico*, *logico*, *theologico*, *grammatico*, & uno *syncritico* sive comparativo. In *chronologico* ordinem temporis observandum, autoresque juxta annorum seriem seculis suis distinguendos: cujus tamen catalogi textura tanto sit difficilior, quanto minor ejus ratio hactenus, ab iis qui de bibliothecis scripserunt, habita fuerit. In *logico* indice materiarum sibi subordinatarum συνάφειαν sequendam, cum non in autores semper inquiramus, Augustinum, Chrysostomum, Aristotelem, Euclidem, &c. sed in commentatores sæpe vel sacros vel ecclesiasticos vel profanos, &c. Eapropter indice opus esse, qui materias illas & autores accurate significet. In tertio in-

dice ſive *theologico* ſtricte ſic dicto, pro diverſitate autorum ſive ſubjectorum, Chriſtianorum, Judæorum, Muhammedanorum, Gentilium, &c. ſuis nominibus *theologos* eſſe exhibendos, præſertim cum themata quædam Chriſtianiſmi late ſumti communia, nonnunquam ab autoribus cæteroquin vel ſuſpectis vel aperte heterodoxis tractentur, ut niſi monitor præeat, incautis venenum facillime inſtilletur, quod tamen per indicem ejusmodi theologicum certiſſime impediri caveriquè poſſit. Quartum, nimirum *grammaticum* ſive *alphabeticum* Hotting. duplicem eſſe voluit, *realem* nimirum & *perſonalem*; & illum quidem vel *latiorem* vel *ſtrictiorem*; in latiore, ordine alphabetico materias κάτα πλάτος exhibendas, ab auctoribus integris tractatibus ſive voluminibus, ſive diſſertationibus propoſitas & enucleatas; in ſtrictiori vero non integros tantum tractatus, ſed ſingulas tractatuum partes ad certum ordinem eſſe revocandas. In *perſonali* autem non nomina ſimpliciter ſcriptorum; ſed eorum etiam patriam, nativitatem, profeſſionem, obitum, & tum demum tractatus eorum vel abſolute vel cum epitheto, aut judicii epimetro, anno editionis ſubnexo, indicandos. His indicibus adjungendum monuit *topographicum*, quo ſecundum orbis climata autores exhibeantur, ut primo ſtatim intuitu pateat, quæ cujusque nationis præcipua in literis ſit gloria. Tandem poſt explicatam hanc quadruplicem indicum abſolutorum rationem, *ſyncriticum* ſive comparativum autorum, editionum, imo totarum etiam bibliothecarum D. Hottingerus commendavit. Quandoquidem vero hæc præmonſtrata ab eo indices contexendi methodus, nimis ardua, prolixa & operoſa videri poſſit, nec ea ratione univerſalem quandam bibliothecam, ſed particulares tantum privatasque conſcribendas eſſe ipſe arbitratus fuerit; igitur illam cumprimis in univerſalis cujusdam bibliothecæ extructione methodum ſervandam, cæterisque anteponendam eſſe judicarem, quæ

omni-

omnium brevisſima appareat atque expeditisſima : ea vero ſine dubio eſt *alphabetica*, ſive materiarum realis, ſive autorum perſonalis : quamvis hujus præ illa electionem plurima ſuadere videantur. Id vero maxime, quod obſervata *autorum* ſerie alphabetica, arduum iſtud ac difficile bibliothecæ univerſalis negotium, jam ſeculo ſuperiori communi eruditorum calculo feliciter egerit Conradus Geſnerus, quem D. Conringius eapropter (in ep. ſæpe cit.) merito *τῆς ἐμπειρίας βιβλιακῆς ſummum artificem ac principem magiſtrorum* appellavit; alii vero (D. Hotting. cap. 1. biblioth. teſte) Geſnerum tanti faciunt, ut non facile ſcriptori ſeculorum ſuperiorum aditum in ſuas concedant bibliothecas, niſi in conſilium prius adhibito indice Geſneriano, quo cujuslibet autoris ſeculum, ſcripta, addito ſæpe judicio recenſentur; cujus proinde operis vel ſaltem epitomes Friſio-Simlerianæ continuationem, novæque adeo bibliothecæ univerſalis editionem magni viri valde in hunc usque diem deſiderarunt. Rem itaque iisdem, quin univerſo etiam orbi erudito haud dubie præſtaret longe gratisſimam, quisquis ardentiori ſtudio, niſuque majori *bibliothecæ univerſalis* negotium aggreſſus, vel Geſnero-Simlerianam ſeculo ſuperiori editam continuaverit, atque deſideratos in ea priſcorum (quorum ſatis magnum numerum longo ſtudio collectum ipſe notavi,) & noſtrorum temporum autores librosque adjecerit; vel habita *cognominum* potiori quam prænominum ratione (ſecus quam â Geſnero, Simlero & Friſio factum deprehendimus, cum tamen frequentisſime accidere ſoleat, ut cognomine probe perſpecto, prænomen autoris ignoretur,) novam plane librorum univerſalem deſignationem conſcripſerit, inque lucem emiſerit. Ut vero eo magis appareat, quænam operæ huic tam gratæ ac deſideratæ, ex MSS. in præcipuis bibliothecis extantium deſignatione ſperanda ſint emolumenta atque ſubſidia, placuit quoddam *novæ bibliothecæ*

universalis specimen adornare, in eo omnes (quantum fieri potest) scriptores quorum *cognomina* â syllaba *AB* incipiunt, ordine suo recensere, & quinam ex illis hodie extent manuscripti indicare. Quo facto D. V. ad ipsa bibliothecarum illustrium sacra penetralia accessum faciamus. (a)

(a) Ea quæ hoc loco promisit autor, habentur in ipsis sacris bibliothecarum illustrium arcanis retectis.

CORONIS PHILOLOGICA

De Veterum Ebræorum & recentiorum quorundam erga bibliothecariam & literariam rem amore ac ſtudio,

Ad diſſertat. prælim. lit. A. 10. & B. 2. ſive §. III. & IV.

I.

QUantâ curâ & induſtriâ *Ebræi veteres* Muſas ſibi in contubernium adſciverint, quantumque de *re libraria* adaugenda & literaria promovenda fuerint ſolliciti, facile ex eo apparet, quod academia Hieroſolymitana, ante ultimũ urbis excidium, collegiis amplius quadringentis inſtructa, & in quolibet בית ספר ſeu bibliotheca peculiaris aſſervata fuerit, (conf. Sigon. lib. II. de rep. ebr. c. 8.) minime neglectis cæterarum gentium, cumprimis Græcorum & Arabum voluminibus, quæ non ſolum à præfectis ſtudioſè conquiſita, verum ſermone nonnunquam hebræo, linguarum exoticarum imperitis ſunt communicata. Et niſi harum pariter ac diſciplinarum variarum ſtudia Hieroſolymis poſt Babylonicam captivitatem egregie floruiſſent, qui obſecro tot excellentes & præclaros viros Eleazarus pontifex maximus in Aegyptum ablegare potuiſſet, ut Græcam bibliorum veteris teſtamenti in Ptolemæi Philadelphi gratiam adornarent verſionem? quos tamen omnes Ebræos fuiſſe & domi inter ſuos enutritos nemini dubium eſt aut ambiguum. Quid, quod eadem fere tempeſtate tanta Ju-

dæorum fuerit ob ſapientiam æſtimatio, ut etiam Ariſtoteles apud Clearchum (licet portentoſo & cum ſumma inſcitia conjuncto errore) autumarit, eos ſophorum Indorum eſſe propaginem, teſtatusque fuerit, veniſſe ad ſe, in Aſia cum degeret, judæum tanta eruditione atque ſcientia conſpicuum, uti præ illo omnes Græci præſentes trunci eſſe & ſtipites viderentur. Vix certe veriſimile foret, ambitioſiſſimi ingenii philoſophum (cui nihil tam familiare, quam illaudatum aliis ſapientiæ fama præſtantibus detrahendi ſtudium) tam honorificam de extraneo quodam prolaturum fuiſſe ſententiam, niſi ineluctabilis veritatis vis ipſi quodammodo eandem extorſiſſet.

II. Verum flagrantiſſimum Ebræorum veterum erga literarum ſtudia omnemque librariam rem affectum etiam inde colligere poſſumus, quod non niſi ſcientia & eruditione inſigni præditos olim in Synedrium ſive magnum, ſive triumvirale aliquod cooptaverint, nec juris ſolum Moſaici tam ſcripti, quam ore (uti credebant) traditi, ſed artium & diſciplinarum aliarum (maxime quarum in ſententiis rite ferendis uſus poſſet eſſe neceſſarius) cognitione imbutos eſſe voluerint. Id vero ne temere ſcripſiſſe videar, teſtem nomino R. Jehudam Levitam in cujus libro בוזרי part. II. §. 64. p. 127. verba extant ſequentia: *ſynedrii aſſeſſoribus* (hebraica è Buxtorfiana peti poſſunt editione,) *mandatum fuit, ne ipſos lateret ulla ſcientia, ſeu vera,* (quæ ſcilicet ſuas habet demonſtrationes) *ſeu imaginaria,* (magica, veluti divinationum, incantationum exorciſmorum, ſortium, &c.) *ſeu ex conſenſu & inſtituto hominum excogitata, adeo ut etiam incantationum magicarum, & linguarum variarum peritiam habere debuerint. Et quomodo ſemper reperiri potuiſſent LXX. ſapientes, niſi ſapientiæ & diſciplinæ omnes late diffuſæ & perpetuæ fuiſſent in populo, ut decedente ſene uno ſtatim in ejus locum alius ipſi æqualis ſubſtitui poſſet? Imo quomodo aliter eſſe potuiſſet, cum*

bis

his omnibus ad legem (intelligendam & explicandam) *opus habuerint? &c.* Hinc etiam R. Maimonides *Halach. Sanhedrin.* Cap. II. §. 1. diſerte ſcribit: אין מעמידין בסנהדרין בין בגדולה בין בקטנה אלא אנשים חכמים ונבונים מופלגין בחכמת התורה בעלי דיעה מרובה יודעים חצת משאר חכמות כגון רפואות והשבון ותקופות ומזלות ואיצטגנינום ודרכי המעוננים והקוסמים והמכשפים והבעלי עבודה כוכבים ומזלות וכיוצא באלו כדישיהיו יודעים לדון אותם: quæ latine ita ſonant *neque in magnum nec in minus aliquod ſynedrium* (*vigintitrium virale*) *cooptabantur quipiam, præter viros ſapientes mente præſtabiles in diſciplina legis, ſcientiæ multiplicis, adeo ut haud neſcii prorſus eſſent cæterarum artium, ut medicinæ, arithmeticæ, motuum & ſiderum cœleſtium, & aſtrologiæ, præſtigiarum peritiæ, item divinationis ac magiæ, etiam & affaniarum quæ habentur in cultu ſiderum & ſignorum, idgenus rerum aliarum; ut ſcil. idonei eſſent ad judicium de eis ferendum.* Quis autem obſecro tantam eruditionem absque inſigni librorum varietate & ſelectu crederet fuiſſe comparatam? Quamvis incredibile prorſus appareat, quod de Synedrorum peritia in Gemara Babyl. (ad Tit. Sanhedrin cap. 1. f. 17. 1.) R. Jochanan pronunciavit: אין מושיבין בסנהדרי אלא בעלי קימה ובעלי חכמה ובעלי מראה ובעלי זקנה ובעלי כשפים ויודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרי שומעת מפי התורגמן: h. e. *non cooptabant in Synedrium* (magnum & vigintitrium viralia intelliguntur,) *alios, quam qui eſſent ſtatura egregia, ſapientia, vultu decoro, ſeniores, magia ac præſtigiarum periti, etiam & linguarum ſeptuaginta callentes, ne Synedrium audiret per interpretem.* Id ſane omnem fidem excedere videtur, niſi *numero ſeptuagenario* qualemcunque tantum linguarum peritiam, judiciis forenſibus idoneam ſubindicatam crederemus; ſicuti Ebræorum aliqui generatim eos יודעים הלשונות *linguarum peritos* fuiſſe tradiderunt. Haud adeo credibile (ita præclare Seldenus lib. II. de Synedr. c. 9. ſcribit) videtur aut quemlibet in Synedria cooptandum tot linguarum neceſſa-

ceſſario peritum eſſe debuiſſe, aut forſan quempiam fuiſſe. Mithridatis ſcientia linguarum viginti duarum gentiũ, ſcil. quibus ipſe imperitabat, velut miraculo habetur, quas ideo edidicit, ut eas ſine interprete alloqui poſſet, quæ ipſa linguarum à ſynedris ediſcendarum eſt ratio. Legimus quidem apud Philoſtratum, Apollonium Tyaneum, Armenicam, Medicam, Perſicam, Caduſiacam, πάσας demum ἀνθρώπων φωνὰς *univerſas hominum voces* ſeu linguas optime calluiſſe, nec interim eas didiciſſe; ſed adjicitur ab eodem authore, Apollonium hunc ſatis percepiſſe καὶ ὅσα σιωπῶσιν ἄνθρωποι, etiam quæ *tacebant aut cogitabant homines*, imo & avium aliorumque brutorum voces omnes intellexiſſe, quod parilis eſt farinæ, pariterque credendum. Igitur recte concludit Seldenus, LXX. linguarum peritiam per hyperbolen ab Ebræis memoratam fuiſſe, ſicuti per eandem innumera tradere conſueverint, ubi aut præſtantiam ſingularem innuere, aut gravius quid reprehendere adverſumve denotare voluerint. Veruntamen magni illius ſynedrii adſeſſoribus teſte Maimonide l. d. c 2. *opera danda erat ut univerſi eſſent eloquio ſingulari, & multarum ſeu plurium linguarum periti, ne ſcil. ſynedrium audiret per interpretem.* Imo vero non in foro ſolum & judiciis publicis, verum in ritibus etiam aliquot ſacris tum græca tum aliæ linguæ ſæpe numero ab Ebræis veteribus ſunt uſurpatæ, uti conſtat ex Miſnæ tit. Sota cap. 7. Talm. Babyl. fol. 32. *Hæc* (ſcil. carmina ſolennia, in ſacro ſermone præſcripta, ſtatisque dicenda temporibus) *dicuntur*, (ſeu dici rite poſſunt,) *in linguis cunctis; examen uxoris viri zelotypi, & id quod anni tertii decimarum ſolutioni juſtæ proxime ſubjungendum; ſolenne illud Audi Iſrael, precationes, benedictio menſæ, juramentum teſtimonii, ſuramentum depoſiti, &c.*

III. Quis itaque non miretur Fl. Joſephum ipſum Ebræum, Jurisque Ebraici (uti jactantius profitetur) ſcientiſſimum,

mum, genti ſuæ gloriam hanc literariam derogare, turpique ruditatis ſtigmate eam notare neutiquam dubiraſſe, dum linguarum artiumque peregrinarum ſtudia apud ſuos omnino interdicta pronunciavit: En verba, ex lib. XX. antiq. cap. 9 καὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἦ γραμμάτων ἐπαίδασα μεταχεῖν τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν ἀνελαβόν, τὴν δὲ ὀρθὴν τὴν προσφορὰν ἀκρίβειαν, πάτριος ἐκώλυσε συνήθεια παρ' ἡμῖν γὰρ οὐκ ἐκείνους ἀποδέχονται τὰς πολλῶν ἐθνῶν διαλέκτους ἐκμαθόντας, διὰ τὸ κοινὸν εἶναι νομίζειν τὸ ἐπιτήδευμα, τέλος μόνον, οὐκ ἐλευθέροις τοῖς τυχοῦσι, ἀλλὰ καὶ τῶν οἰκετῶν θελήσιν, μόνης δὲ σοφίας μαρτυροῦσι, τοῖς τὰ νόμιμα σαφῶς ἐπισταμένοις καὶ τῶν ἱερῶν γραμμάτων δύναμιν ἑρμηνεῦσαι δυναμένοις. h. e. *Etiam græcas ſtudui literas adipiſci, artis namque grammaticæ experimentum ſumſi, integritatem verò pronunciationis verborum poſſidere me paterna conſuetudo* (ſeu mos ebraicus) *prohibuit. Quippe cum apud nos non recipiant eos, qui elocutionem multarum gentium didiciſſe noſcuntur,* (vel ut poſt Ruffinum Gelenius reddidit, qui multas linguas perdidicerunt,) *eò quod commune putent hoc officium non liberis tantummodo ſed etiam volentibus ſervis, ſapientiam vero illos tantummodo teſtantur habere, qui leges ſub integritate cognoſcunt, & virtutem ſacrarum literarum interpretari poſſunt.* Ita Joſephus, qui profecto longiſſime à veritatis aberraſſet tramite, niſi hæc anno decimo tertio Domitiani ſcripſiſſet, ſeu ſub Chriſti nonageſimum tertium (ut ipſe illic teſtatur) quo tempore ab invaſione Titi Auguſti & *linguarum peregrinarum interdicto publico*, Hieroſolymis evulgato, quindecim plus minus anni erant elapſi, poſtquam ſcil. (verba Miſnæ adſcribo tit. Sota. cap. 9) בפולמום של טיטום גזרו שלא ילמד אדם את בנו יונית: *In bello Titi decreverunt, ne quis filium ſuum græce doceret.* Sicuti enim alias Judæi, graviores calamitates paſſi, ac inde velut attoniti, ſuique vix compotes, profana ſtudia (quibus præter legem ſacram ſæpe fuerant occupati,) incuſare, imo diris etiam publicis, (teſte auth. libri Juch. fol. 17. 2.) devovere non dubitarunt, *ſimul*

eum qui nutriebat porcum, & eum qui filium ſuum ſapientiam græcanicam doceret; ita obſidionis Hieroſolymitanæ ultimæ tempore græcarum Romanarumque diſciplinarum inſtitutionem edictis publicis ſevere prohibuerunt. Qua ratione Joſephus l. d. Talmudicis aliisque ebræorum magiſtris neutiquam adverſabitur, utpote qui haud negavit, florente adhuc rep. Judaica artium linguarumque plurimarum cognitionem Hieroſolymis viguiſſe, cum certisſimum ſit, non modo linguam græcam, verum etiam græcorum philoſophiam, ab Ebræis jure ſuo olim viventibus, ſummopere æſtimatam fuiſſe. De lingua etenim græca teſtes ſunt egregii, non ſolum græci vet. teſt. interpretes ſeptuaginta ſic dicti, verum etiam Joſephus ipſe cum Philone & aliis. Quod vero ad philoſophiam artesque græcanicas attinet, apprime notandum, quod Talmudicis (in Gem. Babyl. ad tit. Menachoth cap. 6. fol. 64.) memorentur: חמש מאות שלמדו חכמת יונית *Quingenti* (etiam in una ſchola Abbæ) *qui ſcientiam græcanicam ſeu Romanam didicerint*. Cumprimis verò Ebræi veteres diſciplinarum mathematicarum fuerunt ſtudioſisſimi, adeo ut ſcribente R. David Kimchi ad Jeſ. c. XL. 26. *Rabbini exiſtimarint in univerſos, eorum qui non utuntur calculo aſtronomico, dici ſcripturam illam* (Jeſ. V. 12.) *Et opus Domini non reſpiciunt, & quæ fecerint manus ejus non conſiderant; dicunt etiam homini præceptum eſſe, calculo ejusmodi coeleſti* (qui ſine arithmetica & Geometria fruſtra initur) *uti, juxta illud quod dicitur* (Deut. IV. 6.) *etiam cuſtodietis & facietis* (juſſa mea) *quoniam hæc eſt ſapientia veſtra, & intelligentia veſtra coram gentibus. Quænam eſt ſapientia veſtra & intelligentia coram gentibus? Eſt plane calculus periodorum corporum cœleſtium.* Præter philoſophiæ autem ſtudium veteres quosdam ebræos, etiam poëtarum græcorum lectioni incubuiſſe haud obſcure oſtendunt ea, quæ Paulus Apoſtolus, diſcipulus Gamalielis ex Arato, act. XVII. 18. Epimenide tit. I. 12. & Menandro I. Cor. XV. 33. allegavit,

ſicuti

ſicuti & Origenes notavit, Paulum in philoſophia græcanica *non facile contemnenda*, imo ἐμφανέμενον τι μέγεθος *apparentem majeſtatem* agnoviſſe. Illius cum Judæos quosdam peritos eſſe gentiles viderent, eos propterea ſæpe ſunt admirati.

IV. Haud incommode etiam egregia artium linguarumque apud Ebræos veteres cultura ex multiplici gentium in terram judaicam confluentium diſcrepantia colligitur, de qua S. Lucas Act. II 8. ſeqq. *Quomodo nos audimus eos ſua quisque lingua, in qua nati ſumus? Parthi & Medi & Elamitæ, & qui incolimus Meſopotamiam, Judæamque & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ eſt ſecundum Cyrenen, & advenæ Romani, tum Judæi, tum proſelyti, Cretes & Arabes &c.* Quis vero eos ſine inſigni erga literarum etiam ſtudia amore & cupiditate hieroſolymitanam academiam petiiſſe exiſtimet? nec opus ut ad majorem nationum numerum eliciendum cum C. Barthio (lib. V. adverſ. c. 2.) ſacrum textum ſollicitemus, ac loco Ιδδαίαν legamus Ιδυμαίαν: quæ peculiaris regio à Paleſtina ſejuncta erat; aut cum alio magnæ eruditionis viro (in not. ad h. l. MSS.) Ινδίαν ob literarum proximitatem, & quia India Meſopotamiæ vicina fuerit, ſubſtituamus; quis enim temere quicquam in ſacris mutare auſit voluminibus, vel reclamantibus codicibus omnibus alienam textui intrudere lectionem? iſtæ profecto, quarum diſerte mentio fit nationes, Hieroſolymis quondam ſapientiæ cauſa congregatæ, de præclara ingeniorum Judaicorum cultura, & inſigni erga peregrinarum linguarum artiumque ſtudia amore adfectuque abunde teſtantur. Etſi vero celebratiſſima hæc veterum Ebræorum academia idem poſtea cum civitate hieroſolymitana fatum experta, atque cum bibliothecis & collegiis ſuis omnibus iisdem ruinis ſepulta fuerit; iſta tamen calamitate haud omnes diſcentium Judæorum cœtus ſublatos, nec amorem literarum

omnino extinctum fuisse, ex eo apparet, quod post occupatam urbem, eversum templum & trucidata multa Judæorum millia, Gamaliel, senioris ex filio Simeone nepos (cui non solum vitæ gratia, verum etiam Jafne oppidum, tertio à Joppe distans lapide est concessum) novam ibi academiam erexerit, cunctis studiose confluentibus, qui ex ruinis hierosolymorum evaserant. Quemadmodum & aliæ deinceps illustres Israelitarum scholæ floruêre, cumprimis in *Bitter*, cui quadringenta collegia, quadringentos singula præceptores habentia, (quorum unicuique quadringenti auditores fuerint) Talmudici adscripserunt, eaque propter Judæi recentiores externum duntaxat splendorem & inania cæremoniarum æstimantes, scholarum suarum decus, post reip. panolethriam ad summam ἀκμὴν deductam fuisse judicarunt. Etenim requirebatur in eo qui Rabbini seu doctoris ebraici munus erat obiturus non excellens solum sapientia theologica, verum etiam artium & scientiarum plurimarum exquisita cognitio, exoticarum insuper disciplinarum medicinæ, arithmeticæ, astrologiæ, magiæ, multarumque linguarum peritia; non quod hæc omnia in quolibet candidato, vel pleraque extiterint (cæteroquin R. Asche primus Gemaræ Talm. consarcinator, ob plurium notitiam neutiquam tantopere fuisset commendatus, conf. R. Abr. Dijor in Kabb. f29.) sed quod aliqua horum saltem adesse putarent in quibus excelleret, ac unde magister sive doctor agnominari posset. Hinc est quod ex doctoribus quidam mathematici laudentur, alii medici, philosophi, poëtæ, chronologi, &c. ut non uno sed multiplici eruditionis genere gradum obtineri, significarent. Nec tamen illud prætereundum, aliquando anathema decretum fuisse in eos, qui philosophiæ studebant ante trigesimum ætatis annum, verum R. Abbamari bar Mose R. Salomonem ben Adrat illius authorem libro peculiari מגחת קנאות

קנאות *Oblatio Zelotypiarum* dicto refutavit, in eoque doctissimorum ebræorum epistolas super hoc argumento scriptas collegit, quem librum MSS. Constantinopoli R. Jac. Romanum habuisse, in specimine bibl. univers. indicavimus.

V. Porro de profundiori priscorum ebræorum eruditione non parum testatur eorundem in recondendis theologiæ suæ arcanis singulare studium, quod ab antiquissimis græcorum philosophis ad ebræos transmissum fuisse verisimile videtur, quamvis sint, qui gentilium sapientes, ab ebræis potius mythicum seu parabolicum docendi genus accepisse, ipsumque Pythagoram Judæum fuisse existiment, variis antiquorum Justini, Ambrosii, Numeniique Pythagorici aliorumque nixi testimoniis. Quicquid vero de eo sit statuendum, abunde profecto constat, ebræos pariter ac gentiles priscos, symbolicum doctrinæ modum ita excoluisse, ut magnam suæ doctrinæ partem variis mysteriis ingeniosisque fabulis occlusam esse voluerint. Quam ab causam vero ex gentilibus Pythagorei & Platonici tantopere mythico huic studio fuerint dediti, Macrobius lib. 1. in Scip. somn. c. 11. egregie his verbis expositit: *mysteria ipsa,* (inquit,) *figurarum cuniculis operiuntur, ne vel his ademptis nudam rerum talium se natura præbeat; sed summatibus tantum viris sapientia interprete veri arcani conscius, contenti sint reliqui ad venerationem, figuris defendentibus à vilitate secretum.* Et cum dicente Synesio (in Calvitii encomio) intellectu facillimum â plebe derideatur, oportuit prodigiosas adhibere narrationes. Hinc etiam præ cæteris Ægyptii hujusmodi philosophandi inhæsere rationi, qui cum acri essent & subtili ingenio, ac profunda quadam mentis contemplatione in excolendo veritatis studio continuo occuparentur, nec minus admirabilem illam in rebus omnibus eluceſcentem naturæ majestatem, ordinatissimum cœlorum concentum, nexum præ-

terea elementorum, conſenſum etiam latentium in rebus proprietatum diſſenſumque intuerentur; hiſtorias ſeu fabulas potius illas deorum confinxêre, quas licet rudis & ad quidvis credendum proclivis populus ſimpliciter intellexerit, eas tamen ſapientiores tum ad mores, tum ad naturæ myſticas ſignificationes, ac denique ipſum omnium rerum archetypon ingenioſe tranſtulerunt. Idem certe Palæphatus ſcriptor antiquiſſimus libro περὶ τῶν ἀπίστων ἱστοριῶν innuit clariſſime: *Hominum inquit alii, & ii maxime qui ab omni ſapientia & eruditione alieni ſunt, omnibus illis quæ dicuntur perſuaſi, fidem adhibere conſueverunt; quidam vero natura duce prudentiores, curioſique magis, & in rebus negotiisque plurimis verſati, omnia illa quæ traduntur fieri, ut penitus credant adduci nequeunt. - - Quæ autem facta revera fuerant, poetæ nugatoresq; plerique in incredibile magis atq; admirabilius quodpiã converterant, ut iſta legentes homines in maximã raperent admirationẽ:* Imo vero ut artificioſis etiam ſimilitudinibus homines ad contemplationem rerum præpoſitarum traherent, propoſitis pœnis à vitiis abſterrerent, præmiis ad virtutem allicerent, & contemplatione latentium myſteriorum eos ad meliorem vivendi ſtatum perducerent; id quod in Obeliſco Pamph. lib. III. c. 1. & Oed. Ægypt. tom. II. claſſe III. Athan. Kircherus documentis variis oſtendit. Ad eundem fere modum priſcos Ebræos multa occultaſſe, ipſumque τὸ ἀληθὲς fabulis & figuris quibusdam allegoricis occultaſſe, teſtimoniis pariter ac exemplis plurimis demonſtrari poſſet, ſi otium tantummodo ſupereſſet. Inter teſtimonia tamen eminet magni illius Ebræorum magiſtri R. Moſ. Majmonidis, quod in Comment. Arab. ſuper capit. Chelek, (quod eſt X. Masſichtæ Sanhedrin ex verſ. doctiſſ. Pocokii in porta, f. 144.) ita ſonat: *Ex iis quæ ſcire debes, eſt in verbis ſapientum interpretandis, diſtribui homines in tres claſſes. Prima, (atque hi plurimi ſunt eorum, quos vel quorum ſcripta vidi aut de quibus audivi)*

audivi) *eorum est, qui ea juxta sensum literalem intelligi volunt, neque ea ullatenus interpretantur, adeo ut his impossibilia quævis necessario existere videantur, &c. Digna autem est misera hæc secta, cujus desleatur stultitia - - - classis secunda numerosa etiam est, istorum sc. qui cum dicta sapientum legerint aut audiverint, atque juxta sonum verborum acceperint, rati noluisse sapientes aliud quam quod præ se ferunt verba, incipiunt stultitiæ, fœditatis & absurditatis incusare illud quod absurdum non est; ac frequenter verbis sapientum illudunt, se illis sapientiores & perspicatiores esse judicantes, &c. Sunt autem hi stultiores classe priori magisque fatui. - - - Secta tertia est paucorum admodum, adeo ut non aliter secta audiat, quam sol species; sunt autem illi quibus constat de eorum quæ fieri non possunt impossibilitate, & non locutos* (Rabbinos sc.) *de eo quod fieri non possit, unde certo statuunt subesse verbis ipsorum exterius quid & interius, ac quotiescunque loquantur de rebus impossibilibus, habere verba ipsorum rationem ænigmatis & parabolæ, iste enim mos fuit sapientum magnorum.* In hunc plane sensum etiam P. Galatinus lib I. de Arcan. carh. ver. c. 7. f. 23. notanter scribit, veteres & recentiores Talmudistas infinita prope arcana *figuris & ænigmatibus* tradidisse, quæ iis qui non intelligant, fatuitates atque absurditates videantur, quo loco etiam exemplum egregium à R. Eleazare in capit. ex libro Zoar allatum exposuit; sicuti & eundem Rabbinum sub paradoxis & lepidis narrationibus obstrusiorem sensum occultasse. G. Henr. Vorstius in præf. *Pirke Elies.* elegantissime ostendit, conf. Wilh. Schikardum in משבט המלך cap. I. theor. II. pag. 15. Omnium optime autem argumentum hoc nuper tractare cœpit vir summus D. Joh. Adamus Scherzerus, theologus Lipsiensis celeberr. atque præclarum theologiæ ebræorum mythicæ, exemplis variis illustratæ specimen, sub finem Trifolii sui Orientalis p. 155. seqq. exhibuit idemque negotium se alibi & ex professo executurum promisit, si modo benigniora

(quod

(quod precor ex animo) hiſce literis fata contigerint, prudentiſſime vero magnus ille vir l. d. p. 159. monuit, exempla mythicæ ebræorum theol. non ideo à ſe adducta fuiſſe, quaſi crederet, in Talmude cæterisque Rabbinorum commentis nullas plane nugas aut putidiſſimas fabulas contra ſanam rationem confictas extare, ſed demonſtrare tantum voluiſſe: *Ebræos doctiores ſaltim ea, quæ tanquam horrenda ἀπόρρητα, & blaſphema in Dei naturam ipſis attribuuntur, nequaquam hoc ſenſu & ad literam intelligere.* Quam ſententiam ipſe D. Buxtorfius, Baſileæ quondam à me eo nomine compellatus, calculo ſuo apprime probavit.

VI. Quod denique illuſtrius excultarum ab ebræis artium & linguarum, extructarumque bibliothecarum egregiarum requiras teſtimonium, quam quod ipſorum met eruditione varia refertiſſima monumenta libraria editaque opera ſuppeditant, clariſſime indicantia, etiam eos qui patriorum inſtitutorum fuerunt obſervantiſſimi, libris, linguis ſtudiisque variis ſtrenue incubuiſſe. Celeberrimi nominis hic ſunt (omnes enim recenſere nimis longum foret) in priſcis ipſe Fl. Joſephus, Philo, Ariſtobulus, (apud Clem. Alex. Strom. I. & Euſeb. lib. VII. præpar. evang. c. 44.) Juſtus Tiberienſis, poeta Verpus apud Martialem & alii. E recentioribus R. Alphes epitomator Talmudis, R. Moſes Majmonides, digeſtorum hebraicorum author, qui idem in omnibus philoſophiæ ac medicinæ partibus excelluit, ut ob rariſſimam omnigenæ eruditionis copiam velut alter Moſes habitus fuerit, imo de eo diſerte ſcribit R. Gedal. *quod excelluerit in lege, philoſophia, logica, medicina, linguarum item ſcientia arabica, græca & chaldæa.* Quorſum etiam referendi ipſi librorum ſacrorum interpretes, *Jarchides*, *Aben-Ezra*, (quem R. D. Ganz in Zem. Dav. p. 55. magnum & mirabilem, haud dubie propter inſignem rerum etiam philoſophicarum peritiam appellavit, qua de libri quoque ipſius

in Spec.

in ſpec. noſtro indicati egregie teſtantur.) *David Kimchius*, & inter poſteriores *R. Iſ. Abarbenel*, qui in libro מפעלות אלהים *Opera Dei* dicto, de creatione mundi contra Ariſtotelem aliosque æternitatem ejus aſſerentes præclare diſputavit. In hunc numerum etiam veniunt R. Levi ben Gerſon, R. Abraham ben Chajia, R. Iſaac bar R. Mardocai, cumprimis R. Jehuda Levita, doctiſſimus author libri Coſri, omnigenæ eruditionis floribus referti, & à D. Buxtorf. lat. nuper ed. item R. Simeon *Logicus*, R. Baruch Moguntinus, qui librum de ſapientia contexuit, R. Juda Paſi, cognomento Chijug, qui primus anno Chriſti cIↃ xL. grammaticam concinnavit. R. Nathan ſynagogæ Rom. rector, qui anno cIↃ cvI. primus lexicon chaldaicum congeſſit. R. Samuel Abben Tibbon, qui phyſicam hebræam conſcripſit, quemq; Majmonides dignum æſtimavit, qui more Hannevochim hebraicè verteret, ut in Juch. f. 131. legitur. Translatio adeò feliciter ſucceſſit, ut R. Jehudæ in eodem opere inſumtus labor planè contemneretur. R. Jſaacus Cordubenſis, homo opulentus, & augendæ librariæ ſuppellectilis apprimè ſtudioſus, aliique plurimi. Sic Romæ inter libros, qui Hieroſolymis erant allati, Salomon fil. Virgæ author libri *Schebet Juda*, ſeu hiſt. Jud. latine à G. Gentio ed. p. 188. ſe vidiſſe memorat librum quendam à Lazaro Levita ſcriptum de terræ globo, utrum ille moveatur, cur in medio aëre circumfuſo pendeat? quæ ille omnia præclaro carmine ſit executus, ut hebraicis literis docti chriſtiani & Poetæ Judæi teſtentur. Eundem, (inquit) de gemmis & plantis earumque virtutibus egregium carmen compoſuiſſe; tum de homine, quem in quatuor ordines dividit. I. in eruditos, II. mercatores. III. milites. IV. agricolas &c. De hinc ad cœleſtia converſum, primum Lunam, ejusque virtutem, qua inferiori huic mundo dominatur, motusque expoſuiſſe; porro ſeptem planetas, duodecim cœli ſigna, ipſorum vires atque magnitudinem; tum

decem angelorum ordines *Deo* omnipotenti miniſtrantes celebraſſe; poſtremo quatuor ſummi numinis formas, æternamque & immenſam ſapientiam non minus doctè quam ſvaviter collaudaſſe. Quin & ex ipſorum hebræorũ libr.s ſatis conſtare d. l. ſcribit Salomon, quod multis in rebus ſapientiſſimum virum Platonem præclare confutaverint, & admiranda olim ſapientia præditi fuerint. Nec prætereundi hiſtorici, qui gentilium pariter ac Judæorum res geſtas ex ebræis deſcripſerunt, variisque gentium ſtudiis haud parum imbuti fuerunt, R. Azariah Edomæus, R. Abraham Zacuthius, (libri Juchaſin author) R. Gedaliah ben Jechai, R. Benjamin ben Jona, R. David. Ganz, Salomon fil. Virgæ, quorum libri paſſim eruditorum manibus teruntur, ut taceam eos, qui libros veterum phyſicos, medicos, aſtronomicos, tam è Græca quam Arabica lingua in ſuam tranſtulerunt. Etſi vero recentioris ævi *hebræi* (judice R. Salom. fil. Virgæ l. d. p. 424.) *haud diſſimiles ſint iis, qui ex colliſis acriter ſilicibus ignem ægrè eliciunt; multum quidem laborant, ſed parum promovent: & illud ipſum parum propemodum nihil eſt; Judæorumque ſtudia nunc perinde ſe habeant, ac ſi quiſpiam ex colliſis acriter ſilicibus ſcintillas excutiat; quæ partim in ſublime feruntur, atque eo ipſo, quod ſublimia petunt, pereunt; partim vero in terram decidunt, atque ſubito extinguuntur.* Nonnulli tamen veterum exemplo in eodem inſtitutionis genere perſeverarunt, & acquiſita variæ eruditionis copia, vel veterum monumenta typis deſcripta diſſeminarunt, vel meditata nova non uno gentium Europæarum idiomate in lucem ediderunt, quo pacto ſibi noſtra ætate, præter R. David. Cohen de Lara, libri de convenientia vocabulor. Rabbinicor. cum græcis & aliis quibusdam linguis Europæis authorem, mihi cum Amſtel. degerem notiſſimum (qui & Abrah. Eben-Ezræ ænigma de literis אמת præfat. in pentat. inſertum, egregie explanatum, publicæ luci Lugd. 1658. latine expoſuit) haud exigu-

exiguam famam paravit doctissimus ille synagogæ Amstelodamensis moderator R. Menasse ben Israel, cujus libri plurimi de creatione, de termino vitæ, de fragilitate humana, de resurrectione mortuorum, &c. latino sermone concepti reperiuntur, præter quos lingua Hispanica edidit *Pene Rabba*, seu indicem in Rabbos, commentatores illos antiquissimos, nec non *la primera parte de conciliador, è nel Pentateucho*, (ubi 30. fere quæst. habentur, quæ non item in vers. latina) *segunda, in los Prophetas primeros*, (quæ nondum latio data; ubi simul parti primæ addenda adduntur ibid. omissa) *tercera, in los Prophetas postreros* (quæ itidem non versa, ubi similiter adduntur secundæ parti addenda) *quarta in los libros Hagiographos y resto de la biblia*; opus eruditiss. Dedit præterea, *El Humas jon los præceptos Afirmativos y negativos a la margen. La biblia Hespanola, con el commento. El Thesoro de los Dinim en 4. libros. La Economica, que contiene todo lo que toca al matrimonio, y Dinim de las Mugeres, hjios, siervos, bienes. Oracion Panegyrica, à su Megestad la Reyna de Suedia. Oracion gratulatoria al Celsissimo Principe de Orange.*; & quod ult. fuit *Piedra pretiosa, o de la Estatua de Nebucadnezar, con de se exponelo mes essential del libro de Daniel*, de cujus LXX. hebdomadibus itidem tract. voluit parare, ut in præfat. hujus promittit; nec hi tractatus translati. Tandem unum atque alterum in Anglia edidit Anglice: Paulo enim ante obitum honorifice juxta ac amicissime â regicida illo (cui nomen & omen recta parva faciendo erat;) vocabatur cum familia & præcipuis mercatoribus Judæis Londinum, nimirum eorum opibus avide inhiabat Cromwellius, eaque propter literas ablegabat ad Menassem tanta benevolentia tamque amica scriptas manu, ut christianus ad christianum vix humanius potuisset. Et hac sua astutia quod volebat forte obtinuisset, nisi judex supremus utrumque ad tribunal vocasset; utinam ad utriusque salutem! Antea vero Menasse Angliæ parlamento inscripserat tract. de spe Israel, in quo putidissimi de Israelitis Ameri-

canis commenti, & prodigiosæ de gentium Americanarum origine Israelitica sententiæ (peculiari tract. à me discussæ,) patronum agere non dubitavit, pro dedicatione tamen sua gratias reportavit à parlamento maximas, à quodam adsessore E. S. Middelsex in literis eucharisticis fratris æstimatissimi elogio ornatus, ita enim verba sonant: *To my deare brother Manasse ben Israel the Hebrew philosopher, &c.* qui alias quoque studiose quærebat christianorum favorem, cujus gratia etiam libr. de fragil. Ger. Anslo, & Petram pretiosam Is. Vossio dedicarat. At ubi Angli fraus Batavis detecta, privilegiis Judæorum, privilegia addidere Amstelodamenses, ut cum maxima libertate ibi degere possint. Imperfecta etiam Menasse reliquit plurima; hinc caremus *Sapha Berura*, gramm. sc. ebraica, cum novis observationibus; *nomenclatore* item *ebræo-arabico*, tractatu de *scientia thalmudistarum*; *philosophia rabbinica*; *historia judaica, sive continuatione Flavii Josephi*, ad nostra usque tempora; fasciculo epistol. 200. ad orbis literatos, tractatu de Divinitate & authoritate legis Mosis, bibliotheca Rabbinica, cum argumentis, editionibus, singulorumque judiciis, defensione latina Talmudis Babylon. homiliis 450. Hispan. item *Phocilide Poëta Griego, traduzido in verso Hispannol, con notas.* Genero suo (licet librorum parum amanti) Menasse thesaurum MS. Rabbinicorum 10000. floren. Batav. testamento legavit. Inter reliquias ejus quoque fuit Targum Arabicum MS. in Thora; Biur item MS. in pergam. super Ralbag de anima; pars I. thesauri de moribus Judaicis hodiernis, & tract. lat. cui tit. *liber unus de charitate & benevolentia christianis erga judæos habenda, ab evangel. lege extractus.* Cujus tamen an Menasse author sit non satis constat. Denique in Anglia adhuc superesse ajunt arma ejus funestissima æternisque tenebris sepelienda, quæ tandem in Christum suosque voluit convertere & directe quidem, quæ ante indirecte fecerat, sicuti & nostro tempore in Hispania R. Imm. Aboab. *Nomologiam* edidit, qua contra christianos (quos subinde ut Abarbenel & Menasse citavit, probare conatus est, legem oralem seu traditiones Talmudicas veras esse; ibidem R. Isaac Athias libro Hispan. cui tit. *thesoro de preceptos*) legis causas rationesque edisseruit. Plura de ebræorum aliorum per Germaniam, Bohemiam, Poloniam, Italiam, cæterasque Europæ, Asiæ, & Africæ provincias eruditione varia sigillatim dici potuissent, ne tamen nimis excrescat nostra coronis, hæc de insigni veter. & recentiorum erga literariam & librariam rem amore & studio notata

SUFFICIANT,

ORA-

ORATIO
De
BIBLIOTHECA
IVLIA,
Qua
Illuſtriſſimo Principi
FRIDERICO VLRICO
Duci Brunſvicenſi ac Luneburgenſi,
de tam illuſtri ornamento Academiæ ſuæ conceſſo, gratias, ſenatus Academici decreto egit, & argumentum hoc plenius aliquanto perſecutus eſt,
CHRISTOPHORUS HEIDMANUS
Eloqu. Prof. Publ.
Acceſſerunt clariſſimorum aliquot virorum de eodem argumento carmina.

I. Lipſius,

De laudabili principum in colligendis bibliothecis ſtudio.

HOs tales in bonis altisque conſiliis confirmare, aut & inflammare, optimo publico cenſeo equidem fieri. Quam pauci magnatum ſeeo dant! Quam ad priſtinas ſordes & tenebras omnia videntur ire!

Illustrissimo Principi ac Domino,

FRIDERICO VLRICO,

Duci Brunsvicensi ac Lunæburgensi,

Domino meo Clementissimo.

ILlustrissime Princeps, domine clementissime, virtutum, quæ vos, tam illustri loco ortos, atque ætatem perpetuo in illo rerum fastigio, & clara luce agentes, omnibus commendant, & venerandos efficiunt, propeque immorteles præstant, non postrema putanda est beneficentia. Qua ut quisque maxime utitur, ita quam maxime ad divinæ bonitatis præstantiam accedit. Quod etsi facere suo loco omnes par est homines, tamen neminem id magis decet, quam qui ceteris sese mortalibus antecellere student. Eo numero vos estis, Principes, eoque nomine felices præ aliis plerisque. Quod enim multi frustra sæpe optant, vos perficere facillime potestis, ut de quam plurimis præclare mereamini, & populos fidei vestræ commissos, non solum à calamitatibus multis immunes conservetis, sed, quo nihil homini nato magnificentius contingere in hac vita potest, ut beatos eos reddatis, quatenus id tamen in miseram hujus vitæ conditionem cadit. Profecto ut publice ac privatim honeste vivatur; ut justitia in foro, prudentia in curia, religio in templis ac domibus privatorum, liberales artes ac disciplinæ in scholis vigeant, floreant, & latius indies propagentur; ut modestia, frugalitas, æquitas animi ac probitas, denique boni mores ab omnibus colantur, ut in officio sint omnes, ut avaritia, luxus, ignavia, ambitio, & voluptates turpes, animorum & reip. pestes

teter-

teterrimæ, eædemque perpetuæ, exſtirpentur, aut certæ ſe veritatis veſtræ acuta, ut ita dicam, falce recidantur; hæc, inquam, atque id genus opera pulcherrima, & beneficia longe maxima, vos, quibus illæ partes ab univerſi hujus conditore & gubernatore mandatæ ſunt, præſtare gentibus, populis ac nationibus poteſtis. Jam quantum illud veſtri ordinis quamque eximium munus, bella, & quæ cum iis perpetuo fere conjuncta, regionum vaſtitatem, & miſerorum atque innocentium hominum egeſtatem, aut interitum etiam, præcavere atque avertere, quantum licet, aut certe exortam ejusmodi tempeſtatem quam celerrime & commodiſſimis rationibus ſedare! pacem contra & concordiam aut conſtitutam firmare ac tueri, aut turbatam revocare atque conſtituere! certe divina illa prorſus merita in genus hominum ſunt, eaque clare demonſtrant, vos æternæ illius ac beneficæ naturæ veros ac legitimos eſſe, uti par eſt, vicarios. Illa enim omnibus pariter conſulit; vos plurimis. Itaque laudem quoque vobis veram, magnam, ſolidam paratis, & ab illa, quam Deo tribuimus, proximam. Qui ut nunquam prædicari à nobis, etiamſi velimus, ſatis poteſt, ita vos etiam vix ſatis; qui quidem ita, uti dixi, de populis veſtris meremini, aut mereri conamini. Venerationem quidem veſtri in omnium intelligentium animis excitatis ſingularem, eamque ad omnem poſteritatem transmittitis. Quis enim noſtrum beneficos heroas, quotquot unquam, aut uſpiam fuere, de quibus fama internuncia acceperimus, non hodieque tacitus veneratur? ut de aliis nunc nihil dicam, quis avum tuum, divum Julium, *quis parentem,* divum Henricum Julium, *magnos & ſapientes, inprimisque benignos principes, non iſto genere cultus in hunc quoque diem proſequitur? quorum ut taceam alia plurima & maxima in ſuos beneficia, de nobis, id eſt civibus ſuis, præclare, immo divinitus meriti ſunt eo, quod Academiam hanc annis ab hinc XLVI. condiderunt, & deinceps conſervarunt. E qua interea ii ad eccleſiam, totamque remp. fructus redundarunt, ut non nos tantum, ad quos illud proprie munus pertinere videri poterat, ſed alii quoque homines infiniti jure ſibi eo nomine*

mine gaudeant & gratulentur, optimisque heroibus immortales gratias habeant. Et certe fieri non poterit, quin vel unum illud regiæ beneficentiæ genus ab oblivionis injuria, & dentibus ævi nomina istorum herorum, per se illustrissima, in perpetuum vindicet. Tua quoque, princeps illustrissime, benignitas in obscuro esse non poterit, quamdiu homines meminerint, quo affectu academiam hanc patriam atque avitam, hodieque tuam, complexus fueris hactenus, & in hunc diem complectare. Non meminisse id autem non poterunt, quamdiu in novo isto Juleo (quod parenti tuo bonarum artium cultores & sapientiæ debent) iidem, & quicunque hospites, unquam videbunt, bibliothecam vestram Juliam. Quam tu quo die academiæ utendam fruendam concessisti, non nobis magis, quam nomini tuo illustrissimo & famæ consuluisti. Prædicabunt enim id munus tuum, quotquot eo unquam deinceps fruentur: admirabuntur etiam plerique, qui tantum intuebuntur. Equidem anno abhinc tertio, senatus academici decreto, magnificentiam illam tam regiam, habita publice oratione in satis frequenti academicorum consessu, pro tenuitate mea conatus sum, qua ratione potui, commendare, tuæque benignitati gratias omnium nostrum nomine agere: etsi id, opinor, neque desideras ipse neque exspectas. Quorum ut hoc animum regium, id est, altum atque excelsum decet, ita nostræ pietatis profecto est, non negligere, quid tantis meritis debeatur. Oratio ea qualiscunque hactenus apud me, nemine, ut equidem existimavi, eam requirente, delituit. Nunc, quum id primariis & prudentibus viris ita placere intelligam, non difficulter mihi persuaderi passus sum, ut in lucem prodire ei permitterem. Quæ si parum diserta atque ornata est, cujusmodi mea esse neque ignoro, neque dissimulo, talem tamen esse confido, quæ animum memorem, gratum, pium denique, id est, illustrissimæ vestræ familiæ deditissimum, & academiæ hujus vestræ studiosissimum, omnibus qui unquam legerint, testari etiam apud alios, & posteros forte queat: si tamen ea ita scripta est, ut ætatem ferre possit. Quod equidem vel ea de causa exoptem, ut pluribus etiam deinceps constet, me laudibus tuis &

majorum, quibus tantum debeo, quantum non temere ullo tempore persolvam, aliquo saltem pacto servire, & animum, qualem fas piumque est, approbare voluisse. Eo consilio, Illustrissimæ Celsit. Tuæ hanc orationem, cui unice debetur, inscribere, dicare & consecrare volui: etsi fastigio isto & splendore nequaquam digna, neque cum eximia ista munificentia ullam in partem conferenda est. Quod si quis factum meum imperitiæ damnare aut temeritatis volet, meminerit, Deo quoque immortali, & qui ab eo magnitudine beneficiorum proximi sunt, non id offerri ab hominum genere plerumque solere, quod ipsis proprie conveniat, sed quod quis pro facultate sua & copia possit. Te autem, Illustrissime Princeps, qua debeo animi submissione oro, ut voluntate recta & officiosa defungi me hoc assignato munere patiare, quum facultas ei non ubique respondeat. Tum, ut academiam hanc tuam Juliam, decus & ornamentum harum regionum, & boni publici quendam quasi fontem, aut hortum, nec inamœnum, & in primis fructuosum, paterno avitoque exemplo porro complectare: idque prævideas, ne temporum hac difficultate, ne dicam iniquitate, opus tam laudabile tuorum majorum detrimenti aliquid capiat. Me quoque, si non prorsus indignus id rogo, gratiæ tuæ & favoris aura aliqua sive radio beare, ut spero, non dubitabis. Vale, Illustrissime Princeps, & præsidio regum regis, consiliis tuis salutaribus, res patriæ, graviter culpa quorundam conturbatas & afflictas, feliciter erigere atque constituere perge. Ita ipsa patria, omnesque in ea boni tua spe respirabunt, & tantum istud beneficium, æterna cum prædicatione tui nominis, in omnium mentibus vivet. Dab. in illustr. acad. tua Julia. VI. Kal. Junias. cIↃ IↃ cXXII.

Illustr. Cels. Tuæ.

deditissimus

CHRISTOPHORUS HEIDMANUS
Eloqu. Profess.

ORA-

ORATIO
DE BIBLIOTHECA JULIA.

QUod Deus opt. Max. bene vertat, quod nobis omnibus, Magnificie Dn. Pro Rector, Viri Reverendi, Conſultiſſimi, Clariſſimi; juvenes optimarum artium Studioſi, multisque præterea mortalibus feliciter idem evenire velit; illuſtrem bibliothecam Juliam, in aula Guelphica hactenus adſervatam, ſuperioribus vero menſibus juſſu Illuſtriſſ. Principis noſtri huc translatam, hodie in illis ſedibus ſuis, proprioque domicilio collocatam ac diſpoſitam videre, qui vultis, & contemplari poteſtis. Qua quidem ex re quantam voluptatem & nunc capiatis vos, Patres Acad. & deinceps capturi ſitis, ignorare non poteſt is, qui perſpectum habet, quanto ea ſtudio deſiderata hactenus, & non votis tantum tacitis, ſed claris etiam vocibus, & crebris litteris prope efflagitata ab iis ſit, qui omnium deſideria, eaque honeſtiſſima, adjuvare poſſe credebantur. Nempe quo diutius illa caruiſtis, quo ſæpius eadem uti ac frui exoptaſtis, eo majori ſtudio advectam nunc, ſuisque armariis aptatam intuemini. Immo vero tanto avidius eam perluſtrabitis, & illa doctorum ſapientiumque ingeniorum monumenta, oculis, manibus, animis ac mentibus cupidiſſimis uſurpare, ni fallor, voletis. Quod facere profecto non poteritis, quin & ipſi gaudio quodam ingenuo perfundamini, & Academiæ Juliæ, quique in ea deinceps victuri ſunt, hoc tam illuſtre ornamentum, tam neceſſarium ac nobile inſtrumentum tacite gratulemini: & tanti denique muneris auctori, Illuſtriſſimo Principi, *FRIDERICO VLRICO*, Duci Brunſvicenſi ac Lünæburgenſi, Domino noſtro clementiſſimo, immortales eo nomine gratias agatis. Qui ne vel hac parte inferior patre atque avo, ſapientibus cumprimis & magnis heroibus videretur, ejusmodi in eam

conferre beneficium voluit, quod perpetuum foret, quodque ad omnem posteritatem propensum suum in homines literatos animũ, remque literariam provehendam testaretur. Meminerat à *Divo Julio*, avo suo conditam & præclare constitutam hanc esse Academiam: nomine etiam illo augusto, & per orbem terrarum illustri donatam. Videbat à patre, *Divo Henrico Julio*, incomparabili prorsus ævi nostri principe, non conservatam modo, sed auctam etiam adque amplificatam: imprimis hoc tam splendido sapientiæ templo decoratam. Paria igitur cum iis facere, & honestissimo quodam certaminis genere contendere statuit. Non solum, quod æternæ id sibi illisque gloriæ fore videret, sed, quod fructum hinc maximum in ecclesiam, in scholas, in rempubl. patriamque universam redundaturum probe intelligeret. Academiam enim utilitatis communis quendam quasi hortum, & salutis publicæ fontem esse, æque atque illi, persvasum sibi habebat. Itaque non tam suam laudem, quam civium suorum, & populorum tutelæ fideique suæ commissorum, aliorum etiam plurimorum longe maxima commoda spectabat optimus princeps, quum Academiam ornabat hoc tam luculento donario: quod pater ejus atque avus, sapientes & suorum amantissimi principes, item fecerant. Qui quam rectum consilium ac salutare ceperint, de condenda, fovenda, ornanda, atque amplificanda Academia hac Julia, res nimirum ipsa loquitur. Hisce enim tribus & XL. annis, quibus hoc ad Elmum musarum domicilium floruit, infiniti hinc viri literis & virtute præstantes, tanquam ex equo Trojano prodierunt, qui ecclesiis, qui scholis, qui diversis civilis vitæ partibus præfecti felicissime fuerunt, & in hunc diem sunt. Quem locum verbo nunc attigisse sufficiat: explicare diligentius non sit hujus temporis; neque id facere fortasse sine jactantiæ suspicione possim. Apparet vero etiam sic, neque quisquam vel iniquus vere nega-

regaverit, fructum honestissimi consilii principibus nostris hactenus præclare constare. Neque vero laus eorum unquam intercidere poterit: etsi, quod facile credas, non tam eam, quam bonum publicum in oculis habuerunt. Vivit etiam nunc, & perpetuo vivet *gloria divi Julii*. Cujus merita in ecclesiam & remp. nemo hodie commemorat, quin conditam ab eo, denominatamque Academiam iis annumeret: qua illum unice oblectare se, & magnifice efferre solitum esse accepimus. Vivit item nunc, & æternum vivet, *nomen & fama Henrici Julii*, magnanimi & sapientis herois: idque non in memoria tantum ac mentibus nostris hæret, sed oculis etiam animisque obversatur, perpetuoque obversabitur universæ posteritatis, quam diu magnifica hæc ædes, *novum hoc Juleum* dico, eruditionis, facundiæ, virtutis, prudentiæ, omnium laudandarum artium palæstra, oppidum hoc illustrabit. Vivet cum eorum laudibus, & pari gradu ad immortalitatem procedet *memoria Friderici Ulrici*: neque eam ulla temporis longinquitas obscurare, aut oblivionis noctem inducere ei poterit, quamdiu erunt qui meminerint, & quod hominum gratorum est, ingenue prædicabunt, hoc, quo de nunc agimus, beneficium. Quanquam illi, quamdiu literarum studia colentur, & bibliothecæ aliquis usus erit, deficere non poterunt. Quin ipsa, ut omnes conticescant, quod fieri tamen non posse credam, ipsa, inquam, bibliotheca Julia, quamdiu in sacello isto suo conspicietur, ignorari munificentiam nostri principis non patietur. Ut enim ipsum nomen Academiæ Juliæ conditorem suum, divum Julium; ut conspectus Templi hujus parentem suum, divum Henricum Julium; ita bibliotheca Julia, in illo musarum delubro publicis usibus dedicata, auctorem illius muneris Fridericum Ulricum, omnibus qui eam coram intuebantur, tacita denarrabit, & de ejus benigno in rem literariam animo, de benevolentia in Academiam suam, &

Academicos omnes, de ſtudio in univerſam remp. & patriam, non obſcure loquetur. Vobis enim Pat. Acad. & per vos juventuti iſti, bonarum artium ſtudioſæ, multis præterea aliis, denique univerſæ patriæ noſtræ, fructus eam ferre optimus princeps voluit. Hac ille cauſſa omnem iſtam librorum copiam, quam avus primum, non ex ſuis modo provinciis coëgerat, ſed undique, etiam longe diſſitis è locis collegerat; quam pater deinde, pro excelſo ſuo & regio prorſus animo, mirifice auxerat libris pretioſiſſimis, alioque digno tali bibliotheca ornatu, Academiæ huic ſuæ utendam fruendamque conceſſit. Quod qua occaſione, quo tempore, quo impulſore impetratum initio & promiſſum, tandem etiam perfectum ſit, nemo veſtrum, clariſſimi viri, ignorat. Nam quum antea ſemper humaniſſimus princeps animo toto ac mente Academiam hanc ſuam complexus fuiſſet, neque id ſemel aut obſcure oſtendiſſet; tum vero anno abhinc quinto, paucis diebus poſt, quam *Annam Sophiam*, Joannis Sigismundi, Electoris Brandenburgici filiam ſibi, nobis & omnibus bonis fauſtiſſima quæque apprecantibus, matrimonio junxiſſet, ita luculenter id declaravit, ut qui de eo ambigere amplius poſſet, equidem arbitrer eſſe neminem. Nam ut nihil nunc de aliis, iisque minime dubiis benigni ejus in nos animi indiciis loquar, quod facere ſane poteram, & forte debebam, unum illud, cujus cauſſa ſuſcepta hæc atque inſtituta mihi oratio eſt, tacitus præterire neque poſſum, neque debeo. Quum enim eo, quod jam indicavi, tempore in oppidum hoc eſſet ingreſſus, cœnæque ſuæ, qui mos optimis & humaniſſimis principibus noſtris eſt, è numero veſtro, patr. acad. adhibuiſſet plures, omni comitate vos, id quod ſcimus, eſt complexus. Heic tum in multis variisque ſermonibus, etiam ſeriis, quos partim ipſe princeps, partim nova nupta, partim hujus mater ſereniſſima intulerat, (hæ enim etiam tum huc venerant: credo, ut obiter oppidum

pidum academia illustre viderent) abs te, *Corneli Martine*, collega & amice plurimum honorande, uti ex aliis postridie, paulo post vero ex teipso etiam audivimus, bibliothecæ mentio percommode facta est. Dixeras enim, invitante & occasionem optatam præbente sermone ipso, à principibus instituto, Academiam Juliam perquam necessario hactenus instrumento carere, bibliotheca, qua tamen optimus princeps eam beare facillime posset: quippe quam concluſam, nulliusque prope usibus servientem in aula sua habeat. Quod quum rationibus non levibus, ex ipsa re & præsenti negotio ductis demonstrares, facile, quæ tua in dicendo facultas est, animum benigni & Academiæ hujus suæ amantissimi principis impulisti, ut id, quo sine magno suo incommodo, & multorum fraude carere non posse, non debere Academiam intelligeret, promtissime ei concederet. Fuit autem id tibi omnino facilius impetrare, quam nostri ordinis cuiquam, quod humanissimo principi non minus hodie carus ob eruditionem, integritatem, & merita in hanc Juliam nostram es, quam magno heroi, acerrimoque & æquissimo ingeniorum censori fueras, Henrico Julio: cui quidem carissimum semper fuisse scimus. Nec passus igitur est munificentiam suam, quam nemini hactenus, ac ne immeritis quidem interdum clauserat princeps benignissimus, quamque ipsius prope Academiæ voce elici facile intelligebat, aut implorari frustra, aut diutius desiderari. Statim enim, præter omnium, ut equidem arbitror, spem dixit, se bibliothecam suam, Academiæ itidem suæ huic Juliæ, ne quid ei ornamentorum desit, concedere; idque postridie, jam hinc discessurus, eidem tibi, cui pridie pollicitus fuerat, ultro iterum confirmavit, audientibus plurimis. Hic ego si tam benigno promisso, & te, qui id impetraras, & nos omnes, qui Academiæ, ut par est, quam rectissime consultum volumus, velle certe debemus, re ista cognita, gaudio perfusos dicam, falsi quidem nihil; at multo,

multo certe minus, quam debeam, dicam. Etenim quod omnes jam pridem exoptaveramus, quod fieri posse, & futurum aliquando quidam augurabantur; nonnulli vero impetrari unquam posse desperabant, idque præ se ferebant, adeoque palam dictitabant; pauci sperabamus; id eo die impetratum esse omnes intelligebamus. Itaque cum ipsi mirum in modum lætabamur, tum vero Academiæ, pro suo quisque affectu atque captu, gratulabamur: principis vero munificentiæ gratias etiam tum, in animo quisque suo ac tacito pectore, agebamus. Neque vero nos tantum, sed plerique etiam de juventute nostra, (celeriter enim res tam læta, tam omnibus grata, tam laudabilis principis munificentia ad omnium notitiam pervaserat) hoc tam illustri beneficio gaudebant. Et quum etiam tum quidem pusillo homines animo, ne dicam parum de principe suo recte existimantes, nondum ambigere, hæsitare, dubitare, & nescio quid suspicari de nonnullorum in nos animo viderentur, quasi divino quodam instinctu idem princeps dubitationem omnem discussit, & voculas inanes repressit. Datis enim ad senatum academicum literis, id quod privatim uni Cornelio receperat, publice universæ academiæ pollicitus est, & per quos tradenda, uti tam quidem putabatur, quique inspectionem ejus essent habituri, significavit. Intervenerunt sane postea ejusmodi tempora ac negotia, quæ traditionem diutius, quam nobis jucundum esset, remorarentur, neque tamen interea aut nos de fide promissi dubitavimus, neque ipse princeps, quod pollicitus erat, non repræsentare semper studuit. Itaque & deinceps aliquoties promissum repetiit, & quamprimum id commode fieri posset, ac per alia gravissima negotia liceret, transmittendam bibliothecam confirmavit: id quod ita factum omnes jam scitis. Mense enim octobri superioris anni, litteris consiliariorum in aulam evocati ad certam diem, missique ab academia sumus,

mus, qui traditam ab iis, quibus id mandaverat princeps, bibliothecam acciperemus. Qua quidem in re eam adhibitam esse à nobis diligentiam confidimus, cujus Academiam pœnitere non debeat. Tradi igitur cœpta est die Octob. XX. & sequentibus ferme decem: idque à clarissimis & consultissimis viris, *Joanne Peparino*, juris utriusque Doctore, & consiliario ab aliquot jam annis Guelphico, & *Theodoro Bloccio*, eidem principi à secretis. Quorum ille non titulo jurisconsulti, & dignitate illa consiliarii, quam studio omnis liberalis atque elegantis doctrinæ, & fide in principem nostrum, clarior est. Eum enim adolescentem, superioribus annis, jussu magni herois, Henrici Julii, cui sese & industriam suam magnopere probarat ad virtutem, & officium omne boni principis sedulo erudiit, quod neque dissimulandum, nec in postrema laudum ejus parte ponendum est: præsertim quum non domi tantum id munus obierit, sed per Germaniam, Galliam, Britanniam, Belgicum eum sit sequutus: neque laborem saltem æquissimo animo tulerit, sed invidiam quoque interdum subire non recusarit, dum patriæ, qualem debebat, & optabat principem informaret. Huic inquam viro, & Theod. Bloccio, eas partes dederat princeps noster, ut Academiæ Juliæ bibliothecam suam traderent. Quorum quidem tam propensam in nos voluntatem, tamque eximium studium, (etsi jam ante minime id obscurum erat) illo tempore, atque in isto negotio, ita clare perspeximus, ut, nisi id occasione oblata testemur, etiam apud alios, parum æqui aut grati officiorum æstimatores videri possimus. Equidem facultatem hanc mihi oblatam gaudeo, qua meritis eorum aliquam saltem gratiam referam, idque ex hoc loco. Jam vero ut ipsam vobis bibliothecam, auditores, oratione hac quasi aperiam, proximum esse videtur, idque sine dubio plerique vestrum expectant, adolescentes optimarum artium studiosissimi. Ita enim scire etiam ipsi atque arbitrari possitis, quam am-

plum, quam illustre, quam prorsus regium munus ab illustrissimo principe, & nutritore hodie suo, academia Julia acceperit. Quod quidem molestum mihi non foret exponere, diligentius aliquanto & accuratius, nisi & tempus ipsum eam ad rem nimis angustum, & omnia illum in usum evolvenda essent diligentius. Illud tamen vere dicere me posse scio, neque de eo quisquam, ut opinor, ambigit, quæ alias bibliothecas exornant atque commendant, ea huic quoque nostræ aut suppetere pleraque, aut non certe ita multa in ea desiderari: quædam etiam huic obtigisse, quæ in aliis forte plerisque, nonnullis certe, frustra requiras. Sunt enim, auditores, sunt in illa, quam videtis, bibliotheca Julia, non vulgares tantum, omni in genere disciplinarum libri, de quibus cum tot passim extent hominum eruditissimorum præconia, nihil mihi nunc dicendum puto; sed plurimi etiam rari, & non cuivis, in literarum tractatione mediocriter saltem versato, noti aut visi: iique partim recentes ac novi, partim etiam ejusmodi, quos vetustas commendet: plerique, ut necesse erat, typis excusi; neque nulli tamen etiam calamo exarati: iique, ut speramus, (neque enim hactenus explorare satis licuit) non pessimæ notæ. Inter quos familiam, meo quidem judicio, facile ducunt volumina illa tria legis divinæ, in membranis, hebræorum literis descriptæ. Quorum unum saltem grandi pecunia, si potestas ipsis facta esset, redimere paratos ante aliquot annos fuisse quosdam ê gente Judaica, indicium facit inserta ei parva chartula. Sunt & aliis, orientalibus præsertim linguis editi libri; sunt antiqua aut peregrina scriptura confectæ tabulæ, rerum istarum cupidis aut curiosis, ut arbitror, non injucundæ futuræ. Inprimis vero spectatu digni mihi videntur duo illi ampliſſimi & speciosissimi globi, universi hujus æmuli. Quorum in altero cœlum ipsum, & astrorum situs figurasque varias; in altero terras, maria, fluvios, insulas, montes,

& id

& id genus alias naturæ partes diverſas, ſæpeque admirandas, quaſi coram intueri licet. Qui duo globi non magnitudine tantum eximia, & ſpecie, qua non temere forte aliis iſto in genere inferiores ſunt, ſed eo etiam admiratione digni mihi videntur, quod non, ut plerique æneis tabulis inciſi, deindeque chartis impreſſi, ſed labore incredibili, quod nemo non facile conjiciat, calamo ſunt & manu deſcripti. Itaque non mirum, ſi magna pecunia ab Heroë magnificentiſſimo, Henrico Julio, ante aliquot annos Pragæ emti, illuſtrique ſuæ bibliothecæ ornamento ſempiterno futuri, in aulam ſunt miſſi. Eo igitur ſive ornamenti ſive inſtrumenti genere bibliotheca noſtra pleraſque alias deinceps aut ſuperabit, aut facile certe æquabit. Jam illud quoque veriſſime dicturum me ſcio, reperturos in armamentario illo, omnium litterarum, omnium artium ac diſciplinarum cultores, quod in ſuo quemque eorum inſtituto non parum juvet. Habent hic philoſophi, omnesque eorum ordines, omnes familiæ, diſcendi ac proficiendi occaſionem: habent medici, habent jurisconſulti; atque hi quidem longe maximam optimorum iſtius ſuæ diſciplinæ librorum copiam: habent denique theologi perquam illuſtria & ſplendida ſublimis illius ac divinæ ſuæ ſcientiæ monumenta. Poſtremo quicunque vel pectus ſuum liberali aliqua eruditione complere, vel animum ſtudio virtutum ad honeſtatem componere; vel prudentiam ſibi è civilium cognitione rerum parare ſtudent, qui mentem ſcientia, ipſaque rerum domina ſapientia exornare, aut linguam diſerta oratione expolire volent, in iſto, quod videtis, muſarum, eruditionis ac ſcientiæ ſacrario, adjumenti plurimum reperient. Eſt enim bibliotheca probe inſtructa, id quod nemo noſtrum ignorat, commune omnium litteratorum inſtrumentum. Itaque Academia non magis ea carere ſine maximo ſuo incommodo poteſt, quam domus ſuppellectile, navis armamentis,

exercitus armis, omnis denique artifex, ad opus aliquod præclarum elaborandum, idoneis instrumentis. Quod quum præclare nosset princeps humanissimus, eam quam dixi librorum copiam nobis suppeditavit non invitus. Quo quidem tam luculento subsidio quicunque nunc aut deinceps unquam, ad divina illa mentis atque animi bona paranda, utentur, facere non potuerunt, quin & animos principum nostrorum taciti admirentur, à quibus tam copiosa, tam varia, tam nobilis librorum omnis generis suppellex collecta, magnisque sumptibus in unum contracta locum est: & iisdem, quorum munificentia se erudiri intelligunt, ingentes, adeoque immortales gratias apud seipsos, atque alios etiam, agant. Hic si quis miretur, quid causæ fuerit, cur principes nostri, longe aliis curis, ac negotiis gravioribus, ut non nemo facile arbitretur, occupati, tam insignem optimorum librorum copiam colligendam sibi censuerint, is de ingeniis eorum non sane sibi compertum satis esse, eo ipso prodit. Neque enim, ut Licinius olim imperator ita hi literas virus & pestem publicam judicabant. Nec Caracallæ similes erant, qui nihil boni cogitabat: neque enim id didicerat, quod ipse fatebatur, ut scribit Dio. Prorsus ab istis talibus animo, lingua, moribus & institutis discrepabant, (id quod omnes sciunt) nostri illi Heroes. Ejus vero non paulo melioris ac prudentioris regis judicium probabant, qui, spernentibus quibusdam literarum studia, neque satis principi decora perhibentibus, vocem bovis eam esse dicebat, non hominis. Ipsi, cum sibi persuaderent, id quod autore olim minime imprudente Fl. Vegetio, scriptum est; *neminem esse, quem magis deceat, vel meliora scire, vel plura, quam principem, cujus doctrina omnibus potest* (addas non injuria, *debere*) *prodesse subjectis*; animos suos bonis literis, & salutari doctrina non leviter imbuerant. Præterea non ignorabant, reges olim magnos & excellentes, cum ipsos literarum

studiis

ſtudiis operæ multũ ac temporis impendiſſe; tum vero duces bellicos, & imperatores ſummos, eruditionis laude plerumq; aut ipſos excelluiſſe, aut certe viros humanioribus artibus & ſapientiæ ſtudiis deditos ſecum, non domi tantum, ſed in longinquis etiam expeditionibus habuiſſe; atque adeo familiares, ut prope in convictum nonnulli & contubernium ſuum eos aſſumerent. Eſſe autem libros neceſſarios iis, qui iſtis ſtudiis delectantur, neſcire non poterant: quum ne vulgus quidem imperitum id ignoret. Accedit quod eſſe hos maxime fideles ac liberos conſiliarios, neque gratiæ colligendæ cauſſa quidquam ſive reticere, | nihil ſimulare aut diſſimulare, non odio aut amori, non invidiæ, non timori, non ulli denique obnoxios affectui eſſe, id quoque vel Demetrio Phalereo, viro prudentiſſimo, & Athenarum quondam moderatore, admonente didicerant. Is enim *Ptolomæum Ægypti regem*, ad quem fugerat, ab ingrata patria pulſus, *hortari ſolebat, ut ſcriptos à prudentibus de regno adminiſtrando libros ſtudioſe legeret. Inventurum enim in iis, quid facto ſit opus, ut munus illud ſuum tam auguſtum omni ex parte rectius exſequatur: Id enim conſiliarios metu deterritos ſæpe dicere libere non audere.* Hæc noſtri illi in adoleſcentia ſua ab iis, quorum ſtudio eruditi fuerunt, ſæpe (quis enim dubitat?) audierant. Etiam illud, eſſe mutos iſtos ſive mortuos magiſtros, ut oraculi voce quondam appellatos libros accepimus, optimos ac fideliſſimos vitæ duces, officiique doctores. Neque vero ignorare poterant, principi bono ac ſalutari non minus, aliquanto etiam forte magis, decora eſſe pacis quam belli inſtrumenta, quum bellum pacis cauſa & ſuſcipiatur & geratur: ſuſcipi quidem certe gerique debeat. Quod ſi igitur armamentarium omni genere telorum & machinarum bellicarum copia refertum, multiplicique inſtructum armatura, principem non minus providum, quam fortem arguit; nec magis terribilem facit, quam vene-

randum: quod in pace eum de belli casibus cogitari, & res ad id necessarias præparare inde appareat: non est dubium, quin librorum etiam eximius thesaurus in aula conspectus admirabilem principem reddat. Indicium enim etiam hoc est, non ignorare eum, prudenter esse & juste arma tractanda: id autem ut fieri possit, nunquam esse monumenta sapientum è manibus deponenda. Tam igitur librorum quam armorum apparatus, regibus & civitatum principibus decorus est: quum eos non Martis tantum famulos, sed musarum etiam cultores esse conveniat: eaque aula præclara & laudabilis, in qua Pallas habitat armata. Priscis illis populorum gubernatoribus non paucis id persvasum omnino fuisse, etiam summis belli ducibus, satis constat. Eadem igitur manu, qua hastam vibrabant, ensemque rotabant, quoties, per labores & curas belli fas erat, libros, qui ipsi etiam Minervæ instrumenta, tractabant. Quin reges opulenti, & amplæ civitates, quum probè scirent, non eruditionem modò, sed prudentiæ, justiciæ, omnis virtutis rationem à multis illis magistris rectissimè peti, luculentissimas bibliothecas instruxerunt: præsertim quod opes, quas divino munere permagnas principes obtinent, in res alias honestius conferre se non temere posse viderent, quam id genus regum & regni thesauros. Revera enim thesauri quidam eorum sunt optimi quique & salutares libri: è quibus præcepta vivendi petere omnes queant: unde parendi leges cives, principes gubernandi rationes perdiscant. Nemo igitur miretur, Ægypti reges atque Asiæ, tantum olim selectissimorum librorum numerum, magno studio, maximisque sumptibus collegisse. *Alexandrina* enim illa Philadelphi septingenta millia creditur habuisse voluminum. Nec igitur injuria eam *elegantiæ regum curæque egregium opus* appellasse videtur Livius: quem immeritò carpi in eo quidem à Seneca erediderim, quod pace tamen sapientissimi viri, mihique

& cor-

& cordatis omnibus merito ſuo non modo cari, ſed venerandi etiam, dictum velim. Non enim in ſpectaculum, ut ille ait, viderique vult, ſed in uſus hominum ſciendi cupidorum, & ſalutem multorum mortalium, eam tantam librorum optimorum ſuppellectilem paraverant. In quibus familiam facile ducebant divinæ legis volumina, in græcam linguam è ſancto juſſu regis translata. Sed illa omnis, certe magna ejus pars, Julio Cæſare ultimum Ægypti regem oppugnante, flammis abſumta eſt. De qua clade literariæ rei illata, Seneca: *Quadraginta (quadringenta malunt viri docti) millia librorum Alexandriæ arſerunt.* Atque hæc Alexandrina bibliotheca tum fuit. Cujus æmula *Pergamena* ſive *Attalica* erat in Aſia; utraque tamen vetuſtiores fuere Athenienſium, & ſine dubio aliarum Græciæ civitatum, & ipſorum Perſidis regum. Quis enim vel ex ipſis ſacris literis non didicit, hos etiam librorum ſtudioſos fuiſſe? Eos certè & adire in arduis negotiis, & antiquitatis memoriam reſerare, regni fata, regumque acta ſolitos repetere videmus. Et captis Athenis atque incenſis, bibliothecas ſervavit, & in regnum ſuum avexit Xerxes: non facturus utique, ſi nihil ad ſe, & ad regni incolumitatem, aut dignitatem, ſalutemque populorum ſuorum, aut parum pertinere libros judicaſſet. *Alexandrum* quidem, Perſidis & Orientis latè domitorem, præſtantium ingeniorum opera tanti ſcimus feciſſe, ut ſcrinium gemmis & auro pretioſum, in theſauris Darii jam victi repertum, aliis alios ejus uſus demonſtrantibus, ſuo unius judicio divinis Homeri carminibus deſtinaret. Nec ab ejus ſententia plerique Græcorum deinceps regum principumque diſceſſerunt: ut obſcurum non ſit, unde illis, quos dixi, Aſiæ atque Ægypti regibus tantus librorum amor. Alexandri nempe ſucceſſores, & nonnulli æmuli quoque fuerunt. Itaque etiam *Seleucus Nicanor*, rex Syriæ, illam in Perſas à Xerxe deportatam, Athenas remiſit. Nec Romani, jam elegantiores & doc-

doctiores facti, bibliothecas ſpreverunt : quin impenſius etiam, quam reliquæ gentes, eas expetiverunt. Plurimos enim libros *L. Cornelius Sulla*, & poſt *Lucullus*, Mithridatico bello Romam è Græcia ſecum Aſiaque devexerunt. Ante hos tamen etiam *Æmilius Paulus* victo Perſeo, Macedoniæ rege ultimo, libros ejus filiis ſuis in urbem deferendos permiſerat. Poſtea vero imperatores non ſolũ ſtudioſe, ſed prope dixerim ambitioſe id egerunt, ut quam ornatiſſimas bibliothecas ſive artium bonarum cultoribus præberent, ſive oculis civitatis compararent, ſive ſuæ etiam luxuriæ gratificarentur. Plerique tamen, ut ego arbitror, primum illum, eumque honeſtiſſimum finem ſpectarunt. Nam & *C. Julius Cæſar* bibliothecas Græcas & Latinas, quam maximas poſſet, publicare deſtinarat, teſte Svetonio; & *Octavianus Auguſtus* aliquot, ſive à ſe, ſive ab aliis civitati dedit. *Palatina* quidem non unius ingenio, nec paucorum ſcriptis nobilitata, huic propriè debetur. Nec alii potius, quam huic eidem accepta ferenda, quam *Aſinius Pollio* in Atrio Libertatis inſtruxit, quæ prima in urbe publica exſtitit: uti & quæ de ſorore Auguſti *Octavia* dicta; in porticu ejus dedicata fuit, quæ ipſum potius imperatorem quam fœminam illam auctorem verum habuit, ut Dio narrat: à quo diſcrepat hac in re Plutarchus. Atque ad id usque tempus hæ in urbe erant bibliothecæ. Quorum illæ priores in manu erant & poteſtate privatorum, Æmilii, Pauli, Sullæ, Luculli: ita tamen, ut uſus earum aliis etiam doctis concederetur: poſteriores *publicæ*, omnibus patebant, Aſinii, Octavia, Palatina. Liceat jam, Auditores, pace veſtra præterire, non eas modò, quas à Tiberio, Veſpaſiano, Trajano, Tacito, & cæteris Rom. Imperatoribus collectas fuiſſe ſcimus; ſed & quas civitates aliæ diverſis in partibus terrarum poſſederunt. Nam & Hieroſolymitanæ mentionem faciunt ſcriptores,

res. & Cæsariensis, & Novocomensis, & Tiburtinæ, & Capitolinæ in urbe ipsa, aliarumque in ea, aut extra eam plurium: ita ut P. Victor undetriginta suo ævo publicas numeraret in urbe tantum. Carthagine quidem captâ, regulis Africæ bibliothecas donatas auctor est Plinius: uni tamen Magonieum honorem â senatu Rom. habitum, ut duodetriginta ejus volumina de cultura agri conferet in Latinam linguam transferenda. Neque vero civitatum saltem aut regum ea cura fuit, sed & *privatorum* plurimorum. Nam & in Græcia & Italia multi perillustres sibi bibliothecas collegerunt. Quas inter excelluerunt tamen *Apelliconis Teii* illa, in qua Aristotelis & Theophrasti libri fuere, quam Sulla Romam, uti dictum est, Athenis transtulit: & *Luculli*, quam is magnis impensis sibi comparatam, omnibus, Græcis potissimum, doctis hominibus aperuit: & *Epaphroditi Chæronei*, & *Sammonici Sereni*. Quarum in illa circiter triginta; in hac duo & LX. millia librorum fuisse, Svidas & Capitolinus auctores sunt. Luculli quidem illa, quæ ipso mortuo ad filium ejus transiit, & in Tusculano fuit, non modò è Græcia plurimi, sed Cicero quoque noster, & Cato, ejus æqualis, ille severus & rigidus virtutis satelles, coram quo Roma prope erubuit peccare, usi fuerunt. Ille enim huc venire, & libros inde, quibus commodo suo uteretur, depromere solebat. Cato quoque ibi sedere, & stoicos suos avidis oculis, animis, pectore huarire, & divinarum illarum mentium inventa, decreta, præcepta admirari, libris eorum undique circumfusus. Cujus rei M. Tullius locupletissimus testis est: qui ipse etiam incredibili amore librorum flagrabat. Itaque in quadam ejus ad Atticum epistola hæc etiam nunc legimus: *Libros tuos conserva; & noli desperare eos me meos facere posse, quod si assequor, supero Crassum divitiis, atque omnium vicos & prata contemno.* In alia: *Velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum nobis bibliothecam conficere possis.*

Et iterum alia: *Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris, nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem.* Atque idem pascebatur sive in Pompejano, sive Puteolis *bibliotheca Fausti*, Sullæ filii, ut alia epistola eidem Attico narrat. Suis enim, quos sanè multos possidebat, explere mentem, & discendi quasi quandam sitim sedare non satis poterat. A Lucullo igitur, ut dixi, aut Sulla sumebat, quos desiderabat. Igitur quum Cato, quem in bibliotheca sedentem, & doctrinas sapientum avidissime haurientem deprehenderat, ita eum exciperet: *Tu autem, quum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam*, respondet Tullius, *Aristotelicos, quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus, quod quidem nobis, ut scis, non sæpe contingit.* Hæc ille de se. Sed de eo forte minus mirum, qui omnem disciplinam, quæ ad humanitatem pertineret, omni studio, quantum per gravissima reip. negotia licebat, omni in vita persequebatur. Quid vero alii ejus ætatis, & mox sequentis? Pari plerosque desiderio libros expetivisse partim satis constat, partim non est dubium. Quis enim non credat, eos qui eruditionem, qui virtutem, qui prudentiam, qui sapientiam ipsam, &, cujus studio nobilissimus quisque maxime tenebatur, eloquentiam plurimi facerent, sibique parare conarentur, instrumenta earum non spreviſſe, id est libros? Aut quis non tam Horatii, quam doctorum omnium commune votum illud habeat, quod ille, tanquam propriè suum præfert?

Me quoties gelidus reficit Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosius frigore pagus,
Quid sentire putas? quid credis amice precari?
Sit mihi, quod nunc est, etiam minus, ut mihi vivam,
Quod superest ævi; si quid superesse volunt dii.
Sit bona LIBRORVM, & provisæ frugis in annum
Copia: ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.

Satis,

Satis, opinor, clare demonſtrat, quo loco ſupellectilem habeat librariam; nempe quo res, quibus vita ſuſtentatur. Et primum quidem libros ſibi exoptat: proximè & ſecundum eos fruges. Animi enim, credo, ac mentis curam potiorem eſſe intelligent oportere, quam corporis, ſignificat. Nec alio animo fuiſſe permultos eorum, qui, non dicam ſuavitatem ſtudiorum liberalium deguſtarant, ſed uſum eorum maximum, ſummamque dignitatem perviderant, equidem mihi perſvadeo. Libros enim ii ſummo in precio habebant, nec vel pauculos maximis ſumtibus ſuos facere dubitabant, idque non ambitione quadam, aut ſtolido affectu vulgi, quo non neminem quondam incitatum, Epicteti fictilem lucernam tribus drachmarum millibus emiſſe ſcribit Lucianus, ſed animo ſapientibus viris digno, id eſt, diſcendi ſciendique cupidiſſimo. Nemo id veſtrum, Auditores, ignorat, opinor. Nec enim obſcuri quidam homunciones iſto in numero ſunt; ſed longe maximi, & ſapientiæ nomine clariſſimi viri. Cujus enim philoſophi nomen illuſtrius eſt, quam Platonis & Ariſtotelis? At illi vel principe inter iſtos, quos dico, ponendi ſunt loco. Nam, Agellio teſte, *Memoriæ mandatum eſt, Platonem Philoſophum tenui admodum pecunia familiari fuiſſe. Atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariûm mercatum. Id ei precium donaſſe quidam ſcripſerunt Dionyſium Syracuſanum.* Et: *Ariſtotelem quoque traditum, libros pauculos Speuſippi Philoſophi poſt mortem ejus emiſſe talentis Atticis tribus. Ea ſumma fit numi noſtri*, inquit Agellius, *HS. duo & LXX. millia.* Verum id ego in hominibus doctiſſimis, & ſciendi cupidiſſimis nihil eſſe magnopere puto admirandum. Non enim mancipia ſe, non gemmas, non veſtem ſplendidam, non canes, non equos, non delitias, aut ullam rem ad turpem voluptatem, aut inanem oſtentationem emere, ſed animi informatores, & magiſtros ad ſapientiam, ad virtutem, ad omnem eru-

ditionem comparare ſibi iſtâ pecuniâ exiſtimabant. In quos an non ſumptuum aliquid prom te, ne dicam cupidè, facerent, quum viderent permultos non modò in eas res, quas dixi, ſed in adulatores etiam, aut coquos, aut mori-ones, aut ſcorta denique magnam ſæpe vim pecuniæ, niſi fortè univerſam etiam rem familiarem, profundere? Illud mirum eſt, indoctos etiam atque imperitos homines bibliothecis colligendis ſtuduiſſe. Sed hi opes ſuas ſcilicet iſto pacto oſtentabant, aut doctrinæ aliquam opinionem venabantur, quos reprehendit eo nomine, nec immeritò, graviſſimus morum cenſor Seneca. *Plerisque*, inquit, *ignaris etiam ſervilium literarum, libri non in ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Atque ut tacitæ quorundam cauſſationi occurrat, inducit qui ſic ambitionem ſuam tueatur: *Honeſtius in hos impenſas, quam in Corinthia, pictasque tabulas effuderim.* Quid tandem huic reſpondet? *vitioſum eſt ubique, quod nimium eſt. Quid habes; cur minus ignoſcas nomen marmore atque ebore captandi, quam opera conquirenti aut ignotorum autorum, aut inprobatorum, & inter tot millia librorum oſcitandi? cui voluminum ſuorum frontes maxime placent, titulique? Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quicquid orationum hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Jam enim inter balnearia & thermas bibliotheca quoque, ut neceſſarium domus ornamentum expolitur. Ignoſcerem plane, ſi è ſtudiorum nimia cupidine oriretur. Nunc iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum, in ſpeciem & cultum parietum comparantur.* Intelligitis vel ex uno hoc loco, Adoleſcentes, (vobis enim Pat. Acad. pridem hæc ſunt omnia notiſſima) etiam indoctos olim, & literarum ſtudiis non initiatos, bibliothecas ſumptuoſas ſibi paraſſe, magnasque librorum ſtrues, ſine delectu & judicio coëgiſſe, in ſpeciem ſaltem & oſtentationem, aut parietum ornatum. Eo enim *Indices* etiam ambitioſi, & *Imagines* auctorum pertinebant:

quas

quas ſplendori augendo, & capiendis ſpectatorum oculis homines inanes adjungebant apparatui librorum. Neque tamen eruditos viros & graves, bonorum ſcriptorum imagines prorſus ſpreviſſe credibile eſt. Quin certum, habuiſſe eas in illis præſertim ſacrariis Muſarum, in iisque veneratos præſtantem eorum virtutem, qui eſſe inter homines deſierant. Habebant autem non in bibliothecis tantum, ſed & gymnaſiis, in atrio, in ſacrariis, quas dixi imagines: easque vel pictas, vel ſculptas, vel fictas, vel fuſas, vel quovis denique modo expreſſas. Neque ut animum tantum tacitò adſpectu & recordatione ſummorum virorum paſcerent; ſed ut virtutem perſpectam colerent, & honorem ei, meritisque in genus mortalium qualemcunque haberent: tum ut ea ſuo quisque loco pro viribus æmularentur. De voluptate, quæ ex adſpectu earum & memoria in animo hominis non prorſus barbari oritur non vulgaris, J. Lipſius, vir ævi noſtri eximius, & cum paucis admirandus, ita ſcripſit, erudito de bibliothecis ſyntagmate: quo multum in oratione hac contexenda uſum me ingenue fateor. Ita igitur ille: *Nonne pulchrum & ſuave oculis ac cogitationi fuit? Natura trahimur ad ſimulacra & effigies magnorum virorum noſcendas, & illa corpora ſive hoſpitia, quibus cœleſtis ſe animus incluſit: ecce hic erant. Homeri, Hippocratis, Ariſtotelis, Pindari, Virgilii, Ciceronis & alia ſcripta videres aut libares oculis: una etiam imaginem ſcriptoris adjunctam.* De veneratione virtutis & meritorum Seneca teſtis locupleriſſimus. De ſeipſo enim ita: *Veneror*, inquit, *inventa ſapientiæ inventoresque.* Et mox de hiſce iisdem: *Suſpiciendi ſunt, & ritu deorum* (illo quidem judice) *colendi. Quidni ego magnorum virorum & imagines habeam, incitamenta animi, & natales celebrem? quidni illos honoris cauſa ſemper appellem? quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt. Si conſulem videro aut prætorem, omnia,*

quibus honor haberi ſolet, faciam: equo deſiliam, caput aperiam, ſemita cedam. Quid ergo? M. Catonem utrumque & Lælium ſapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem Cleanthemque, in animum meum ſine dignatione recipiam? ego vero illos veneror, & tantis nominibus ſemper aſſurgo. De Æmulatione denique quis ambigat? nempe coram & quaſi præſentes videbant, quos admirabantur, quorumque ſimiles ſe eſſe cupiebant, quod quantopere animos concitare ad præclaros conatus ſoleat, ignotum profecto eſt nemini. Neque id minus in re literaria, quam militari, aut alio ullo virtutis genere valere putandum eſt. Equidem nihilo minus Thucydidem Herodoti gloria ad ſcribendas hiſtorias, laudemque ex eo ſtudii genere petendam, eſſe credo inflammatum, quam Miltiadis trophæis excitatum Themiſtoclem; aut Cæſarem animadverſa Gadibus apud Herculis templum magni Alexandri imagine, ad res maximas gerendas exſtimulatum. Omnino tam ad noſtra hæc manſuetiorum artium ſtudia, quam ad res bellicas pertinet, quod de ardore virtutum in generoſo pectore excitando ſcribit auctor prudentiſſimus Salluſtius. *Sæpe audivi, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros, ſolitos ita dicere, quum majorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere; ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere: neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.* Videtis imaginum fructum longe uberrimum: neque quisquam dubitat, opinor, quin jure bibliothecis, immo aliis locis, corporum aut ingeniorum exercitio deſtinatis additæ fuerint. Probatum igitur etiam intelligentibus, & laudatum hoc inſtitutum: ut Lipſio libello jam citato; & Plinio illi acerrimo rerum naturæ ſcrutatori. Et cur ipſius verba non do? *majus, ut equidem arbitror*, inquit, *nullum eſt felicitatis ſpecimen, quam ſemper omnes ſcire cupere, qua-*

lis

lis fuerit aliquis. Nec dissimulat inventorem. *Asinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ & Pergami reges, qui bibliothecas magno certamine instituere, non facile dixerim.* Nec est, quod illas non semper ex vero dicas redditas ab artificibus, nam ne sic quidem spernendum morem tam laudabilem censet. *Etiam mentiri,* inquit, *clarorum imagines erat aliquis virtutum amor: multoque honestius, quam mereri, ne quis suas expeteret.* Statuebantur autem non pictæ tantum, sed alia etiam pretiosiori è materia expressæ, quas dico, imagines & statuæ. Plinius idem ejus rei testis. *Non est prætereundum & novitium inventum. Siquidem non solum ex auro argentove, aut certe ex ære, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur. Quin immo etiam, quæ non sunt, finguntur: pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit.* Quod si à quibusdam contemnitur, aut parvi æstimatur, nihil mirum. Conscii enim sibi utilitatis & inertiæ suæ, nihil esse intelligunt, cur posteri de ipsis laborare, quali vultu, oculis, corpore fuerint, magnopere debeant. Nam, ejusdem Plinii judicio, *ita est profecto, artes desidia perdidit: & quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum.* Aliter Romani illi acerrimi literarum & artium amatores judicabant: qui suas & aliorum imagines cum aliis in locis convenientibus, in primisque honoratis, tum vero in libris etiam dedicabant, qua ratione & aliis notos viventium, aut functorum quoque vultus faciebant, & vero ad posteritatem etiam transmittebant. Ne ab eodem auctore discedamus, in primis bono & locuplete, unum etiam ejus locum, dignum cognitione, immo vero imitatione, referre vobis, auditores, volentibus liceat. *Imaginum amorem flagrasse quondam, testes sunt & Atticus Ciceronis, edito de his volumine; & M. Varro, benignissimo invento insertis voluminum suorum fœcunditati non nominibus tantum*

sep-

ſeptingentorum illuſtrium; ſed & aliquo modo imaginibus: non paſſus intercidere figuras, aut vetuſtatem ævi contra homines valere, inventione muneris etiam diis invidioſus: quando immortalitatem non ſolum dedit, verum etiam in omnes terras miſit; ut præſentes eſſe ubique & claudi poſſent. Nemo igitur miretur, Ciceronem noſtrum Academiam, quam in Tuſculano ſuo inſtruxerat, non aliis tantum ornamentis, ipſo, & loco cui parabantur ſane dignis, ſed ſtatuis etiam ſignisque Minervæ, Mercurii, & ſimilibus illuſtrare conſtituiſſe. Huc enim pertinent iſta ad Atticum: *Hermathena tua valde me delectat. Et poſita ita belle eſt, ut totum gymnaſium ἥλιε ἀνάθημα eſſe videatur.* Et alia epiſtola: *quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt: & ornamentum Academiæ proprium meæ: quod & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt inſigne ejus gymnaſii. Quare velim, ut ſcribis, ceteris quoque rebus quam plurimis eum locum ornes.* Erant ejus generis in promptu plura. Sed quid attinet cum faſtidio forte veſtro ea ingerere. Tempero igitur mihi, & vobis parco. Apparet vero, habuiſſe viros doctiſſimos, ſigna, ſtatuas, imagines ſapientiæ antiſtitum, cum aliis locis, tum vero maxime in bibliothecis, ſedibus eruditionis & domiciliis propriis, ipſisque adeo Minervæ delubris. Nec obſcurum, quid ſibi idem Tullius velit hiſce ad eundem Atticum: *ego hic paſcor bibliotheca Fauſti.* Et mox: *literis ſuſtentor & recreor: maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere, quam in iſtorum ſella curuli.* In bibliotheca, ut videtur, ſua Atticus effigiem magni philoſophi, ſed & aliorum, (quis enim dubitet?) habebat. Tanti enim illos faciebant, ut non ſcripta ſaltem, id eſt, ingenii ſimulachra ac mentis, ſed & corporum lineamenta oculis ſuis animisque vellent quam ſæpiſſime obverſari: præſertim quæ oculis pridem erepta à natura, arte viderentur & induſtria gratæ poſteritatis ab interitu vindicanda. Vivis enim ac videntibus, eruditionis quidem cauſa,

ſa, rarius is honor habitus M. Varroni id ſane contigit: *cujus, in bibliotheca, quæ prima in urbe publicata eſt, imaginem viventis poſuit Aſinius Pollio* teſte Plinio. Idem tamen aliquando poſt tributum etiam *Martiali* poëtæ eſt à Stertinio, quem ille Avitum facit, præterea haud ſcio an nemini. Nec plura de imaginibus nunc memoro, inſigni bibliothecarum ornamento. Fuerunt tamen & alia: quæ brevitatis ſtudio miſſa nunc facio. Pluteos inquam, forulos, nidos, & armaria, parietes etiam, vitro atque ebore nitentes; lacunaria auro inducta aut obtecta; pavimenta marmore, Caryſtio maxime, ſtrata: quorum alia oculis viriditate reficiendis, reliqua ornatui augendo & ſplendori, pretioſiſſimis rebus, id eſt libris addita, facile quivis intelligit. Tanti igitur veteres illi, humanitate & artibus exculti homines, bibliothecas fecere: etiam qui uti illis vere neſcirent. Quid ſequentibus ſeculis, deficiente paullatim elegantiore doctrina, & Muſis, ingruente barbariei tempeſtate, lateque omnia jam tenente, ex Italia pulſis & profugis, nullàne cura ejus rei ſuſcepta? immo vero nec eaumquam ab iis, qui rerum potiti, nec penitus ab elegantia, à Muſis & Gratiis averſi fuere, abjecta eſt. Itaque Italiæ imperio jam à barbaris non tentato leviter neque mediocriter concuſſo & labefactato, ſed everſo penitus atque peſſumdato, bibliothecæ tamen, fortaſſis & alibi, certe Byzantii, quæ ab aliquot jam ætatibus Conſtantinopolis dicebatur, non contemnendæ erant. Etenim Baſiliſci, vel, qui eodem tempore rerum eſt potitus, Zenonis Iſaurici temporibus, excitato in urbe illa imperatoria incendio, & pars ejus maxima, & bibliotheca abſumpta eſt, in qua CXX. millia librorum fuiſſe ſcribuntur recondita. Interque ea Draconis inteſtinum CXX. pedes longum, cujus aureis literis Homeri Ilias atque Odyſſea fuerant inſcriptæ. Deum immortalem, quantam vim optimorum librorum illa tum flamma hauſit! Prorſus Cannenſis quaſi quædam, aut triſtior etiam, fuit illa

rei literariæ clades. Nec enim reparari ea jactura, aut farciri tanta calamitas potuit, quod in Italia, & ceteris ad occidentem ſolem provinciis literæ tum extinctæ, & libri maxima ex parte incurſionibus barbararum gentium, earumque plurium, tanquam inundatione quadam merſi eſſent ac diſſipati. Itaque quod Alexandrinæ quondam in ſimili caſu primum ſolatio, mox ſaluti quoque fuerat, hæc ſperare non poterat, ut aliunde inſtauraretur. Etenim quodcunque per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Germaniam etiam fortaſſe noſtram, librorum tum erat, quaſi tabulæ quædam videri poterant, ex ampliſſima & ornatiſſima veterum bibliothecarum claſſe huc illuc diſjectæ, & in angulos neſcio quos compulſæ. Et tamen iſtas quoque reliquias rei librariæ, & auguſtiſſimi, ut ita dicam, ædificii parietinas, regiæque arcis ruinas non prorſus contempſit grata ac pia poſteritas. Quis enim credat Academias deinceps à Carolo Magno per Italiam & Galliam conditas, ſcholas item & collegia Canonicorum, ſapienti prorſus & laudabili conſilio conſtituta, libraria omni ſuppellectile caruiſſe; neque de majorum ſuorum ampliſſima hereditate, vel ruta ſaltem ac cæſa ſibi uſibusque ſuis vindicaſſe? equidem fieri id non potuiſſe prorſus mihi perſuadeo, etſi non inficias iverim, exiguum id fuiſſe, quod ad ipſos delatum, & tanquam ſplendidæ veſtis pertenue ſpolium, quod tamen ipſum etiam ab illius ſeculi, magisque ab inſequentium ætatum hominibus, ita abjectum, aut ingeniis imperitorum ac manibus tractatum eſt, ut dignitatem omnem amitteret, ac alienis ſordibus prorſus obſoleſceret. Verum nihilo minus poſt illam tam triſtem cladem novos librorum theſauros collegit Conſtantinopolis; ut ruinas illas ſuas, de quibus paullo ante dixi, quoquo modo ſive inſtauraret ſive ſolaretur. Credibile eſt è Græcia vicina, etſi illa etiam incurſiones barbarorum non unus erat perpeſſa, plurimum opis ac præſidii ei allatum. Viguerunt enim

enim ibi, ad id usque tempus, quo in potestatem tyranni Turcici, Mahometis II. urbs illa venit, cum eruditionis laude præstantissimi viri, tum illustres etiam bibliothecæ. Quorum ut illis eruditionem elegantiorem, & meliores litteras, ipsaque sapientiæ, & facundiæ studia debet Europa reliqua; ita gravem jacturam, neque ullis umquam seculis reparandam fecit, thesauris illis librorum præstantissimorum amissis, quam rei literariæ cladem, ad ipsam ecclesiam & remp. universam pertinentem, dolenter sane epistolis suis aliquot deplorat Æneas Sylvius. Et tamen quod divinæ bonitatis singulare munus est, ne sic quidem opprimi res literaria aut exstingui barbarie Turcica potuit. Eo enim ipso tempore, cum maxime per Thraciam sæviret illa Scytharum soboles, mox etiam Græciæ ac Pannoniæ crudelitatem potius & immanitatem, quàm victricia arma inferret, excitavit Deus plures, qui partim opibus suis, partim ingeniis, industria ac studio, optimos quosque scriptores, latinos græcosque, è fœdis tenebris erutos, & prope ab interitu vindicatos, in lucem producerent, absterso que pulvere, situ & squalore, nitori eos suo, quantum fieri illa quidem potuit tempestate, restituerent. Qui sequentium tamen cura honestiores etiam, & in vero suo vultu reducti sunt; & non vitam modo ac spiritum, sed colorem etiam, speciem ac dignitatem pristinam, doctissimorum hominum ope recuperarunt: quum hæc omnia, temporum injuria atque hominum, pridem amissent, & æternis damnati addictique tenebris viderentur. Quam ad rem non parum contulit solertissimum typographiæ artificium, non sine divinæ providentiæ nunquam satis æstimando munere seculis hisce postremis concessum, nostræque potissimum patriæ Germaniæ primo omnium demonstratum, atque usurpatum. Cujus artis beneficio, brevi tempore, nec ita magnis sumptibus, quotquot indagari hominum eruditorum industria, aut in lucem protrahi

potuerunt veterum monumenta scriptorum, elegantissimis literarum formis, in charta nitidissima descripta, & cum bonarum artium studiosis communicata à compluribus typographis hactenus sunt. Quorum qui maxime excelluerint, neque tam suum emolumentum & quæstum, sordidorum hominum more spectarint, quam publicam utilitatem, & dignitatem literarum meliorum, obscurum non est iis, qui elegantiæ, & meliorum librorum sunt studiosi. Ita igitur factum denuo est, ut cum ipsa bonarum artium & disciplinarum studia in usum revocata, atque in scholis, templis, in foro, curia, in luce denique & conspectu omnium posita; tum bibliothecæ etiam sint adornatæ: eæque non in angustiis tantum otiosorum hominum, autcellis monachorum, quasique in carcere aut ergastulo quodam hodie compeditæ videantur, sed habitu ipsis digno in academiis, in regiis, in urbium ampliſſimarum, ut ita dicam, prytaneis, certe quidem honoratissimis locis conspiciantur. Vix enim hodie, quod merito in laudibus ævi numeramus, urbs aliqua copiosior, paulloque magis ad humanitatem atque elegantiam informata, eademque ærario non omnino destituta; vix princeps aliquis aut rex, ut opinor, christianus reperiatur, quin sibi aliquam bibliothecam, atque adeo splendidam fere, & melioribus libris instructam, aut jam pararit, aut paret. De collegiis quidem canonicorum, aut academiis dicere, non necesse est: quum palam sit, neque has, nec illa, sine magno incommodo carere hoc instrumento ad eruditionem & sapientiam posse: siquidem officio satisfacere, & vel nomen tueri atque dignitatem suam debeant. Quin ita honestum, ita laudabile, ita frugiferum est hoc studium, & qui in eam rem sumptus fiunt, ut non pauci fortunatiorum privatim etiam, antiquorum illorum exemplo, bibliothecas jam ab aliquo ætatibus per Europam struxerint, & in hunc diem struere non desinant. Nec igitur obscurum est, quam

recte,

recte, quamque laudabili consilio, principes nostri, quos dixi, illam, quam videtis, librorum copiam initio collegerint: quum ea cura, id studium tam sit regium. Nec ambigit quisquam, quin *Fridericus Vlricus*, optimus princeps, & Academiæ hujus suæ, omniumque in ea literarum & artium bonarum studia tractantium amantissimus, recte & hisce, & laudi suæ consuluerit, eo die, quo præter exspectationem plerorumque nostrum, & supra quorundam vota, neque forte nemine indignante, bibliothecam suam, patriam, avitam, Academiæ item suæ, patriæ, avitæ utendam concessit, & tandem cum omni ejus instrumento in oppidum hoc transmisit. Ut hodie Julia sit, atque in illo sacrario suo conspiciatur, quæ Gvelphica hactenus in aula asservata fuerat. Quam eandem Academiæ huic suæ destinasse credibile est *Henricum Julium*, magnum heroa, qui conclave illud in orientali parte novi hujus Julei bibliothecæ recipiendæ exstrui voluit. Quod quo minus ipse dedicaret, absentia ejus in rebus maxime arduis factum scimus. Ne librorum justa, supellectile, id est, necessario Academiæ instrumento, sacellum illud compleret, fatum interceſſit. Vtraque laus principi nostro Friderico Vlrico quasi divinitus reservata est. Itaque deinceps, tum istorum, quos ante dixi, heroum meritis hoc quoque novum principis optimi conjungendum vobis, Pat. Acad. videtis. Pariter enim hoc cum illis, oculis, animis, mentibusque vestris obversabitur; non modo quoties ipsa volumina manibus tractabitis, quæ beneficio ejus legenda vobis concessa sunt, sed quoties pedem in augusto hoc sapientiæ & omnium laudandarum artium templo ponetis: quoties, inquam, in hoc auditorium intrabitis, sive docendi caussa, sive disputandi, sive de ulla re dicendi, sive in publicis Academiæ actibus, diebusque festis, in quibus nunc subselliis considetis, toties non sine singulari quodam animi gaudio locum istum, in quo sacrum illud

ingeniorum ſummorum conciliũ ſcitis coactum, intũeri poteritis: toties munificentiæ principis humaniſſimi gratias, quantas poteritis, habebitis: toties denique Academiæ tantum ac tam illuſtre beneficium, ab animo prorſus regio, veſtrique amantiſſimo profectum, taciti gratulabimini. Nunquam id tamen, ut equidem arbitror, magis facietis, quam ubi in ipſum illud muſarum conclave penetrabitis, & divinarum illarum mentium opera è propinquo videbitis. Cineam Pyrrhi regis ad Rom. oratorem, majeſtate ſenatus perculſum, regum eum conſeſſum ſibi viſum, dixiſſe accepimus. Non, puto, minoris hos mutos doctores, ſapientiæ antiſtites, virtutis atque officii magiſtros, præſtantiſſimos conſiliarios, & regum quoque cenſores faciet, qui pernorit. Nam etiam tum cæcus ille reliquis non parum virtute & prudentia fertur antecelluiſſe Appius. Quod ſi verò propius ad eos adire, & vocem etiamnum poſt tanta temporum ſpacia mittentium advertere; ſi doctrinam, quam uberrime absque invidia propinant, haurire; ſi conſilia, quibus plurimum illi valent, admittere; ſi animos & ſpiritum quorundam ingenuum pertentare volueritis, ſpondeo vobis, Auditores, neminem veſtrum fore, quin doctior, prudentior, melior, paratior ad vitam & omne officium, denique ſapientior ex illa eruditionis & ſcientiæ omnis æde ſit diſceſſurus. Quod quum agnoſcetis, eoque nomine, quas par eſt grates, aut apud vos optimo principi habebitis, aut apud alios agetis; Immo verò quum hinc petitas ingenii, mentis atque animi opes cum aliis liberaliter communicabitis, tum demum, quam is exſpectat, gratiam ei referetis. Neque enim, quemadmodum Alexander ille Macedo res magnas geſſit, & multis, gravibusque periculis caput ſuum objecit, ut Athenis laudaretur, ita noſter hic benignum ſe, vel potius magnificentiſſimum præbuit, ut à me, aut quoquam veſtrum prædicaretur. Ipſa illum naturæ bonitas, Academiæ

demiæ ſuæ amor, & boni publici ſtudium, ad regiam illam munificentiam impulit. Neque ego, qui auctoritate veſtra, Pat. Acad. qualicunque hac oratione, omnium nomine, principi humaniſſimo gratias non dicam egi de tanto beneficio, ſed agere debui, atque etiam volui, neſcio majus eſſe illud generoſiſſimi pectoris decus, quam cui tenuis hic conatus ulla ex parte reſpondeat. Itaque & ſerenitatem ipſius, vobis audientibus, qua par eſt, veneratione oro, ut me, qualicunque hoc officioſæ voluntatis ſtudio, in re maxima probè functum, partesque impoſitas ſatis rectè ſuſtinuiſſe, clementer judicet: & vos, Pat. Acad. ne virium inopiam crimini dandam cenſeatis, aut exiſtimetis voluntatem mihi potius, quam facultatem hac in re defuiſſe. Non ignoro, multa & vos, & quoscunque alios in hac oratione mea deſideraturos, quum mihi ipſi nulla prope in parte ſatisfecerim. Neque vero, quum auctoritate veſtra & decreto ad hoc munus obeundum me accingerem, ignorabam iis me præſidiis pæne omnibus deſtituti, quæ ab homine tantis de rebus dicturo poſtulantur. Sed quum eam mihi potiſſimum provinciam deferre viſum fuiſſet, veſtræ mos auctoritati fuit gerendus. Atque ego hoc ſemper animo fui, ut in hujusmodi re, quæ ad officium meum pertineret, eventum mihi & ſucceſſum, quam obtemperandi ſtudium maluerim deeſſe. Etſi quid ego me hic operoſe excuſo; ac non veſtram potius opem, viri clariſſimi, collegæ plurimum honorandi, in re honeſtiſſima advoco, mihique jungo? Vos eodem mecum nexu obligati eſtis, vobis nihilo minus, quam mihi, aut cuiquam beneficium id, de quo agimus, datum, vobis partes hæ dicendi ſcribendique æque ſunt commiſſæ, aut certè permiſſæ. Vos igitur, quo meam hanc deſtitui orationem intelligitis, id de ingenii atque eruditionis veſtræ copiis, ſufficietis. Age, excitate veſtrum illum, mihi aliisque non incognitum ingenii vigorem, ſuas quisque muſas

ſoli-

ſolicitet: ſuam in ſcribendo facultatem expromat. Reddite, optimo principi debitum ſingulari ejus virtuti & magnificentiæ teſtimonium, poſteritati nomen ejus ac famam commendate, &, quod in vobis eſt, immortalitate donate, certè quam maxime vivacem efficite, & ab oblivionis nocte vindicate. Decet hoc veſtra ſtudia, convenit pietati, officio, animis ac virtuti veſtræ, probabunt id omnes boni; exſpectant ac prope exigunt in aula ac provinciis hiſce multi, iique præſtantes viri; agnoſcent ordines omnes patriæ. ipſe, cui præſtabitur, princeps, ut non poſtulat, ac ne quidem, ut ego arbitror, exſpectat, ita certè non repudiabit. Quin hoc veſtro tam pio provocatus officio, non modo priſtina ſua in nos beneficia rata eſſe volet, ſed & de recenti hoc augendo, locupletando, & novis ſubinde incrementis ornando; poſtremo de commodis noſtris, & Academiæ hujus univerſæ incolumitate, ornamentis & dignitate perpetuo tuenda, cogitare non deſinet. Sed nec aliorum, ut ſpero, ſtudia nobis deerunt, ſiquidem hominibus gratis commodare ſe, nec officia ſua, & beneficia parum rectè collocare intellexerint. Iis igitur etiam animum memorem & gratum declarabitis: & quos bibliothecæ hujus translationem Academiæ & boni publici ſtudio adjuviſſe quoquo modo noſtis, eos debita laude afficiendos vobis eſſe non dubitabitis. Quo in numero, præter eos, quorum mentionem antè feci, primo loco ponendus abſque controverſia eſt, vir generoſus & magnificus, *Anthonius* von der Streithorſt/ illuſtriſſimi Principis noſtri in gubernandis provinciis hiſce Vicarius, & provincialis Judicii præſes. Cujus conſilio & auctoritate, qua plurimum valet, negotium hoc proceſſiſſe nemo noſtrum dubitat. Nec eorum liberalitatem, & propenſum in Academiam ſtudium in obſcuro eſſe patiemini, qui ſuis opibus bibliothecam Juliam augendam, & præclaris donariis locupletandam cenſuerunt. Quorum neque hodie pau-

pauci ſunt, quod meritò gaudemus, nec ambigimus, quin eorum tam laudabili exemplo excitati etiam plures eum in numerum ſint deinceps venturi. Quorum ut ne illi quidem, de quibus nobis ſatis conſtat, â me nominari hoc tempore, & ex hoc loco fortè velint; ita ſtudium eorum, & præclarus animus obſcurari non poterit, quam diu ipſi libri exſtabunt, qui prima ſtatim fronte, quibus eos acceptos ferat Academia, lectori indicabunt. Quin curæ vobis erit, Pat. Acad. vel potius jam pridem eſt, ut honeſta quadam ratione quam plurimis innoteſcat, quinam Academiæ Iuliæ præ ceteris cupiant, & ſuis quoque opibus eam adiutam velint. Etſi verò eos omnes tacito, quod ajunt, pede prætereo, idque ipſis volentibus facere me confido; unius tamen ita eximia in Academiam exſtat benignitas, ut non parem in conditionem cum aliis vocanda eſſe videatur, potiusque hoc tempore in primis prædicanda. Etenim, quod probe ſcitis, Auditores, *Georgius Eberlinus*, Juris conſultus primarius, & principum noſtrorum ab aliquot annis conſiliarius, integritatis nomine pridem clariſſimus, jam morti vicinus, univerſam ſuam, eamque luculentam ſanè bibliothecam, Academiæ Iuliæ legavit. Nimirum eo tempore, quod ſimulationem omnem & diſſimulationem excludit, quod amorem, odium, ſimultatem, gratiam, omnem denique affectum procul habere, & honeſtati, pietati, æquo & bono poſtponere jubet, vel potius cogit, ipſa re, & præclaro facto declaravit, nullibi ſuos libros, non exigua coëmptos pecuniâ, rectius fore, quam in oculis, in manibus, in ſinu Academiæ & Academicorum: præſertim quum ſobolem nullam, cælebs hactenus, reliquiſſet. Ei igitur lubens & meritò rectiſſimi conſilii, egregiæque voluntatis teſtimonium publicè quoque nominatim perhibeo. Imitabuntur, ſpero, tam pulchrum exemplum fortunatorum plures: & quam paratam jam librorum copiam videtis, ſuis quoque facultatibus ornatiorem amplioremque

transmitti ad posteritatem volent: itaque ipsa re demonstrabunt, quanti & Academiam hanc illustrem faciant, quamque consultum ei, optimisque studiis cupiant, quæ in ea sedulo & feliciter assiduè coluntur. Quod ut porrò quoque fiat, adeoque perpetuò, non modo suo quisque nostrum loco studiose curabimus, sed Deum opt. max. supplices venerabimur, ut laboribus nostris & honestissimis conatibus porrò annuat. Servet Academiam hanc, ejusque domicilium, oppidum hoc: servet patriam universam, omnesque in ea ordines incolumes ac florentes præstet: ipsum inprimis principem nostrum, Academiæ benignissimum patronum, & Rectorem hodie magnificentissimum, cum tota domo Illustrissimorum ducum Brunsvicensium. Servet miseris hisce & calamitosis temporibus, ecclesias, scholas, remp. universam. Pacem & concordiam publicè ac privatim firmet nutantem, aut prolapsam erigat, fugitantem reducat: bella, discordias, famem, morbos sævos, & quicquid tristium ejusmodi tempestatum est, longè à nobis, omnibusque bonis arceat. Postremò largiatur salutaria; noxia & pernicioſa prohibeat. Tueatur cujusque nostrum vitam, fortunas, existimationem, studia optima in sui nominis gloriam, & publicam salutem provehat. Sospitet, quos dixi, & præter eos amplissimum hoc Musarum templum, novum, inquam, hoc Juleum, hæc sacra sophiæ tecta, in iisque bibliothecam Juliam. Quæ quam diu salva omnia in hoc oppido, & dulcissima patria nostra erunt, (spero autem, vel potius confido, perpetuo fore, idque assiduis à Deo precibus absque controversia impetrabimus) in hoc ipso templo, intra ho parietes, in hac splendida cathedra, neque conditoris ac parentis Academiæ hujus, divi *Julii*, nec munificentissimi conservatoris, divi *Henrici Julii*; nec *Friderici Vlrici*, ejusdem nutritoris ac patroni fidelissimi, & novi hujus muneris, de quo dixi, auctores, optimorum principum, memoria unquam silebitur.

IN

IN ILLVSTREM
BIBLIOTHECAM JVLIAM
Serenissimi Principis
FRIDERICI VLRICI
BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM DVCIS
DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI.

HÆc quicunque vides armamentaria sacræ
Pallados, & castis habitata palatia Musis,
Quicquid ab ingenio post tristia fata rogumque
Et cineres summis non est supereſſe negatum
Mortali de stirpe viris, hoc limine claudi
Conjectuque oculorum uno te cernere noris.
Hic vitam vivunt, & post sua fata loquuntur,
Seclorumque minas superant, & edacia rerum
Tempora, qui terris caput altius exſeruerunt,
Naturæque super fines, super æthera celsum
Evexere animum. Sola hæc monumenta supersunt,
Per quæ pugnat adhuc, vincit, gentesque triumphat
Magnus Alexander, quin unquam magnanimorum
Quicquid in orbe ducum fuit, ex quo blanda cupido
Laudis & humanas tentavit gloria mentes.
Nil vivit, vivetve, nisi his quod creditur; omne
Quod reliquum est, nox alta & longa oblivia opacant.
Hic etiamnum Melpomene subnixa cothurno
Lata sophocleis diducit hiatibus ora,
Confusosque lares & tristia funera regum,
Oedipodæ thalamos & sævum plangit Orestem.
Hic legere est, queis firmetur res publica fulcris,
Et quid Erechthæas olim servarit Athenas,
Quid pessum dederit; quibus artibus incluta Roma
Creverit, & populos magnasque subegerit urbes,

Queis etiam vitiis ſenſim labefacta ruinam
Traxerit, & lapſu totum tremefecerit orbem.
Hic recluduntur naturæ arcana, ſinusque
Dædalei; & quicquid gremio complectitur, arctis
Incluſum foliis vigili cognoſcere menti
In promtu eſt; hic deſcriptam pictamve tueri
Terrarum faciem & vaſtæ datur Amphitrites,
Titanisque globum, lunæ erroresque laboresque
Et picturati fulgentia ſidera cœli.
Quin ipſum ad cœlos & ſplendida panditur aſtra
Hic iter, à patribus quondam per ſaxa, per ignes
Calcatum, & largo reſperſum ſanguinis imbre.
Noluit Elmanis tantum ſapientiæ & artis
Deeſſe penu Muſis, generoſo è ſtemmate Iuli
Heros Guelfiacus, cui pax & gratia nomen
Fecerunt, ipſe utendum hoc dedit inſtrumentum
Et Phœbi ſervire ſacris doctæque Minervæ
Iuſſit, & egregiis animis & alacribus auſis,
Per quos æternam ventura in ſecula vitam
Et tanto dignam transmittet principe famam,
Regnata Hercynia clarus domitoque Viſurgi,
Sed pietate & juſtitia clariſſimus, ultra
Caucaſeas rupes & hyperborei æquora ponti,
Qua ferrugineos argentea luna jugales
Et quacunque rapit rutilos ſol aureus axes.

GEORGIVS CALIXTVS
Theol. D. & Prof. P.

NOn fuit hoc ullo privati tempore cenſus,
Vel officinas eruditæ Palladi,
Vel Marti applauſu magno ſtruxiſſe virorum,
Queis arma uterque rite conderet ſua,
Contra aut barbariem, aut vires crudi hoſtis apertas,
Quæ nunc fatigant anxiis orbem modis,

Re-

Regum opus hoc ſemper fuit, & ſpectacula paſſim
Studiorum, & inſtrumenta iis parantium.
Quis neſcit Pharios reges in laude repoſtos?
Itidemque qui rexere felix Pergamum?
Cui non Æmilius notus, vel deinde Lucullus,
Hic Ponticam ob prædam, ille Perſen nobilis?
Et ſtudia & ſumptus illorum in ſecula vivent,
Collata Muſis liberaliter ſatis.
Te quoque fama tenax, FRIDERICE-VLRICE, loquetur,
Recte quod hiſce junxeris nomen tuum.

JOANN. WOLFIUS, Med. D. & Profeſſor.

CVm fera vitai rupiſſet ſtamina Clotho
Gvelphiadæ HENRICO à puero in ſeram usque ſenectam
Fortuna varia & turbis exercito & armis,
Reddidit his terris optatæ munera pacis,
Et cultum Euſebies, & Relligionis honorem
JVLIVS, occiſis Sigeberti ubi vaſta patebat
Planities primis fratrum, patris unicus heres.
Quin etiam Mavorte procul Furiisque fugatis,
Repreſſoque avidæ conatu Barbariei
Condidit Aoniſin circumdata tempeſin Elmi
Templa, & contiguam his ſacræ Tritonidos ædem,
Vnde ſibi nomen peperit per ſecla, ſuisque,
Et quacunque omnis ſeſe vicinia pandit,
Commoda; in æterni vergentia commoda laudem
Numinis, & per quæ res publica privaque ſurgant,
Et quibus ignoti notique aliquando fruantur.
Pergebat monſtrata ſequi veſtigia patris
Gnatus, amor recti, prudentia, & ardor honeſti,
Sophroſyne, ſapiens animi præſtantia, juſtum,
Et quidquid ſupereſt virtutum ex ordine longo,
Fixerat in cujus clementi pectore ſedem.
Is niſu intrepido ſibi cenſuit eſſe tuenda

Consilio quæ cæpta gravi non simplice cultu
Ornarat pater, huic quæ cernimus edita tecta
Julei debes Elmana, tuique decoris,
Quo fulges hodie, & passim per Teutonis oras
Clarescis, grata hunc auctorem mente secundum
Dicere ne pudeat, laudareque gutture pleno.
Quam pater exstruxit sedem, quam filius auxit,
FRID-VLRICE nepos, exempla secutus eorum
Munificè ditas, atque ex florente laboras
Reddere, præ reliquis quæ vertice sidera pulset.
Cetera non refero, quæ delassare loquaces,
Auribus aut dantes & facta & ficta, valerent:
Undique quæsitos opera sumptuque tuorum
Guelphica quos libros servaverat hactenus aula
Hic, ubi non metuant blattas, neque pulvere denso
Denigrentur, & intereant putredine tætra,
Sed quoties opus est ubi eis utamur, habemus,
Nostra videretur ne cedere JVLIAS istis
Ad ripas Nicri Salæque Istrique Lyceis.
Munere eo reges æquas veteresque Monarchas,
Nec minor hinc tibi crescet honor, Memphiticus olim
Quam qualem sortitus erat Philadelphus, in urbe
Ditis Alexandri selecta volumina multo
Quando laboraret studio conquirere, quantum
Eumenæs dono Galeni patria regesque
Attalici tribuere sibi, qualisque tributus
Augusto, cujus jussu curaque fideli
Scripta Palatinus numerosa recepit Apollo.
Maxime Guelphiadæ, Evergeta maxime, nostræ
Juliadi hoc dono Philadelphus es, Attalus, atque
Augustus, pergas illam defendere contra
Pravorum insultus, ejus qui dirigit orbem
Auspiciis: quocunque modo libet, ac potes, ipsam
Ornato, inque dies per Te læta augmina sumat.

Sic

Sic tua per cunctas ſpargetur gloria terras,
Et nos perpetuo GVVelphos celebrabimus ævo.

RVDOLPHVS DIEPHOLDIVS,
Græc. Lit. Profeſſ. publ.

Ad Sereniſſimum Principem ac Dominum,

DN. FRIDERICVM VLRICVM

Ducem Brunſuic. & Lunæburg.
Dn. noſtrum clementiſſ.
Pro bibliotheca acad. Juliæ conceſſa

ἐυχαριστικόν.

Ἐκγονε Γελφιαδῶν, ὄλβιον γένος, ὄρχαμε λαῶν
Οἱ ὄχθας Λαίνε καὶ Δείτερον ἀμφινέμονται,
χαῖρέ μοι ὦ πάππων πατρός τε μεθ' ἱχνία βαίνων,
Ὧι πόσον Φοίβε καὶ Μουσῶν ἱερὰ μέμηλεν,
Ὅσσον Γελφιάδαις τὸ πάλαι βαρὺ ἔργον Ἄρηος
Νηὸν ὑφ' τὸ πρῶτον ἐδείματ' Ἴλιος αἰπὺ
Μούσαις κ' Ἀπόλλωνι ἄνακτι ποτ' Ἔλμιον ἄλσος.
Ἄλλον δ' αὖ κείνε πατρήιος ἀγάκλυτος υἱὸς
Σὸς γενέτης, Ἐρρῖκος Ἴλιος, ὅππότε χρυσῆ
Οὐδέ τι φειδόμενος δαπανῶν, θυμήκελος ἥρως.
Τιμὴν δ', ὦ Φελδερῖκέ, μιν εἰσέτι ἀμφιβέβηκας,
Νείμας υφ' τιμὴν καὶ ἀγλαὰ δῶρα θεαῖσι,
Ὀτρηροῖς τε θεῶν ὑποφήταις, ἔυφρονι θυμῷ,
Καί νυν δὴ βίβλων πολυτυχέα πλοῦτον ἔδωκας,
Ὅσσον ὅτε Νείλοιο πολυφλοίσβοιο ῥοάων
Θῆκε πόλαι Πτολεμαῖος, ἢ ὅσσον Πέργαμα εἶχεν,
Ἠ καὶ Λεύκολλός ποτε, κ' αὐτὸς ἄγειρε Σεβαστὸς
Συμαθέων τ' ὤπασε χορηγὸς ποτὶ Τίβερι ὄχθαις.
Τὸν ὦρ' υφ' χρυσοῖο καὶ ἀργύρε ἰμερόεντος
Φοῖβος ἐφίλατο καὶ Φοίβε θεράποντες ἀγαυοί.
Τἄϊσκα καὶ γηθοῦσι θεαὶ, συὶ δ' ἦρα φέρουσιν,
Εἰ ἄνα, πᾶς Ἔλμος δὲ χάριν μενοεικέα οἶδε.
Πρῶτα υφ' Εὐσεβίη Θεομηδὴς, ὄλβια θεάων,
Καὶ Σοφίη μετέπειτα, καὶ ἣ Διὶς θυγάτηρ,

Σων

Σωὴ μὴν Αχεσοβη καὶ πάσαις ἐννέα χάρεσσι.
Οὐδὲ γὰρ Εὐσεβίης ἢ Μουσῶν ἔργα τέθηλε
Πώποτ' ἄνευ βίβλων ἀφένους, ὅτ' ἔστι δὲ θάλλειν.
Ενθα διδασκαλίης πάσης νομὸς ἔπλετ' ἀπ' ἀρχῆς
Ὡς φάτιν Ελμιάδων ποτὶ ἄρανὸν εἰσαφικέσθαι,
Ἔστι δ' οἰκίαι πάντ' ἐς ἔχειν δεῖ ἐπάυλια Φοίβου,
Ἢ ὧν ἔμμορε πρῶτ' ἐνὶ πάντας' ἔυχεται εἶναι
Τευτονιδῶν ἀνὰ γῆν καὶ ἐν αὐτοῖς Ιταλιώταις,
Τὸ δὲ μόνον κατέσκε Λύκειον, πλούσιον ἄλλων.
Αὐτὰρ νῦν κἀκεῖνο πόρε αὖτως, κύδιμε ἄνακτων,
Σὴ ἀγαθοφροσύνη καὶ Μούσαις εὐμενὲς ἦτορ.
Πολλὰ σὺ ἐξάρχης ἔυ ἔδρας Ἕλμια πέμπη,
Ἐξ ὅπερ τὸ πρῶτον σὸν μας ἡνία πάτρης,
Μείζονι δ' ἢ πρόπαρ θεν ἔπυξας πώποτ' ὄνειαρ.
Ενδον μὴν νῦν κεῖται ἃ δέλτοις εἰνεχάραξαν
Αλφησταὶ σοφίης, ἔσας ἢ Ἑλλὰς ἔθρεψεν
Ἢ γαῖ' Αυσονίων ἰφθίμων, Αρραβίης τε.
Ενθα θεοπροπίης μυρῶν θεσπίσματα πολλὰ
Ἱερὰ μάλ' ἠδὲ παλαιὰ, τὰ ὕστις ἀριθμήσαιτο,
Ενθάδε θηείης ἔς' ἔσα ὡξ ἐξεπίνησαν
Ἰθυδίκης Θέμιδος παῖδες κατ' ἀπείρονα γαῖαν,
Οὐδ' Ασκληπιαδῶν σπάνις ἔστιν ἢ ἔσται ὀπίσω.
Θέσκελα ἄνθρωπον μεγαθύμων ὕστις χερείων,
Οὓς τῆς Σαξονίης κλείῃ κεφαλοφόρος αἶα,
Ἐξ ἧς μὴν τὰ πρῶτα θαμέθλια κάββαλεν ἀρχῆς,
Τίσκειν μυθήσαιτο τὸ σὸν κλέος οὐρανόμηκες,
Ἢ τίς κ' ἐξερέοι μὴν ὃς ἐν σήμασιν ἐνὴς,
Ἔυγνωμόν τ' ἀεὶ ἐυεργεσιῶν τε μεμηλώς;
Οἷα πατὴρ φερτάτῃ τέκεϊ ὧ τοῖα δ' ἔοργας
Ανδρας μυριόπλους, πάντας θ' οἷς ἐμβασιλεύεις.
Χαῖρε, σοὶ δ' ἔσο δηρὸν, ἀνάκτων φαίδιμος ἄστηρ,
Σοὶ θεὸς ἤματα πᾶσι βίον θυμήρεα δώῃ,
Καλῶς τ' ἐκτελέσαι, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς
Καὶ πάτρης ἰφθίμου ξυμπάσης πολλὸν ἀέξει,
Ἧς ἡ μὲν θάλλῃ, λαοὶ δ' ἀνθῶσιν ὑπ' αὐτῇ.

CONRADUS HORNEJUS Logic. Prof. Publ.

MEMORABILIA
RUDOLPHEÆ
NOVÆ
HELMSTADIENSIS
BIBLIOTHECÆ,
à
SERENISSIMO CONDITORE
AUGUSTO PATRIÆ PATRE
RUDOLPHO AUGUSTO
BRUNSV. AC LUNÆB. DUCE
in publicos usus
ACADEMIÆ SUÆ JULIÆ
hoc anno
munificentissime donatæ,
NATALITIO ACADEMIÆ FESTO
d. XV. Octobr. MDCCII.
in publica panegyri
in gratam nostræ & seræ ætatis memoriam
designata
ab
HERMANNO von der Hardt.

A DEO ET SERENISSIMO
COLLATA

IN ACADEMICOS
AMPLA BIBLIOTHECÆ DÓNA:

SACRÆ rel CONDIMENTA:
BELLI pro PACE REMEDIA:
Pro CORPORE MEDICINA:
Pro NECE PHILOSOPHIA
& MEDELA:

REGIA ACADEMIÆ CORONA:
BELLA HELMSTADENSIS GLORIA:

DEO AC SERENISSIMO
SACRA!

MAGNIFICE DOMINE

PRO-RECTOR,

SPECTABILES DECANI,

Omnium ordinum Profeſſores inclyti, Collegæ honoratiſſimi,

Reverendi Paſtores, Hoſpitesque cariſſimi.

Elegans quoque & erudita Studioſorum corona.

MAgni & prægrandis facinoris memoriæ hic dies ſacer, Auditores ornatiſſimi, quo rem, glorioſe & magnifice quondam ab excelſo Principe *Julio* geſtam publice recolimus. Humanas quippe res ita eſſe comparatas experimur, ut vel optima atque perilluſtria magnorum capitum facinora, quibus publica res vel ſtabilita vel reſtaurata, longi ac lubrici temporis injuria, & præcipiti ſeculorum lapſu, excidant, & poſterorum cognitioni, ſic & juſtæ admirationi ſubducantur, ni ſubinde curate commemorentur.

Primi præclariſſimarum plerarumque *artium autores* plane *ignoti*, debito apud poſteros privati honore, qui penetrantiſſimum alioquin exiſtit calcar æmulaturis. Unde contingit, ut, tametſi artes ſuperſint, pretium tamen illarum ſit vilius, quod inventionis difficultas, inventoris ingenium, ſolertia ac induſtria, non conſtent, oblivione tecta atque ſepul-

ta. Non profecto posteris aptior atque gratior æmulandi materia, quam spectatus honos, quo præclarorum facinorum rerumque bene gestarum autores affecti. Neque vehementius ac validius animum, ad virtutem natum, prosternat, quam supinus virtutis contemptus: Non æstimari studia ac præclara majorum facta, vel & nesciri plane ac oblivioni tradi bonos viros, utilissimorum ac elegantissimorum negotiorum structores. Polydorus Vergilius multarum artium compositores vel exornatores commendavit, plurimarum præteriit, quia nescivit, quia sciri nequiverunt, per ætatem nominibus quoque extinctis, nisi forte sub fabularum umbra inventorum vestigia animadverterentur. Monumenta priscis temporibus ænea, marmorea, quin & argentea, nonnunquam posita artificibus ac qui primi magna facinora patrarant: Sed & cum monumentis dirutis memoria sæpe collapsa & pulveri commissa. Ut sunt bella, populorum expeditiones, ac gentium migrationes, optimis artibus earumque indagatoribus ac constitutoribus infesta atque exitiosa.

Quod fatum impendet artium ac scientiarum parariis atque instauratoribus, ut gratiam illis non referant posteri, nisi ad paucos interdum annos, dein profundo sepeliant silentio: Illud profecto magnis ac glorioſis *Principum factis* ac laudabilibus facinoribus pari infausto contingeret eventu, nisi *literarum præsidium* tutos illos servaret, ac ab oblivionis injuriis præstaret immunes. Nisi Xenophon Cyrum commendasset, factaque ejus concelebrasset, Cyri memoria ad Anticyras dudum esset ablegata. Nisi Curtius Alexandri fortitudinem & gesta heroica literis explicasset atque deduxisset, parvus curtusque cum tempore futurus fuerat magnus Alexander. Munificentia Ptolomæi in literatos & literaria monumenta, quæ innumera cum orientis stupore collegerat, cum funestis belli flammis expirasset, nisi veterum

rum Scriptorum integritas ac ſedulitas ſollicita commemoratione caviſſet.

Abeat tandem privatorum, de publica re ſtudiis ſuis bene meritorum, cum annis memoria, vel & nominis mentio cum anima exhalet, quæ patienter & æquo animo privatis ferendæ temporis inſidiæ: *Principum* profecto heroica *facta* & glorioſa inſtituta *immortalia* ſunto, nulli temporum ac ſeculorum oblivioni obnoxia. Hæc in oculis eſſe longiſſimæ poſteritatis, nec unquam obliterari, ſed literis usque quaque reſuſcitari ac revocari ſummopere neceſſe eſt. Siquidem illorum facta univerſam publicam rem concernunt, & circa communem verſantur ſalutem. Non igitur ſolum æquitas & devotio humani generis, civium præſertim ac ſubditorum poſtulat, gratam Principum ſervare memoriam, ſed & divinam providentiam, in illuſtriſſimis ſummoque loco poſitis perſonis in uſus publicos luculentiſſime proditam, admirari & ſubmiſſe venerari oportet. Magna Principum facta Numinis divini præſentiam celſumque regimen augurantur. Cœleſtis quippe numinis locum in terris tenent Principes. Similia proinde pro civium ſalute facta non diſſimilem habento à civibus gratiam. Sciant quoque principum in regimine ſucceſſores, qui majorum, & qualia illuſtria ediderint proavi pro communi ſalute, celſæ virtutis, fortitudinis, gratiæ, munificentiæ documenta. Cantari, ſcribi, pingi hæc debent, ut in auribus ſint & oculis menteque hæreant poſterorum, in Principum palatiis non magis, ac Magnatum, potiorumque ſubditorum, eruditorum inprimis, domibus ac muſeis. Hiſtoria & frequens commemoratio ni opem ferat magnæ Principum virtuti, dum vivant, & dum ad cœlos conſcendant, virtutis pretium debitusque honos in terris peſſum ibit, nec æmulandi digna Principum nepotibus ſuppetet regula atque norma.

Recte proinde, anniverſaria celebritate, hodie memoria

repetimus ac publice commemoramus *glorioſiſſimæ memoriæ Principis Julii, Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Ducis*, tacitus magnum & memorabile, qui *illuſtrem* in ſalubri hoc ad Elmum colliculo *Academiam*, ſuo nomine *Juliam* Maximiliani Cæſaris voluntate dictam, pro celſo in literas amore, ingenti ſumptuum mole *fundavit*, ſuſcitavit, ac Cæſaris clementia luculentiſſimis privilegiis beavit. Quem Parnaſſum nobilemque in hoc colle Muſarum ſedem, *anno ſeculi XVIIti ſeptuageſimo ſexto, idibus* quidem *Octobris*, qui filii, Henrici Julii, primi Academiæ Rectoris Magnificentiſſimi, erat natalis, admirabili pompa & venerabili Muſarum applauſu *inauguravit*. Quem hodiernum diem *XVtum Octobris*, juxta faſtos veteres nondum mutatos, *Academiæ natalem* impoſterum nobis feſtum ac celebrem exiſtere, pie & ſapienter mandavit, eâque occaſione ortum, fata, & fortunam incrementaque Academiæ in publica panegyri referri ac recenſeri voluit.

Juſſa & ego publico nomine nunc exequar, ex Senatus Academici arbitrio, pro mea omniumque noſtrum in immortales Principis manes pietate ac devotione. Neque verò animus nunc eſt, genus avitum ac regium Fundatoris, Julii Ducis, longa oratione pertexere, quod ab aliis dudum præſtitum: Neque univerſa magni hujus Principis laudabilia cœpta & negotia recenſere conſtitui, ne actum agam: Neque exordia hujus Academiæ à Gandesheimenſi Franciſcanorum quondam Cœnobio & Academica Ducali palæſtra, ſuis Profeſſoribus à Julio Principe ornata, repetam, quod ex Doctoris Jacobi Andreæ oratione Gandesheimenſi inaugurali conſtat: Neque fundatæ & inauguratæ Academiæ noſtræ pompam, vel & nuperi Jubilæi Academici celebritatem, luculenter ab aliis depictam, de novo delineabo: Nec Profeſſorum veterum, à primis Academiæ initiis, præclaram doctrinam, illuſtrem famam, & inſignia monumen-

menta collaudabo, quæ nec memoriæ nec manibus exciderunt: Sed, quo ordine, & à quibus Principibus, Julia hæc Academia sit locupletata, in hunc diem aucta & perornata, brevi exponam sermone. Audietis præsertim, A. O. *novæ Academicæ bibliothecæ Rudolpheæ memorabilia*, in quibus accipietis, quæ nunquam oculis vos conspexisse persvasus sum. Quare, Vos, Auditores Honoratissimi, grata vobis disserentem attente audituros esse, plane confido.

JULIUS, literatissimus Heros, glorioſæ memoriæ Princeps, haud longe à parentis Henrici junioris obitu, in regiminis sui exordio, in Guelpherbytana arce, uti de Monasteriorũ in his provinciis emendatione, quibus & Abbates & præpositos dedit, ita & de optimarum literarum in his terris publica luce augenda, salutaria cepit consilia. Quibus accessit metallitodinarum apud Hercynios resuscitandarum solertissima cura: Ut esset, unde divinâ benignitate illa æris sufficeret moles, quæ magnis illis consiliis ac facinoribus conficiendis par foret. Quapropter, quarto mox regiminis sui anno, more veterum, Cæsarum, Regum, magnorumque Principum, *Academiam hanc*, pleniſſimo Cæsaris consensu, in amœno hoc oppido magnifice *fundavit*, inauguravit, dotavit, & ampliſſimis privilegiis munivit. Bibliothecam præterea privatim condidit, quâ vel ipse, vel Principes hæredes, novam hanc Academiam aliquando bearent. Hæc scitis, Auditores universi, singulisque diebus læti recordamini, quandocunque *Juliæ* Academiæ membra ac cives vos esse gaudetis. Sancta & æterna esto magni Ducis Julii, *Academiæ Conditoris*, memoria!

HENRICUS JULIUS, & magnanimi sanguinis, & virtutis, gloriæ, & munificentiæ paternæ hæres, *Julii filius*, Princeps verè magnificus ac literarum amantissimus, non paternam duntaxat ex conditâ Academia gloriam strenue est tuitus, sed & incomparabili augmento & regio bene-

beneficio munificentiſſime illuſtravit. *Magnum* hocce *Julæum*, ſub cujus ſplendido jam degimus tecto, ſuſcitavit, idque anno ſuperioris ſeculi XII. Idibus Octobris ſolenniſſime inauguravit, oratore Cludio, Profeſſore JCto ac Ducis Conſiliario. Ædificium regium, Principum palatio non diſſimile, auguſtum Muſarum domicilium, cui par in univerſa non datur Germania, quod Auditoriorum amplitudine & decore, ſtructuræ pretio & excellenti artificio omnium Academiarum elegantiam ſuperat. Splendidiſſima ædes, magnifici templi ideâ & venerabili figurâ: Cujus pars ampla, ſub eodem hoc tecto, ad Auditorii hujus Theologici latus, ſplendidi ſacelli ſpecie, pro ſpectabili *bibliothecæ* conſtituendæ *theatro* â magnificentiſſimo hoc Principe, Henrico Julio, deſtinata. Conditoris & hujus magnæ molis, JULÆI HENRICIANI, eſtis memores, Auditores, quotiescunque, quod fit quotidie, hoc Muſarum ingredimini palatium. Immortale HENRICI JULII nomen.

FRIDERICUS ULRICUS, JULII nepos, regiones, magnanimitatem ac beneficentiam avitam indeptus, præterquam quod Academiam hanc, ab avo glorioſe conditam, à patre magnifice auctam, clementiſſime foveret, hoc porro ſollicitudine Principe digna egit, ut præter Calenbergicorum Cœnobiorum dotem, alio novo grandi beneficio illam locupletaret. Quam igitur avus, *JULIUS*, ſuis tantisper uſibus condiderat *bibliothecam*, quam HENRICUS JULIUS, parens, auxerat & ornaverat, hanc FRIDERICUS ULRICUS, harum provinciarum & Academiæ dominus & avitæ bibliothecæ poſſeſſor, Guelpherbyto Helmſtadium ad hanc Academiam, in magnificam ſedem, à beatiſſimo Patre HENRICO JULIO in Auditorio hoc Theologico extructam, deferri primum curavit, dein *Academiæ* liberaliſſime conceſſit ac gratioſiſſime *donavit*. Quod factum anno ſuperioris ſeculi primo & vigeſimo. Quam Ducalem gratiam ſolenni

lenni oratione hoc ipso in loco A. XXII. celebravit Christophorus Heidmannus, ordinis nostri Professor. Et hæc intelligitis, queis *veterem* hanc *bibliothecam* invisere volupe est.

Primi hi sunt tres Principes, qui, literarum peritissimi, in hisce provinciis *publicam bibliothecam* appararunt, constituerunt, eamque Academiæ consecrarunt: comparandi utique hoc nomine cum *Julio*, *Augusto*, ac *Tiberio*, Romanorum Cæsaribus, primis literatissimis cœli in occidente luminibus, qui *primi publicam Romæ* suscitare cœperunt, promoverunt atque *aperuerunt bibliothecam*, speciosissimum urbis ornamentum, prima comparandæ ac dirigendæ tantæ rei cura Varroni post Pollioni doctissimis viris demandata.

Luculenta porro divinæ, auditores optimi, providentiæ vestigia hic animadvertisse fas erit, qui scimus, non fortuito publica evenire fata, sed divino ferri arbitrio & moderamine occulto. Ultimi ex Magno Torquato, Brunsvicensium Duce, Henricianæ Wolffenbuttelensis liniæ, summe laudati hi supererant Principes, qui in tertium usque seculum in arce Wolffenbuttelensi gloriose imperarant. Quod ergo cœlum ac inexhausta & imperscrutabilis providentia prævideret, Julium, Henricum Julium, & Fridericum Ulricum, Henrici lineam terminaturos, horum pectora flagranti in religionem ardore, prolixo in literas favore, impenso in publicam salutem amore repleta, cœlesti suo nutu gratiosissimoque instinctu flexit, & in laudatissima de Academiæ rebus in his terris præclare constituendis consilia divino afflatu pellexit, eoque cœlesti manu feliciter deduxit. Qui ergo successoribus ex sua domo carituri erant Principibus, his nomen æternum & gloriam ex virtute immortalem, sapientissimum conciliavit divinum Numen, magnis ac memorabilibus tribus illis facinoribus in publica perpetua rei literariæ commoda solennissime per illos editis. Ille *Academiam*, iste in Academia pro auditoriis *Basilicam*, hic publicam in Academia *bibliothecam*

ſuſcitavit. Tres ultimi iſtius rami Principes : tria prægrandia in publicam ſalutem collata , in ſeros annos duratura , *regia beneficia* , perennatura celſiſſimi nominis & auguſtæ munificentiæ monumenta. Vivant poſt fata , viventque, dum literæ vivent, ære ac marmore diuturniores. Vive Juli, Academiæ fundator! vive Henrice Juli, magni Julæi conditor! vive Friderice Ulrice, bibliothecæ Academicæ primæ autor. Vivite per hæc veſtra templa, per hæc veſtra muſarum palatia, per hæc veſtra elegantioris doctrinæ amphitheatra. Veſtra in literas & literatos propenſio, veſtra munificentia, nunquam intermorientur, ſed æternum cantabuntur.

Priore Wolffenbuttelenſi Henriciana linea, ſumma cum gloria & æterna ob virtutem laude ſic tandem anno ſuperioris ſeculi XXXIV. finita , & inter regia facinora ſplendidisſime conſummata : Academia hac Julia eopte fato in agnatorum Principum tutelam celſisſimamque manum perlata: Laudabili trium illuſtriſſimorum fundatorum exemplo, majoribus par tenerrima in hanc Academiam affectio , ſimilis clementia, eademque in illuſtrem hanc muſarum ſedem gratia, ab omnibus ſerenisſimis principibus , Academiæ nutritoribus , luculentisſime in hunc usque diem eſt demonſtrata. Ad publica igitur ac ſpectabilia ut redeamus munificentiæ fundatorum veſtigia : In nova Wolffenbuttelenſi linea Auguſtæa, Friderici Ulrici novi Succeſſores ac hæredes , erga Academiam hanc Juliam , ſuam quoque factam , literarumque decus & ſplendorem , eam oſtenderunt gratiam & beneficentiam , quæ ſummis illos in orbe capitibus æquaret.

RUDOLPHUS AUGUSTUS, Auguſti, herois pii, literati, ſapientis, felicis, *filius*, & religioſitate, & doctrina principe digna, & ſapientia, fortunæque benignitate, aut par, aut major, Dominus ac nutritor noſter clementisſimus , fundatorum admirabile exemplum prudenter ſecutus , nova publica principalis liberalitatis monumenta Academiæ nuper gratioſisſime imper-

impertivit. Ut *templum Academicum*, Auguſtinianorum quondam ædem, de quo nuper ex hoc loco dixi, in quo inſtaurando ac perficiendo occupamur, nunc taceam: *novam, ingentem ac pretioſam bibliothecam*, nova ſede in hac Academia locatam, munificentiſime nobis *donavit*, quod pariter noviſime læto ore ſubindicavi.

Theſaurus hic eſt literarius, quem Serenisſimus Princeps longo annorum ambitu in domeſticos ſuos uſus comparaverat, ac partim *Hedvvigsburgi*, in Tuſculano, partim *Brunſvigæ*, in Ducali ſua aula, ut ubique in oculis eſſet manibusque, apte collocaverat. Creverat, & diverſis ſedibus in eam molem ſurrexerat privata Ducis Bibliotheca, ut ſpatium deeſſet illi capiendæ: Non ceſſura tandem amplisſimis Germaniæ bibliothecis, nec ipſi Auguſtæ Wolffenbuttelenſi, niſi ſubinde princeps benignisſimus ingentem ejus apparatum per varia ſacra collegia largisſime diſpertiviſſet. Qui venerabili *Brunſvicenſium eccleſiaſtarum Synedrio* eorumque bibliothecæ in Ulrici templo, grandes acervos clementisſime conceſſit: *Riddageshuſano* ſimiliter *collegio* ſacro inſignem præclarorum librorum copiam gratioſisſime largitus.

Memor itaque literatisſimus Princeps carisſimæ hujus ſuæ Academiæ, hanc præcipue novam beandam eſſe bibliotheca, in publicos uſus, ſapientisſime judicavit: nullibi rectius nobilem & excellentem rei ſuæ librariæ reliquæ theſaurum condi ratus, quam in publica celebri ſua Academia, illuſtri muſarum ſede, ubi commune omnium negotium, eruditorum monumenta toto verſare die, in quem locum novi quotidie hoſpites confluant, & ad quos ex diſſitis regionibus viri docti frequentes divertant.

Scire autem omnium intereſt, lautisſimo hoc munere in amplisſimum noſtrum literarum capitolium deportato, literarum optimarum publicæque rei literariæ amorem Principem neutiquam abdicaſſe, qui in gravi ſenecta condimentum

hocce provectæ ætatis ſuaviſſimum indeſinenter ſervat, celſa negotia ſapienter illo diſtinguit, cunctasque vitæ difficultates eopte remedio mulcet, lenit, mitigat atque temperat. Quo fine, ultra librorum molem, nobis nunc deſtinatam, tantundem *Brunſvigæ* & *Hedvvigsburgi*, pro ſuo ſtudio atque oblectamento, grandævus religioſe tenet.

Hæc vero erudita optimi Ducis *Colonia Helmſtadienſis* tam numeroſa, tamque locuples, & tam ſpecioſa, ut Romanorum coloniæ, numero, opibus atque decore huic facile cedant. Proxime, quando vobis publice patebit hoc Muſarum templum, ſeriem *ordinemque* decentem non ſine voluptate contemplabimini. Præibo hic, & in anteceſſum menti veſtræ ſiſtam, quæ oculis cum admiratione dein uſurpabitis, manibusque læti comprehendetis.

Foruliş, armariis, ſcriniis & pulpitis, pergulis & ambulacris, diſtinctum hoc muſarum domicilium: ut rariora ſeris & peſſulis, valvulis ac feneſtellis, contra pulverem aliasque injurias tecta ſint atque munita. Nec ſcalis opus vacillantibus, quibus ad ſuperiores minutulos libellos conſcendatur: Cum per evectas pergulas, totam ambientes bibliothecam, velut humi deambulare datum ſit.

Imagines & picturæ non bibliothecarum duntaxat ornamentum, ſed & pars prima ſunt ac fere nobilior. Quin ſingulæ *virorum illuſtrium effigies*, peculiares, compendioſæ, & ſpectatu perjucundæ ſunt bibliothecæ. Frons enim oculique magnorum virorum, brevis & anguſta oris idea, auguſtæ & prolixæ ſunt hiſtoriæ, belli virtutis & doctrinæ indices, oracula apertiſſima, animi ac ſpiritus indicia manifeſta, & genii ſimulacra peramœna. Ex horum oculis plus interdum uno momento cum voluptate diſcas, quam integro anno ex toto legas volumine.

Inter hæc tam præclara *picta doctrinæ & virtutis monumenta*, in hac noſtra Rudolphea bibliotheca eminet, in per-

pergularum fronte, ſpecioſa *Sereniſſimi Conditoris, Ducis Rudolphi Auguſti, vere boni Principis effigies*, heroem ſenem octogenario vicinum, hujus anni colore, vividum vegetumque, eleganter & exacte referens, ornamentum illuſtre, grata devotione ab omnibus intuentibus ſalutandum. Grande præſidium & dulce decus noſtrum. Simile *Ducis* prænobile *ſimulacrum, polito ſtanno* affabre *inſcultum*, oculos ferit. Nec injucundum viſu ſpectaculum, *ejusdem principis, adoleſcentuli*, bellula facies lucidique ocelli, blandi celſæ animæ characteres, amœnum futuræ magnæ virtutis, celſæ doctrinæ, argutæ ſapientiæ, nec non regiæ in nos beneficentiæ augurium ſuaveque præſagium.

Deinde, quoniam eruditiſſimus princeps inter alia ad hiſtoriam, ſeculi præſertim decimi ſexti, incomparabilem monumentorum rariorum apparatum ſolertiſſime comparavit, *Lutheri* ac *Philippi Melanchtonis*, à quibus illi in religione motus profecti, *effigies*, nativo colore, à diverſis excellentibus illorum temporum pictoribus effigiatæ, in columnis comparent. *Lutheri* quidem, anno illius ſeculi duodecimo *creati Doctoris*, exporrectam frontem & ſupercilia magni quid molientia, conſpicias. *Ejusdem*, anno illius ævi vigeſimo quinto *facti mariti*, & uxoris *Catharinæ Boreniæ*, à Luca Cranachio, Germanico Apelle, elegantiſſime depictos *vultus*, peculiari theca reconditos, contempleris, & artificium in utriusque ore mireris. Ejusdem *ſeneſcentis*, politiſſima quoque Cranachiana manu effictam, aliamque denaſcentis aut *defuncti* faciem videas. Junctus his *Philippus*, nitidiuſculus, pro diverſa ætate diverſi coloris, ut varia viro erat & animi forma.

In primis his vultuum lineis, in his frontiſpiciis, in his oculiferiis, velut naturalibus fatorum compendiis, longiſſimorum in republica & eccleſia motuum & infinitarum mutationum hiſtoriæ concinne adumbratæ.

Apparatus dehinc *literarius* in geminum distinctus forum. Gemina quippe bibliothecæ pars est, una, quæ historiam seculi decimi sexti antiquis suis rarioribus referat monumentis: Altera, quæ recentioris ævi nostræque ætatis nobiliora comprehendat scripta. Ut ampli utriusque atrii politiores lustremus comtioresque tabernulas, pretiosioribus refertas elegantioris doctrinæ mercibus, à *MSCtorum* gemmis ordiemur.

In scrinio his dicato curioso spectatori se sistunt *quatuordecim volumina Epistolarum* Sereniſſimi Principis *AUGUSTI*, Brunsv. ac Lüneb. Ducis glorioſæ memoriæ, Augustæ Wolffenbüttelensis bibliothecæ conditoris verè augusti, ad miraculum inter Principes docti, quas celsa sua manu ad venerabilem Abbatem Würtenbergensem, Doctorem Johannem Valentinum Andreæ, Consiliarium Augusti Ecclesiasticum, variis de rebus eleganter quondam perscripsit, Princeps literatorum quondam vere Princeps & celsum fastigium. Hæ cum aliis personarum illustrium epistolis à laudato Abbate Bebenhusano collectæ, ab illius obitu hæredum voluntate ære non parvo sunt recuperatæ. Elegantissimus variæ doctrinæ & excelsæ sapientiæ thesaurus, *artificioſiſſimis iconibus* perpulchre distinctus.

Lutheri pariter, & *Philippi*, *Bugenhagii*, aliorumque illius ævi Theologorum clarorumque virorum *epistolæ*, ac monumenta MSCta, vel & philothecis inscripta *symbola* memorabilia, nobilia antiquitatis futura argumenta, cum legentium delectatione oculis admirabundis hic sese offerunt.

Philothecæ complures, Principum, Magnatum, celebriumque virorum, aliarum & nostræ quoque Academiæ Professorum veterum, manibus & effatis nobilitatæ, ut & nitidiſſimis ac *miniatis* imaginibus, quæ bellulum pulchellæ quoque *Italiæ gyneceum* perpulchre referant, perornatæ, oculos

culos mentemque contemplantium mirifice afficiant.

Oblectent curiosum æstimatorem & *icones*, quæ hic effulgent, Europæ Principum & Magnatum, velut Westphalicæ pacis tempore illustrium, *æri incisæ*: Caroli Gustavi Sueci expeditiones bellicæ formidabiles, ichnographicis tabulis speciosissimis vasto volumine comprehensæ. Similes aliæ plures, quæ omnis generis fata, exercitia, *artes* etiam & *opificum inventa*, belle exprimant.

His juncta *Epithalamia*, nitidis ac ingeniosis figuris condecorata, ut sunt Engelberti Bischovii, aliarumque Vindobonensium Musarum, in Romanorum Regis Josephi & Wilhelminæ Amaliæ Hannoveranæ Ducis thalamum Viennæ Austriæ adornata.

Hic nitent *Emblemata*, ingenii & artis oracula, Catziana, Horatiana, Burgundiana, aliaque pulcherrima, in vitii horrorem & virtutis laudem.

Hi foruli, *excellentis virtutis* & doctrinæ *ideas* complexi. Ea quippe Duci semper fuit sententia, *viros magnos & de publica re bene meritos*, suâ fronte, rite ad vivum delineatâ, *iconesque historiarum, artium aut instrumentorum* genuinas, idem si non amplius præstare, quod grandia de illis volumina. Imagines sane & vivi colores, citra fucum, oculos mentemque occupant citius, ac penetrant fortius, sanguinemque movent celerius, quam longissimi sermones.

Posthæc, in vicinis tabularum reconditarum recessibus asservantur plurima *Volumina MSCta Politicorum ac JCtorum* clarissimorum, de publicis Imperii Germanici rebus: *Chronicorum* pariter *MSCtorum*, deque rebus civilibus & Ecclesiasticis & decantata reformatione, historicarum relationum fasces spectabiles: *Cum figuris* etiam *& imaginibus penicillo exaratis*, & coloribus scite exornatis. Et mens & oculi hic iterum pascantur abunde. Longa sane edoctus experientiâ Princeps, damnum haud leve parere publicæ

poste-

posterorum tranquillitati communem negligentiam, quando vel non consignentur, vel consignatæ res in provinciis gestæ diripiantur aut lacerentur: Si quæ MSCta historica, si quæ monumentorum reliquiæ incidant, quæ à viris eruditis privatim aut publice calamo quondam consignata, redimenda ac sollicite servanda esse existimat.

Quin & *Jacobus Böhmius*, *Valentinus Weigelius*, *ac sodales*, religionem professi arcanam, cum suis autographis, à Dresdensi Medico ac Chymico Hinkelmanno, Böhmii quondam hospite collectis, non modico ære comparatis, quæ quinquaginta ferme voluminibus ac fasciculis MSCtis constant, in suo hic delitescunt angulo.

Wideburgius, Wolffenbüttelensis quondam ecclesiæ Præsul, *Calixtus* Senior, Ranzovius, *Rittalerus*, aliique docti viri, *opuscula* sua quoque *inedita*, suamet manu conscripta, & hic spectantibus sistunt.

Metallifodinarum Hercynicarum *instrumenta*, puriore calamo hic scite delineata & adumbrata. *Interna Baumannianæ speluncæ*, ad Hercyniam sylvam in agro nostro Brunsvicensi sitæ, *facies*, per suos meatus, cum obviis naturæ prodigiis, hic depicta: Cujus lineas Polyhistores Lipsienses originitus hinc noviſſime duxere. Hæc similiaque, calami, penicilli, æneique cæli monumenta elegantia, voluptatem contemplantibus creant singularem.

In Theologicis, religiosissimo Duci auro carioribus, impressorum operum pulpitis, primum rarioribus, elegantioribus ac recentissimis *scripturæ S. interpretibus* datum est museum, *Latinis* æque ac *Germanis*, sed & *Gallis*, *Saco*, *Godeau*, aliisque: Formæ & famæ magnæ, parvæ, & mediæ. Vix namque ipsos inter Theologos reperiatur, qui Scripturæ S. res sublimes religiosius, qui veteris Ecclesiæ fata attentius, qui providentiæ divinæ normam & regulam sollicitius expenderit, qui & profundius in singula penetrarit

rit hoc Duce: Cujus hoc axioma, hæc aureola, individuus universi regiminis comes, *Verbum Dei consulendum, quod omnia nostra consilia gubernet.* Quamobrem elegantissima sacri hi codices amicti veste, & formosis thecis cincti & muniti. Qui sacer thesaurus magni pretii, nec ullibi tam longa selectaque serie facile obvius. Sunt in his exempla *membranis* puris & candidis impressa, spectaculo non vulgari.

In alio conclavi congregati *Historiæ Ecclesiasticæ*, quam solertissime scrutatus exacte callet Princeps, *scriptores* selectissimi. Pone Magdeburgenses Centuriatores, *Natalis Alexander*, *Du-Pinus*, *Godeau*, Galli, qui res veteris Ecclesiæ fuse enarrant: *Clericus*, qui primos Ecclesiæ scriptores græcos recenset: *Burnettus*, *Seckendorffius*, qui Angliæ & Germaniæ res nuperas designant: Aliique, consessu longo & religioso. Nec abest *Sigismundus Cæsar*, literatorum quondam præsidium, Constantiense Concilium moderans.

Cum *Patribus*, *Commentatorum* agmina, & *post illa*, *Homiletæ*, *Catechetæ*, sacro cœtu, una sede morantur, unius ordinis, indolis atque opellæ.

His fortean major *Grotius*, cum multa sua polita fœcundaque literarum materia, vir magni genii, pacis amans, & libertatis assertor strenuus, proprium suo sibi jure vindicat sedile.

Sarcerius, in suo recessu damnis Ecclesiæ resarciendis multam impendit operam.

Et *Arndius*, in Deum amore & religione *ardens*, pietatis incentiva libero hic offert templo.

Et *Spenerus*, *spe* plenus emendationis, separatim ad aram comparet, sacris juxta & civilibus, historicis & heraldicis suis comitibus cinctus, pro tuenda pietate in ejus hostes *ruens*.

Sed & *Dilherrus*, in suo suggestu religiosam emblematicam ostentat farraginem.

Intra ſuos cancellos hærent, & *Pfeifferus*, cum ſuis tibiis ſacris: Et *Olearius*, cum operoſis ſuis ſcriptis, oleum & laborem olentibus.

Tranquillior *Kempiſius*, Chriſti veſtigia ſubmiſſe & devote legens, Duci perdilectus, poſtquam per omnes nationes migraverat, *in angello* hic ſedet *cum libello*, lectiſſimus.

Poſt carecta latent *Interimiſticæ*, variegatæ & coloratæ *ſcenæ autores*, hiſtoriæ religioſæ perſonatæ momentum grande.

In ſuo circo, *Jubilæa* celebrantes, & fauſtis feſtisque ſeculorum circulis applaudentes.

In ſuo choro, ſacri Conſiſtorii Aſſeſſores, *Eccleſiaſticas* totius propemodum Chriſtianæ Europæ *conſtitutiones* promulgantes, pleno numero.

In ſacrario, ardenter *orantes*, corona venerabili.

In larario, pie & devote *cantantes*, concione ſpectabili.

In peculiari ſacello, *Principes & Magnates devoti*, à turba remoti.

Ne verò & *mortis* ignorata videantur edita & vibrata ſpicula, eive ſua negata *jura*, vel & ſuppreſſa memoria celeberrimi & feralis hujus grandium fatorum machinatoris & immortalis hominum ſcientiarumque hoſtis: Huic quidem locum dare non fuit neceſſe, quem ubique pro lubitu ſumit, & ſibi non chartas duntaxat ſed & ſaxa & marmora cedere jubet, loculum quærens: Illis tamen cubile ac *dormitorium* hic eſt tributum, qui hunc toto orbe decantatum & mille voluminibus deſcriptum omnis exitii autorem ſpiritus auxilio impugnare, debellare, ac piis *meditationibus mortī oppoſitis* magno animo ſuperare docuerunt. Nec enim ulla Duci ſerenior in tanto faſtigio, nec frequentior *meditatio*, quam *mortis*. Cui & nudius quartus hoc placuit ſymbolum & in literis ſigillum: *Moriamur quando voluerit Deus, modo quomodo velit vivamus.*

Clau-

Claudunt ædem *funebria*, quæ & pro familiis Principum & magnatum cognoscendis egregie faciunt, historiæ pars non postrema, suum sortita tumulum cumulumq.

Hæc, A. O. sacra res, quam devote semper admiratus, pro conscientia serenanda, Princeps religiosus.

Deinceps in aliis domibus sedent, quibus familiarissime itidem usus Princeps sapientissimus, pro civili re gubernanda, *Oratores*, *Politici*, *morum censores*, *historiæ*, *civilis & literariæ*, nobilioris *rei antiquariæ*, *numariæ*, *Genealogicæ & Heraldicæ* concinnatores, consessu insigni & numeroso. *Puffendorffius* inter hos, Carolum Gustavum Svecum & Fridericum M. Brandenburgensem adorat. *Beringius* Reges Danos suscitat. *Lambecius*, Cæsaream Vindobonensem bibliothecam operose cantat. *Begerus*, pretiosis antiquis Regii Berolinensis Cimeliarchi Gemmis & Numismatibus demonstratis, spectatoris cupidinem mulcet. *Marcellus* Gallus totum orbem pauculis corticibus velut nuce claudit. Alii alia agunt: Qui & *publica* Imperiorum & *privata jura*, ad legum celebriumque conventionum vel & naturæ dictamen metiuntur.

Suis theatris gaudent & *Mathematici* excellentes, quos impense amat ac colit Princeps solertissimus, pro regionibus suis illustrandis. *Astronomi*, *Geometræ*, *Architecturæ civilis & militaris Autores* optimi, *Geographi* & *Topographi* curatiores, cum exactis suis *tabulis* & elegantioribus *mappis*, *Feri*, aliorumque, admirabili numero. Comtissima in his sunt Geographicarum mapparum exempla, *molli candidoque serico impressa*, alia *manu* affabre & nitide *exarata*, ac coloribus distincta, suis thecis concinne inclusa. Clarorum virorum, Mabillonii, Tollii, aliorumque *itineraria* his adunata.

Accedunt illis *rei venatoriæ*, *equestris*, *stabulariæ*, scriptores & antistites solertiores, Principis aulâ digni, nobili apparatu, figuris præclaris.

Principis ſane cura per omnem omnino ætatem fuit indefeſſa, laudata ſuperiora nobilia civilis vitæ præſidia, ſcientias illuſtres, quæ populi captum atque uſum tranſcendunt, ſuaque dignitate Principum veſtigiis inhærent, comites individui, & aulam auramque ſapiunt ſereniorem, callere, præſtantiores etiam illarum rerum ſcriptores conſulere, omnis illius operæ formas in figuris quoque & artificioſis iconibus penitus obſervare. Tanto proinde curioſior Sereniſſimus omni tempore, illis vitæ & literarum decoribus, & regiminis ac curiæ adjumentis congregandis, quanto illuſtrium illarum ſcientiarum eſt peritior, qui vel exercitatiſſimos magiſtros longe ſuperare deprehenſus: cui & *inſtrumentorum mathematicorum* & elegantis *tornatorum operæ ſupellex* tam ampla ſuppetit, ut peculiaribus ſuis in aula Brunſvicenſi ſerventur conclavibus.

Poëtis quoque & *hiſtoricis antiquis*, nitidioribus, in uſum præſertim Delphini editis, Taciti quatuor Tomis, ceterisque, apta data ſunt loculamenta. Nec enim diffitendum, Hiſtoricorum etiam & Poëtarum veterum nobiliores quosque atque cultiores eo ſtudio à primis annis Principi eſſe lectos, ut non tantum rerum in orbe quondam geſtarum exacte ſit conſcius, ſed & ponderoſas ingenioſorum Poëtarum & hiſtoricorum ſententias in numerato habeat, quæ in quocunque negotio pro tenaciſſimæ in ipſa gravi ſenecta memoriæ beneficio promptiſſime ſuccurrant, dexterrime ſuis applicatæ.

Phyſici, *Botanici*, *reique hortenſis*, Principi percharæ & in ſenio cultæ, ſcrutatores *recentiores*, *Abrahamus Muntingius*, Belga, *Tournefortius* Gallus, ſimilesque, nec non metallicæ rei magiſtri ſcrupuloſiores, campum vel antrum nacti.

Inſtructæ quoque cellulæ, quæ *Cameram* referant *curioſarum rerum naturalium*, naturæ prodigiorum ac phænomenon

menon singularium, quæ vel in his ac vicinis oris, vel remotioribus locis, terrâ marique genita: *Belemnitæ*, ex agro Hedwigsburgensi, insigni copiâ: *Cornua fossilia dentesque fossiles*, insolitæ magnitudinis, ex celebri caverna Baumanniana, mirabili naturæ progenie fœcunda: *Cornua marina*, ejusque generis alia, quæ incrementa capient majora. Quo pertinet acupicta *arbor Chymica* Paracelsiana, Hamburgi multo igne & sudore creta & excocta, à Medicis & Chymicis excutienda.

Postremo suam sibi servant choream ac festivum frequentant bugiale, lepido & venusto collegio, & confabulatione non inficeta, qui ludere, tesseris & taxillis, verbis & dicteriis, non sine arte tamen & ingenio, & sine temporis dispendio, didicerunt, qui jocari, *& joco seria* monere, qui oblique & argute pungere, qui ridendo dicere verum consveverunt. Quale hominum & eruditorum genus hæc quoque secula amant, quæ veritatem sine peplo, sine larva & persona terre non sustinent. Hic veteres ac recentiores epigrammatum, apophtegmatum & argutiarum autores, *poëtæ* item acuti & aculeati, *Comici & Lyrici*, Galli, Batavi, Germani, Latini. Hic *Sebastianus Brand* & *Keisersbergius*, cum suis Stultorum naviculis & Pulpamento. Hic *Poggius*, *Bebelius*, *Bembus*, cum suis orgiis, facetiis & bombis. Hic *Hans Saxe*, cum suis plaustris currentibusque carminibus ritmisve saxeis. Hic versipellis *Reineke*, Saxo & Romanus. Quin & ipsa bella non illepidæ antiquitatis fabella, *Æsopus*, præter morem comtulus, nativâ deformitate gallica veste tecta. Hic Satyricorum sylva. Hic Cereris & Bacchi fercula. Hic Cupidinis lyræ & deliramenta, amoris amaror & error. Hic *scenæ operæque theatrales*, nec non superstitionis ethnicæ umbræ, larvæ, & comitatus scenici, qualis Dresdæ A. 1695. publica festivitate à personatis repræsentatus. Hic centeni socii, Democriti & Cornelii, percomes & pervenusti, fa-

cundi & faceti, ex omni orbe, qui graviſſimos quosque & auſteros moveant, animum feſſum recreent, per cuniculos ad virtutem pertrahant, & à vitiis blando terriculamento abſterreant. In ſpatioſa hac *cella* multum *ſalis*, quo perfricari poſſit, cuicunque aliquid deſit ſalis, ut bene rectèque ſapiat.

Una hæc eſt, Auditores, *bibliothecæ Rudolpheæ Academicæ pars*, quam hactenus velut per tranſennam ex hac cathedra eminus monſtravi, admirabundi verò in ipſa ſua Julæo huic vicina nova ſede dein contemplabimini, ſuavi illius conſpectu & uſu, præ copia, elegantia & raritate, nunquam ſatiandi, quibus inſpiciendi & curatius obſervandi novum quotidie ſubnaſcetur deſiderium. *Millenis voluminibus* recentioris ævi ſcriptorum eruditum hocce eminus nunc vobis monſtratum *primum* conſtat *atrium*, admirabile viſu.

Alterum, viros *ſeculi XVIIti* eruditos, cum amplo ſuo apparatu literario ſiſtens, non ſuperiore ac recentiore minus, ſed numero, pretio & dignitate par. *Millena* & hoc comprehendit *monumenta*, rara profectò, tametſi non æque formoſa, quippe quod gemini ſeculi ætas rugas aliquibus conciliarit, abſque pretii detrimento, quin cum illius haud exiguo ex antiquitate augmento: Ut nummi, aurei & argentei, vel & cuprei, ex longiori ætate majus indies acquirunt pretium.

Novus hic campus eſſet, non unâ ſed multis orationibus per *reſuſcitatum hunc ævi antiquioris exercitum* eundi, ordinem ſignandi, capita ducesque commendandi, tribunos enumerandi, & vexilla illorum pingendi. Veruntamen, præterquam quod in via adhuc ſit numeroſus hic exercitus, milite ſene ac veterano conſtans, qui gemini ſeculi annos cum armis ſecum apportet: Nec mirum adeo, quod cum recentioribus, vegetioribus, levioris armaturæ, pari non ambulet paſſu, acceſſurus tamen proxime: *Tribus Tomis*, ſuperi-

perioribus annis hanc in rem editis, facies aciesque jam eſt deſignata, armaque ſingulorum appenſa, *Autographis* enumeratis. Quæ hiſtoriæ hujusceque bibliothecæ idea, *integro volumine* brevi adhinc locupletior publice communicabitur. Nec proinde in peculiaris hujus magnæ partis, integræque potius bibliothecæ commendatione morabimur.

Innumera ſane hic antiquitatis argumenta, quæ hiſtoriam ſeculi XVIti multo ſinceriorem ac integriorem ſuppeditent, quam à quoquam, hactenus eſt edita. Centena rerum geſtarum momenta, quæ aliter longe fuerunt comparata, quam literis proditum. Innumera, cognitu neceſſaria, monumentorum defectu ab illorum temporum ſcriptoribus ſilentio prætermiſſa. Illuſtris quondam Seckendorfius, apparatus hujus noſtri quoque ope permulta detexit, aliis haud viſa, millena non attigit, poſthac eruenda. Non noſtræ ſolum partis ſcriptores adſunt: Omnium omnino partium ſine diſcrimine illius ævi ſcriptores religioſi comparent: Ut abſque partium ſtudio ſingulorum ſententia ex genuinis quorumcunque fontibus & autographis cognoſci & ponderari poſſit. Theſaurus profecto inæſtimabilis, alibi per univerſam Europam haud viſendus, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lumen clariſſimum, & præſidium literarium incomparabile.

Deo ac ſereniſſimo præclaræ bibliothecæ Conditori, Duci RUDOLPHO AUGUSTO, Patriæ Patri benigniſſimo, devotas cuncti perſolvimus gratias, qui celſo ac pretioſo hoc aucti ſumus munere. Munus nobile, munus amabile, munus admirabile, munus excellens, munus regium. Hoc cimelio beata noſtra Academia caput jam effert, & ingentia publicæ rei literariæ commoda hinc pollicetur. Salva beneficentiſſimi Ducis RUDOLPHI AUGUSTI erit memoria, dum literæ valebunt, dum ſolidioris ac elegantioris doctrinæ, hiſtoriæ præſertim ſacræ & civilis pretium in orbe exiſtet, dum hæc Academia florebit. Quinimo, ſi vel cruentis Martis

tis injuriis, ut quondam ex Ægypto, ex Græcia, emigrent, quod absit, ex Germania serenæ Musæ, quocunque migrabunt scientiæ & rerum laudabiliter gestarum notitia, RUDOLPHI AUGUSTI nomen simul commigrabit. Vive ergo, optime Princeps, literatissime Princeps, munificentissime Princeps, auguste patriæ pater, Academici decoris parens. Vive in Nestoris annos, vive cum bonis literis, cum bonis viris, cum virtute, quæ per Deum vivent, dum orbis erit.

Te verò, o Deus, æternum Numen, supplices adoramus, te devoti veneramur, te pio ore & pectore celebramus, Tuâ beati cœlesti gratiâ, qui Principum animos in hanc Academiam, elegantissimarum scientiarum sedem, condendam, augendam, ac locupletandam sacro tuo spiritu pellexisti, præsidiis literariis abunde nos instruxisti, & luculentioribus indies cingis ac beas, æterne Pater. Fac, alme rerum Conditor, sine cujus nutu atque voluntate, sine cujus irrefragabili decreto, nil in terris, in humanis, geritur: Fac, enixe rogo, Te Conditorem nostrum, omniumque apud nos beneficiorum Autorem agnoscamus. Tuis grati utamur opibus, tuis læti fruamur beneficiis, quibus & hanc ornas & cumulas Academiam: Te sine literæ jacent, te sine nullus literarum decor, nullus profectus, nullus successus, te sine flos noster, decus nostrum, marcescit: Per te literaria res hic floret, per te virtus laudata crescit. Ad posteros hæc Academiæ propagetur gloria, hæc illis tradantur doctrinæ & virtutis adjumenta! Servent, quod multo illis labore paratur, quod illorum usibus adornatur. Majorum nostraque legant vestigia, addant si possint, ampliora, addant plura, ornatiora, nobiliora ac præstantiora. Inter hæc *præclara Academiæ incrementa*, serva, o Deus, universam, glorioſissimam, augustam DOMUM BRUNSVICO LÜNÆBURGENSEM, quam regia virtus cœlo æquat! Munificentissimam tuâ gratiâ corona!

CAS-

CASPARIS SAGITTARII

ORATIO

DE

BIBLOTHECA

IENENSI ACADEMICA

HAurit aquam cribro, qui diſcere vult ſine libro. Ita leoninus habet verſiculus non numerorum quidem elegantia, ſed longo rerum uſu ac indubitata veritate comprobatus. Ex quo enim ſupremo numini placuit ætatem hominis arctius conſtringere, nec per multorum ſeculorum ſeriem ire licuit mortalibus; non unice innixa majorum traditioni rerum abſtruſarum ſcientia, ſed à repertis literis credita fuit librorum voluminibus. Accepto igitur tanto beneficio ſi quis faſtidire libros, & negligere præſumſerit, ac unice inhærere velit vivæ doctorum voci, non raro illam tam facile ex animo patietur labi, quam cribrum multis foraminibus diſtinctum undas ſolet transmittere; ac inſuper vel arrogantiæ vel ingenii nimis delicati notam non effugiet. Quandoquidem autem omnium ad veram ſolidamque in quovis ſtudiorum genere doctrinam contendentium non patitur conditio, tantam vim librorum, quanta propoſito ſcopo ſuffecerit, in privatum uſum cogere, à providis rerumpubl. præſidibus, quin & quibusdam aliis in re lauta conſtitutis viris bibliothecæ in publicam utilitatem, adde & ſplendorem, fuerunt conditæ, unde majora in humanum genus commoda, ac ex divite armorum congerie profluxerunt. Primus hujus inſtituti auctor forte ignoratur, donec tamen certiora afferentur, iisdem aſſenſerim, qui Oſymanduam Aegypti regem eo laudant nomine, quem inter cetera operum præclara bibliothecam ſtruxiſſe, ejusque fronti *ἰατρεῖον ψυχῆς animi officina medica*, præſcripſiſſe ferunt. Secuti exemplum reges Aegyptiorum alii, ex quibus Ptolemæu ,cognomine Philadelphi famoſus, multa & ſi Cedreno fides, ultra centum millia librorum Alexandriæ repoſuit. Idem factitarunt quondam græci, apud quos

Pi-

Pisistratus disciplinarum liberalium libros publicando tantam apud Athenienſis ſuos gratiam, quantum ob affectatam exercitamque tyrannidem odium contraxit. Quid dicam de principe orbis urbe Roma, ubi Sullana Octavia, Palatina, Tiberiana, Ulpia, Capitolina bibliothecæ partim à conditoribus, partim à ſede magnum & memorabile nomen acceperunt? Manſit idem ſtudium cuivis politiorum gentium, ac crevit maxime poſt repertam divinitus artem typographicam: ſic ut hodie nullum fere monaſterium, nulla civitas paulo florentior, nulla reperiatur academia, quæ non inſigni aliqua bibliotheca ſuperbiant. Interea non immerito doleo, nondũ integram totius orbis ſive deperditarum, ſive in præſenti florentium bibliothecarum hiſtoriam imo ne notitiam quidem ſatis accuratam eſſe conſcriptam: licet voluptate non minori quam fructu ejusmodi opera lectoribus ſeſe ſit commendatura. Interim dum majora ſperamus & exquiſitiora contenti vivamus *Ludovici Iacobi à S. Carolo* Cabilonenſis Carmelitæ hiſtorica bibliothecarum totius orbis qualicunque deſignatione, *Michaelis Neandri* abbatis Ilfeldenſis de bibliothecis deperditis & noviter inſtructis libello, *Iuſti Lipſii* Salanæ quondam noſtrique ordinis profeſſoris de bibliothecis ſyntagmate, *Claudii Clementis* bibliothecæ tam privatæ quam publicæ inſtructione, *Gabriëlis Naudæi* de inſtruenda bibliotheca erudito commentario, *Philippi Labbei* Jeſuitæ Biturici bibliotheca manuſcriptorum nova. *Ioh. Henrici Hottingeri* bibliothecarii quadripartiti parte priori, *Theopili Spizelii* eccleſiaſtæ Auguſtani ſacris bibliothecarum illuſtrium arcanis retectis, *Iohannis Lomeieri* eccleſiæ Deutechomienſis Paſtoris de bibliothecis libro ſingulari. Quibus adderem *Iodoci à Dudinck*, canonici Reeſenſis Apollinis & Palladis palatium, ſive præcipuarum mundi veteris novique ſeculi bibliothecarum deſignationem ab Auberto Miræo, Philippo Labbeo aliisque memoratam; modo certo conſtaret, hunc librum in dias luminis

minis oras unquam prodiiſſe. Neque non huic inſtituto inſerviverint *Andreas Schottus*, rarioris doctrinæ Ieſuita Antverpianus, & paulo ante laudatus Carmelitanus monachus *Ludovicus Iacobi*, itemque Thomas Jameſius, quorum primus Hiſpaniæ, alter Galliæ, poſtremus Angliæ bibliothecas recenſuerunt. Nec parum denique momenti ad hoc opus contulerint, qui in deſcribenda celebrandave ſingulari aliqua bibliotheca ingenii ac eloquii vires exſeruerunt. In iis habeo laudare *Aubertum Miræum*, qui Antverpianæ bibliothecæ primordia, *Georgium Hamaxurgum*, qui Auguſtanæ encomium publicarunt. Sic Auguſta VVolfferbytana duos nacta eſt præcones omni laude majores, *Iohannem Schvvartzkopfium Cancellarium* & *Hermannum Conringium* in admirandis hujus bibliothecæ occupatum. Bononienſis academiæ bibliothecas ſub Ovidii Montalbani perſona illuſtravit *Antonius Bumaldus*: Deſſavienſis Anhaltinæ ſciagraphiam propoſuit *Henricus Kitſchius*. Pro Gandavenſis bibliothecæ inſtitutione ad magiſtratum & proceres ejus urbis paræneticam orationem habuit *Antonius Sanderus*. Hamburgenſis anno præſentis ſeculi primo & quinquageſimo ſtructæ memoria neſcio quo auctore prodiit. Heidelbergenſem heu quondam Palatinam celebravit *Hieronymus Boſſius*. In Lipſienſi commendanda non ita pridem Cl. Prof. *Ioachimi Felleri* ſvada fuit occupata. Mediolanenſem Ambroſianam pro meritis extulere *Marcus Antonius Majoragius*, & *Erycius Puteanus*. Norimbergenſis ſenatoriæ ſtructores & curatores, itemque rariora & ſcitu digna duabus orationibus explicuit magni nominis, eximiæq; pietatis heologus *Iohannes Saubertus*: cujus veſtigia premere voluiſſe viſus eſt Ioh. Iacobus Leibnitzius celeberrimi theologi Norimbergenſis Iacobi Leibnitzii filius, qui ejusdem bibliothecæ memorabilia, hoc eſt, naturæ admiranda, ingenii humani artificia & antiquitatis monumenta oratione Altorfi habita orbi erudito expoſuit. De Patavinis

& Ve-

& Venetis publicis privatisque bibliothecis ſingularibus libris egit *Iacobus Philippus Thomaſinus*, epiſcopus Aemonienſis; modo non & hic quoque Iohannis Rhodii Dani calamum agnoveris, quo Thomaſinum eſſe uſum rumore forte non usque adeo incerto circumfertur. Scorialenſem ſive ut vulgo vocant, Eſcurialenſem Laurentianam à Philippo II. Hiſpaniæ monarcha incredibili cum magnificentia, perinde ac ipſum monaſterium conditam *Iohannes Baptiſta Cardona* epiſcopus Dertoſanus ſummis laudibus extulit. Vaticana papalis trigam illuſtrium nacta eſt ſcriptorum, *Mutium Panſam*, *Angelum Roccham*, epiſcopum Taguſtæ & pontificii ſacrarii præfectum, *Onuphrium Panvinium*, Veronenſem ordinis Eremitarum ſtupendæ eruditionis virum: ejusdemque laudes ligato ſermone cecinit *Guilielmus Plancus*. Et qui primo loco erat nominandus, ἀπάνυ *Lambecius* Leopoldo cæſari à conſiliis & bibliothecæ Vindobonenſi, cujus dum octo volumina publicavit, non illam modo bibliothecam, ſed univerſam rem literariam mirifice illuſtravit. Denique *Vratislavienſis* Eliſabethanæ encænia auſpiciis ſenatus adornata oratione eleganti Iohannes Gebhardus, Mariæ Magdaleneam auſpicali ſermone patriæ patribus commendavit *Chriſtophorus Colerus*.

Ceterum uti hæc & alia hujus generis ſcripta lectiſſima multum fecerint ad univerſalem bibliothecarum hiſtoriam; ita cum majori totius encyclopædiæ literariæ conjunctum foret fructu, ſi univerſalis librorum in plerisque Europæ bibliothecis latentium præſertim vero manuſcriptorum index conficeretur, cujus ſpecimen in principis literarum particula priori nobis dedit θεοφιλέσταθος Spizelius: ac locupletius ab Hanniſio Auguſtæ bibliothecæ à ſereniſſimo Augusti filio ſucceſſore Rudolpho Augusto ex plusquam centum bibliothecarum catalogis confecto, in tuis magne Struvi ædibus una cum honoratiſſimo collega Domino Wedelio ante hoc quadriennium vidimus. Et vero quoniam tot bibliotheca-

rum catalogi publicæ jam luci sunt expositi, non adeo grave fuerit si quis id unice ageret per anni vertentis spatium tantam operam conficere. Habemus enim catalogos bibliothecæ Amstelodamensis *Augustanæ* ab Elia Ehingero & Antonio Reisero bibliothecariis *Basileensis* MSS. theologicorum à celeberrimo Buxtorfio concinnatum Spizeliique arcanis adscriptum, Cæsareæ Vindobonensem à *Possevino* in apparatu Possevviniano, sed nunc multis modis perfectiorem à Lambecio condi cœptam, *Cantabrigiensis* à Thoma Iamesio editos. *Franequeranæ* indicē nobis dedit annus hujus seculi sextus & quinquagesimus. Florentinæ MSSa primum Henricus Ernstius, sed accuratius Wilhelmus Langius enumeravit. Francofurtensis academiæ ante biennium excudi fecit Christianus Becmannus, celebris professor historicus. Ingolstadiensis academiæ Christianus Fergius, Lipsiensis Ioachimus Fellerus, Lovaniensis collegii Franciscus Sweertius recensuerunt. Lugduno-Batavæ catalogus, pro augmento bibliothecæ sæpius adspexit lucem. Monachiensis obstetricantem manum Georgii Herwarti ab Hohenburg, cancellarii Bavarici Oxoniensis Jamesii expertus est. Ultrajectinum verbi divini ministris debemus: ac denuo is prodiit ante hoc decennium: ipsam tamen bibliothecam Parisios avectam memorant.

Verum dum tot præclari viri in suæ gentis, urbis vel academiæ bibliothecis laudandis & ornandis fuere occupati, admiratio me subit non exigua, qui nemo hactenus bibliothecam nostram academicam librorum tam MSS. quam typis commissorum copia, delectu, ordine, imaginum tam principum quam professorum multitudine ac elegantia, situ commoditate aliisque dotibus florentissimam celebraverit. Aequum igitur judicavi hanc provinciam in me suscipere, atque in hac solenni panegyri non de omnibus quidem & singulis bibliothecæ nostræ ornamentis, sed de origine incre-

crementis ex præsenti statu agere. Hanc orationem meam ut Auditores omnium ordinum honoratissimi benevole excipiant ea qua par est animi observantia, majorem in modum precor ac contendo.

Primas bibliothecæ nostræ academicæ origines si respicimus, ipsam academiam antiquitate sua vincunt. Non enim nata primum Ienæ bibliotheca, sed crevit, sed succrevit, & in præsentem florem assurrexit. Enimvero condita primum fuit VVittebergæ à Sereniſſimo Friderico Saxone electore. Sapientis elogium summo jure merito, qui non modo in Germania conquiri fecit libros rariores, sed & in ipsa Italia ad pervestigandos manuscriptos codices doctorum hominum opera usus est: secutus in hoc studio Lucullum Corneliumque Sullam, qui omni opum vi ex Græcia requisitam variorum librorum gazam Romam traduxerunt, ac ibidem eleganti ordine dispositam publicarunt. Non cessit in eo fratri Sereniſſimus Johannes elector, qui quod sapientissimus frater cœperat, pro virili continuare nisus multos eosdemque selectos libros adjecit bibliothecæ, eoque & nomini suo gloriam majorem, & VVittebergensi academiæ singularem splendorem conciliavit. Nec patre nec patruo in amore literarum minor erat Johannes Fridericus elector, qui, ut ipse ad virtutem & doctrinam principe dignam à teneris educatus, ita rem librariam mirifice æstimavit, ac bibliothecam VVittebergensem insigni accessione auxit, & ut posteris illustri præluceret exemplo, plerorumque codicum involucro à bibliopego imprimi fecit imaginem suam, vel eandem typo expressam æneo ligneove in prima fronte librorum apparere voluit. Sic igitur cum ipso athenæo VVittebergensi ad sidera caput extollebat bibliotheca tanti mæcenatis nixa munificentia, accedente Georgii Spalatini in conquirendis disponendisque libris (nam hoc munus Sereniſſ. elector eidem singulariter demandaverat)

verat) ſtudio exquiſito, jamque ad eam viſendam non ex vicinia modo, ſed ex diſſitis locis multi confluebant. Verum enim vero cum anno ſuperioris ſeculi ſeptimo & quadrageſimo magnanimus ille heros poſt infauſtum Mülbergenſe prælium in victoris veniſſet poteſtatem, perinde ut de vita, ſic de fortunis & in his de librario theſauro videbatur actum; modo non precibus ſuis à Carolo V. impetraſſet, ut is maneret filiorum trigæ, atque ex Saxonia in Thuringiam transferretur. Itaque ne rapacibus Hiſpanorum manibus redderetur obnoxius, ſed illibatus intactusque conſervaretur, nullis princeps pepercit ſumtibus, eoque donariis delinitos tum in his tum aliis faciles ſenſit milites, ſic ut brevi poſt ſalvus & incolumis in hoc Ienenſe oppidum perveniret. Quod tamen perfidiam & proditionem non inſolentes illa tempeſtate timeret non ſui amplius arbitrii, ſed alieno ſubjectus imperio prudentiſſimus heros, in doliis aliquamdiu in certa crypta recondi voluit libros, melius tamen fatum expertos ac Ariſtotelici, qui per Neleum Scepſin translati ac dein ſub terra defoſſi cum tandem in lucem revocarentur, à ſitu ſqualore & tineis adeo fuere deformati & exeſi, ut nec acutiſſimorum grammaticorum ſolertia iisdem reſtituendis ſufficeret. Neque enim diuturna electoralium librorum in illo carcere fuit mora, majorque adeo eorum quam ipſius domini eluxit fortuna, quem in quintum annum per varios caſus, per maxima graviſſimarum rerum diſcrimina in Caroli V. manibus fuiſſe novimus. Et ſane in illo rerum ſtatu cum plus de evangelii quam de ſua ſalute ſollicitus ad eandem ſervandam nova academia opus fore credens per illuſtre pædagogium ad majora niteretur, in hujus primo uſum bibliothecam à filiis publicari voluit: id quod factum menſe Iunio anni octavi & quadrageſimi, rem præ ceteris promovente Georgio Pontano cancellario, ſedulo id urgente Johanne Stigelio inter primos pædagogii profeſſores

poe-

poeta ac oratore nobilisſimo. Cura autem bibliothecæ heic loci prima ex decreto Serenisſimorum principum demandata fuit viro pio & docto Georgio Rorario, cujus ſingulare ſtudium tam in hac ſparta, quam in colligendis B. Lutheri ſcriptis & in certos tomos diſtinguendis non parum inclaruit. Manſit in hoc rerum ſtatu ad conditam usque academiam, dum anno à nato ſervatore octavo & quinquageſimo ſupra quingenteſimum milleſimum à Serenisſimis ducibus Iohanne Friderico II. ſeniore, Iohanne VVilhelmo & Iohanne Friderico Iuniore fratribus conjunctiſſimis magnifico cum apparatu inauguratur, atque novæ huic academiæ, quæ hactenus in uſum pædagogii ceſſerat, bibliotheca dicatur atque conſecratur. Interea non contemnendus licet in illa variorum rariorumque librorum eſſet numerus, majori tamen augmento in docentium diſcentiumq; gratiam opus erat: quam ſubinde etiam accepit tum per collatitiam à novellis ſtudioſis pecuniam, tum per privatorum liberalitatem, tum inprimis per ſereniſſimorum academiæ nutritorum munificentiam. Hujus quandoquidem prima jecit fundamenta ſereniſſimus princeps IOHANNES VVILHELMUS, qui paulo ante beatum ex hac vita exceſſum quinquaginta imperialium ſummam in uſum bibliothecæ quotannis perſolvendam conſtituit; æquum eſt, ut hujus decreti ipſiusque principis memoria apud nos annet ac perennet. Nec minores debemus gratias ſerenisſimis ſucceſſoribus, qui hoc legatum non modo confirmarunt, ſed nova inſuper acceſſione liberaliſime auxerunt. Macti eſtote optimi maximique principes incomparabili in academiam ac univerſam remp. literariam beneficio, cujus memoriam quamdiu Salanæ academiæ, quamdiu literis, quamdiu rei librariæ ullum erit nomen, nulla delebit oblivio, nulla temporum exſtinguet injuria. Et vero ingratiſſimi eſſemus mortalium, niſi magnitudinem ducalis clementiæ modis omnibus cele-

braremus; quippe quæ non modo insignem librorum in variis artibus ac disciplinis numerum peperit, sed tandem selectissimam præstantissimamque Bosianam publicæ bibliothecæ adjecit. Quantus B. noster Bosius vir omnes omnium laudes supergressus librorum fuerit helluo, non nostra tantum novit academia, sed universus orbis eruditus: ut adeo mirum non sit Bosianam bibliothecam, quæ in privati cum esset manibus, magnam accepisset nominis famam, nunc quando in publicum delata splendidissimumque locum, tot spectatores tot admiratores adipisci: sic ut plerorumque recens adventantium quæstio de bibliotheca Bosiana sit. Quod dum faciunt, atque libros Bosianos in suum convertunt commodum, non possunt non simul sereniſſimorum academiæ nutritorum incomparabilem beneficentiam agnoscere ac suo æstimare pretio. Neque tamen silentio involvenda sereniſſimorum Saxoniæ ducum FRIDERICI VVILHELMI ERNESTIQUE Pii dextra munifica, quarum altera megalandri Lutheri tomos Altenburgi noviter excusos, & pretiose compactos, alter bibliorum polyglottorum Anglicanorum opus intercedente per Bronchorstium theologum celeberrimo collega nostro Frischmuthio bibliothecæ academicæ dicarunt. Huc accedit sereniſſimi ducis VVILHELMI nunquam satis deprædicanda liberalitas, qui imagines fundatorum, ut & serenissimorum filiorum BERNHARDI & FRIDERICI magnificentissimorum academiæ rectorum imagines ex serico affabre confectas aureisque limbis distinctas tanquam singulare affectus sui monimentum bibliothecæ dedicavit.

Sed tempus me admonet, ad privatorum ut accedam liberalitatem. Neque tamen hic in iis recensendis occupabor, qui unum vel alterum librum rariorem licet inventu ac proinde pretio cariorem bibliothecæ donarunt, quos inter B. Hänerum facultatis nostræ adjunctum postremum fuisse memi-

memini. Sed unice memoriam refricabo magni illius jure consulti, nec minoris politici Dominici Arumæi, nobili genere Frisio sati, qui anno præsentis seculi septimo & trigesimo bibliothecam suam multitudine ac delectu librorum florentissimam bibliothecæ publicæ ultimis testamenti tabulis legavit, eoque ut equidem existimo, non minus immortalitati nominis sui, quam scriptorum à se editorum multitudine & præstantia consuluit. Exemplum vir magnus hac in re secutus est aliorum jure consultorum excellentissimorum, *Didaci Covarruviæ*, qui Madritensi scholæ S. Salvatoris, *Ferdinandi Nonii*, qui Salmanticensi academiæ, *Nicolai Bocrii*, qui senatui Burdegalensi, *Conradi Heresbachii*, qui civitati Vesalienſi, Josiæ Simleri, qui Argentinensi, Georgii Eberlini, qui Helmstadiensi academiis bibliothecas suas consecrarunt. Id quidem impense habemus dolere ante in publicum quam transferetur harpyarum nescio quorum rapaces sensisse ungues, sic ut nonnulla majoris momenti opera juridica vel capite vel calce destituta de vi ac injuria conquerantur. At quicquid sit de eo, aut ego impense fallor, aut resarcient hunc defectum singulorum patrum academiæ donaria, qui non tam decretorum visitationis, quam sui decoris, existimationis, gloriæ, publicique commodi memores liberalitatis suæ monimenta publice facient exstare, ac eo quoque nomine æternitatis peplo inscribentur. Tuum exemplum, magnifice domine rector (certam enim te de eo spem feciſſe accepi) illustris noster Struvius aliique professorum sequentur, ac vere tum locum habebit dictum tam vetustate quam veritate tritum: bonus dux bonos reddet comites. Quin porro venerandi academiæ patres gravissima auctoritate vestra accedente idem sint facturi doctores novitii, aut certe aliquam symbolam in hunc usum collaturi, eo dubitaverim minus, quo major existimatio ex publici, quam privati cura colligatur.

Quod ad præſentem bibliothecæ ſtatum attinet, longe nunc ac olim florentiorem eſſe, poſtquam Boſiana acceſſit gaza, unicuique perſpectum arbitror: nec minus externa facies longe reddita ſplendidior, ex quo ingentibus pulpitis, quæ totam implebant aream, ac quibus catenis alligati erant codices ſublatis, undique foruli in ſublime ſurgentes ſunt ſuffecti, tum quæ ante diſperſa erant manuſcripta in certum locum recondita; itemque inter librorum, quæ mediam ſecant aream repoſitoria menſæ ſunt diſpoſitæ, tum bibliothecarii, tum illorum uſibus inſervientes, qui legendo & excerpendo volunt occupari. Iam libri quoque Medici antea in obſcuriori camera conditi nunc in apricum deducti liberiori fruuntur aere, ne valetudinis conſervandæ ac redintegrandæ doctores ipſi contraherent morbum ſqualidoque ſitu conficerentur. Jam igitur vere floret, vere viget, bibliotheca noſtra academica, multasque Germanicarum academiarum non æquat modo, ſed plerasque longo poſt ſe relinquit intervallo. Neque etiam in bibliothecario quicquam habemus deſiderare, quippe cujus integritatem, fidem, & indefeſſum in ornanda bibliotheca ſtudium magno mactarem elogio, niſi quis putaret me affinitatis vinculo aliquid tribuere. Faxit modo Deus, ut tandem tantis ſudoribus æqua reſpondeant præmia, eoque is majori cum animi voluptate in indicibus ordinis, auctorum materiarumque habeat elaborare. Et in his quidem una cum clariſſimo collega Schubarto non pigrabor manum admovere operi, aliaque ad augendam ac illuſtrandam bibliothecam pertinentia comminiſci: quibus ſucceſſibus, ſi Deus, ſi ſereniſſimi nutritores, ſi venerandi patres academiæ faverint, tantum brevi fructum ex bibliotheca collectum iri ſpero, cui celebrando nec mea nec diſertiſſimi oratoris eloquentia par futura ſit. Quod reliquum eſt, ſupremum numen devotis precibus veneror, velit una cum univerſa academia ocellum quoque academiæ bibliothecam ſervare, & caſus omnes ac pericula ab eadem avertere, ſimulque animos ſereniſſimorum Saxoniæ ducum porro excitare, ut majorum veſtigia ſecuti in bibliotheca ornanda & augenda partem gloriæ ducalis poſitam exiſtiment; nec minus conſcripti Academiæ patres mente promta ac benevola in commune conferant, quæ ad bibliothecæ ac bibliothecarii uſum & commoda pertinuerint.

JVLII

IVLII PFLVGK,
Equitis Saxonici,

EPISTOLA

AD

PERILLVSTREM ATQVE GENEROSISSIMVM

VITVM LVDOVICVM
à SECKENDORFF

VIRVM DE VTRAQVE REPVBLICA
MERITISSIMVM,

præter fata bibliothecæ Budenſis,

librorum quoque in ultima expugnatione repertorum catalogum exhibens.

reddidiſti, & nunc demum non tuo ipſius ſolum, ſed totius etiam orbis eruditi judicio, recte vivere incipis. Vivis hactenus, ſine turbis, muſis vacans per aliquot annos, utque in poſterum per ſeptem ſeptenos annos quam felicisſime vivas, una mecum totus literarum orbis etiam atque etiam exoptat. Atque ſic habebunt literati ornamentum pretioſum, muſarum cultores aſylum certiſſimum, quo conamina ſua tuto deferre poterunt. Inter hos quidem primus nequaquam ſum, nec tamen poſtremus etiam ero, dum hanc qualemcunque de bibliotheca Budenſi ſcriptionem, per varia temporum intervalla exercitii gratia conſarcinatam, tanquam primitias animi devoti, nomini tuo, & in eo immortalitati ſacratam eſſe jubeo. Superiori anno, eodemque menſe, quo nunc hæc ſcribo, tibi jam deſtinatus erat hic labor. Sed ecce ſubito rumor ad nos delatus, clariſſimum Tollium meditari quædam de bibliotheca Budenſi, manum de tabula eſſe juſſit, niſi noctuas Athenas mittere, & poſt Homerum iliada ſcribere voluiſſem. Cum autem Vir ille celeberrimus ſcripto ſuo orbem literarium nondum beaverit, ſchedas ferme disjectas, iterum per otium conquiſivi, & melioribus, quæ ab aliis ſperamus, præmittere volui. Aliorum quoque lectione dignas judicabo, ſi tu illarum non modo lector, ſed & cenſor fueris. Erunt autem tractationis meæ capita, de bibliothecæ Budenſis fundatore, loco, modo acquirendi, librorum multitudine, fatis, & præcipue fatorum ultimo, deque ipſis illius reliquiis, quas tumultuarius catalogus exhibebit.

Fuit ergo inclyti illius Muſarum delitii author Matthias Corvinus, & bello & pace ſumme clarus, filius Joh. Hunniadis Corvini, quorum cognominum primum accepit ab arce Hunniadum in extrema Tranſylvaniæ ora; alterum vero à vico quo natus eſt, ut communis hactenus opinio tulit. Licet auctor Anonymus Sinæ & Europæ c. XXXVII. cognogno-

gnomen hoc inditum fuisse putet à corvo, qui annulum sponsalitium matri ejus eripuerit, sagittisque impetitus, iterum dimiserit, qua velut nota natalitia Matthias postmodum à patre Ioanne Hunniade fuerit agnitus. Cujus rei fidem fecit ipse, Corvini cognomine adoptato, & nummo aureo cuso, (quem corvinum, vulgo Raber-Ducaten vocant) cujus clypeo inseruit corvum rostro annulum tenentem. Accessit superstitio popularis, ut in difficillimo nisu laborantibus, per Hungariam hodieque applicentur ducati illi ad crura, vulgoque creduntur opitulari multum. Sed quicquid de eo sit, Matthias, postquam fratri Ladislao caput ense rotatum, captus, Viennam deductus, & in vincula conjectus fuit, tanquam conscius insidiarum, quæ regi pararentur. Mater vero hujus, heroici certe animi fœmina, & fletibus lamentisque fœmineis haud indulgens, arma contra regem sumpsit, Turcarum etiam auxilium, nisi res procerum interventu composita fuisset, imploratura. Sed priusquam Matthias noster ex pacto dimitteretur, rex subita morte extinctus, anno CIↃ CCCC LVII. noster Pragam migravit, quem Georgius Podiebradius gubernator in custodiam recepit. Interim Hungari avorum Corvini nostri, optime semper de Hungaria meritorum, memores, instinctu potissimum Michaelis Zylagii avunculi, regem elegegerunt: & numeratis Georgio quinquaginta millibus aureorum redimunt, qui etiam filiam suam ei desponder, qua extincta, aliam thori ac regni sociam sibi adjunxit Beatricem Aragoniam, Ferdinandi regis Siciliæ filiam, ex qua nullos liberos suscepit. Itaque noster solenni pompa Alba Regali anno CIↃ CCCC LXIV. coronatus, unctus atque proclamatus, ita se regem præstitit, ut Mahumetes II. ob virtutem felicitatemque bellicam, inter christianos potentes, eum solum principis nomine censuerit dignum. Neque enim eo regnante deerat regno consilium, musis asylum, stipendia militi-

litibus, clementia ſubditis, ſolatium deſertis. Et vero jam ineunte juventa ſtatim pium, bonum, felixque ingenium Hungariæ ſpopondit, ac talem belli & pacis arte clarum futurum regem, qualem antea cognitum habebant. Imo adhuc adoleſcentulus auditis aliorum fortibus & præclaris factis, adeo accenſus fuiſſe dicitur, ut exultim tripudians, quaſi de animi poteſtate exierit, ac manuum pedumque applauſu virtutis ſtimulos teſtatus. Præcipuam tamen laudem apud poſteritatem ei peperit cognitio, admiratioque doctrinarum omnis generis, & ſingulare in his propagandi ſtudium: delectatus maxime hiſtoriarum cognitione, quas ex græca lingua multas in latinam transfundi curavit, ſui uſus cauſa. Didicit ſtudioſe multa de ſtellarum motibus, Doctos inprimis Mathematum peritos, & Poetas ad faſtigium ampliſſimorum honorum eveixt. Præ cæteris autem Joh. Regiomontanum tanti fecit, ut crebro eum eruditorum colloquiorum cauſa, menſæ contubernio adhibuerit. Hinc ingenti ſumptu ampliſſimam comparavit bibliothecam, ad quam exornandam multas fecit impenſas. Non ignorabat etiam prudentiſſimus ille rex, ſplendorem quoque regem decere, ut fulgeat majeſtas à ſuperis conſtituta terrenis ornamentis: hinc magnifica extruxit & ſeculo iſto ſtupenda „ædificia, quo de audiamus Antonium Bonfinium Rer. „Hung. decad. 4. l. 7. pag. 631. fol. Budenſem arcem, inquit, „ubi præter magnifica Sigismundi ædificia nihil ſpectatione „dignum erat, adorſus eſt: retractiorem aulam nimis exor„navit: quippe qui à Danubii parte ædiculam ſtatuit hy„draulicisque organis, item ſacro fonte duplici marmoreo „& argenteo decoravit: collegium adjecit honeſtiſſimum ſacerdotum: regnis autem ſuis, orbique literario ſidus hoc „commodatum ſaltem fuit, hinc poſt XXX. regni ſui annos mortalibus iterum apoplexia ſubductus, cœlo animam, teeræ corpus reliquit ſub hoc epithaphio:

Marmore hoc Matthias Corvinus ſitus eſt, quem facta Deum oſtendunt, fata fuiſſe hominem.

Quod cum Maximilianus I. legerit, fleviſſe dicitur. Ubi tamen non negamus circa mortis genus, locumque ſepulturæ auctores variare: dum in apparatu contra Turcas iracundia ob comeſtos à puero ficus extinctum eſſe volunt anno clɔ ɔcɔc xc. quo die, omnes, qui Budæ erant leones ſubito interierint. Præterea Alba Regali ſepultum eſſe dicunt, & illi Antonium Thebaldium hoc epitaphium condidiſſe:

Corvini brevis hæc urna eſt, quem magna fatentur
Fata fuiſſe hominem, facta fuiſſe Deum.

Fundator itaque bibliothecæ noſtræ divus ille rex fuit; cui locum quoque regium dicavit. Exemplo enim veterum bibliothecam illam ſplendidam in templo conſecravit amœniſſimo: de qua Alexander Braſſicanus ICtus, qui VVilhelmi ex Eberſtein cæſarei legati comes fuit, & beneficio ſereniſſimæ & inculpatiſſimæ reginæ Mariæ inſpiciendæ bibliothecæ poteſtatem accepit, ita in epiſtola ad epiſc. Au„guſtenſem, Chriſtoph. à Stadion inquit. Quanto rectius „illi veteres, qui ut ſtudia redderent ornatiora, ut libros „facerent commendabiliores, ut doctorum cultum atque „venerationem augerent, ut oſtenderent tandem literas „nil aliud eſſe, quam rem ſacram, bibliothecis paſſim non „alibi, quam in deorum immortalium templis locum da„bant. Nam Aſinius Pollio primus Romæ bibliothecam „in Herculis fano dedicavit. Hanc laudem patrum no„ſtrorum memoria, ſi non ſuperavit, æquavit tamen in„clytus ille ac nunquam ſatis laudatus Pannoniæ rex Mat„thias, qui bibliothecam ſuam, quam ex omni genere con„fertiſſimam inſtruxerat, in amœniſſimo etiam templo „conſecravit. Hæc mihi bibliotheca manum hic injicit, „oratque ſupplex, ut tibi, quæ jam nihil niſi vanum no-

„men

„men obtinuit, priſtinam illam dignitatem atque celebri-
„tatem ſuam, qua nulli concedebat, exponam. Quam-
„obrem optime princeps, id quod magnopere ad te per-
„tinet, libenter hæc ad te ſcripta lege, atque hanc meam
„expromptam in te colendo ac obſervando voluntatem
æqui bonique facies. Et ne doctus hic vir deſcribendo ac
tantum theſaurum nimium laudando nauſeam faciat, mul-
„ta paucis comprehendens ſcribit. Tunc certe non in
„bibliotheca, ſed in Iovis gremio, quod ajunt, mihi eſſe
videbar. Non enim libris tantum, ſed & aliis rebus illu-
ſtrem bibliothecam decentibus ornata erat: hinc conſpici-
ebantur omnis generis inſtrumenta geometrica, hinc glo-
bi de quorum uno Illuſtris Ranzovius in catalogo excellen-
tium Aſtrologorum non protrita narrat anno cIↃ ccccc
LXXII. poſtquam tot annis à devaſtatione hujus bibliothecæ
effluxiſſent, Davidem Ungnadium legatum, ex adverſo ja-
nuæ inter rudera inveniſſe globum cœleſtem, tenentibus
eum duobus angelis, compoſitum ad tempus electionis
regis, his verſibus ſubjectis:

Cum rex Matthias ſuſcepit ſceptra Bohemæ
Gentis, talis erat lucida forma poli.

Loci hujus quoque mentionem facit Bonfinius his verbis:
„collegium adjecit honeſtiſſimum ſacerdotum: ſupra bi-
„bliothecam ſtatuit mira utrinque linguæ fœcunditate
„completam: cultus quoque librorum luxorioſiſſimus. An-
„te hanc cubiculum eſt in abſida curvatum, ubi cœlum uni-
„verſum ſuſcipere licet, quo ſpectat auſtrum. In illum
igitur locum regiis ſumptibus Matthias congeſſit ex omni-
bus totius orbis angulis immenſum librorum theſaurum
tam Mſſ. chartaceorum & membranaceorum, quam im-
preſſorum. Cum enim ars typographica eo tempore
nondum utique tantas radices egiſſet, ut ardentiſſimis illis
& vere regiis votis ſatisfaceret; hinc paſſim ſcribas alebat,

quorum beneficio exſtructiſſimam hanc locupletavit bibliothecam. Qua de re teſtatur Braſſicanus ICtus loco ſu„pra laudato. Tantum erat hic antiquorum Græcorum „ſimul & Hebræorum voluminum, quæ Matthias ille rex „capta jam Conſtantinopoli, everſisque aliis ampliſſimis „Græciæ urbibus, ex media Græcia inæſtimandis ſumti„bus coëmerat, ac tanquam mancipia ex barbarorum ca„ſtris atque compedibus receperat. Tantum erat hic la„tinorum librorum & veterum & recentiorum (procul ta„men ablegatis omnibus ſophiſticis) ut nusquam alibi, „quod ego quidem ſciam: ſiquidem Matthias rex, (quem „recte librorum heluonem appellaveris) quatuor inſignes „librarios Florentiæ magnis alebat impendiis, quorum is „unus & unicus labor erat, ut omnes melioris notæ au„ctores & græcos & latinos, quos commodum ex Græ„cis habere non poterat exſcriberent. Ibi & illud notaſſe jucundum ſit, in fronte cujusvis libri inſignia Corvini gentilitia fuiſſe depicta, in quorum medio cernitur corvus niger, roſtro tenens annulum aureum. Quod factum ab aliarum bibliothecarum inſtitutis alienum non eſt, cum vel inſignia ſuperiorum vel imagines, vel utrumque ſimul prima ſtatim pagina referant. Sic in bibliotheca academiæ Ienenſis plurimis libris imago electoris Ioh. Friderici cum inſignibus exhibetur his ſubjectis verſibus:

Et patris, & patrui famam virtutibus æquat,
Qui patris & patrui nobile nomen habet.
Adſerit invicto divino pectore verbum,
Et Muſas omni dexteritate juvat.
Hinc etiam ad promptos ſtudiorum contulit uſus,
Inſpicis hoc præſens quod modo, Lector, opus.

Ex his recenſitis in aprico eſt, quantus numerus librorum, quantusque theſaurus in hac bibliotheca fuerit reſervatus. Et quid mirum, ſi, prout Braſſicanus inquit, Iovis gremium

um fuit bibliotheca Corviniana, quod profecto magnus ille numerus inter alia splendidum fecit. De ingenti aliquo numero testatur Brassicanus oculatus testis. Vidimus isthic, „id quod syllabo nostro recensere possum, & oculata fide, „vidimus integrum Hyperiden cum locupletissimis scho„liis librum multis etiam censibus redimendum. Vidimus „grandem librum apostolicorum canonum, opus incom„parabile; vidimus Theodoretum Cyrensem in Psalterium „integrum. Vidimus Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Na„zianzeni, Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Theophanis, „Dorothei infinita opera. Vidimus Marcum monachum „cognomento Anachoretam. Omitto poëtas, oratores, „philosophos atque historicos, quorum hic immensam „vim inquirere licuisset. Vidimus authores Græcos innu„merabiles, infinitaque in poetas fere omnes commentaria, „nemini doctorum aut paucis omnino antea visa. Quis horum librorum determinatus numerus fuerit, hactenus invenire non potui. Ad minimum quinquaginta millia voluminum tam Mss. quam excusorum adfuisse, quidam asseverare volunt. Non exiguum illum extitisse vel ex eo colligere licebit, quod Bozmannus cardinalis ducenta millia nummorum imperialis monetæ pro illis frustra Turcis obtulerit.

„Sed quod longa series, multis laboribus multa Deum „indulgentia struxit, id unus dies spargit ac dissipat. Lon„gam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit; „hora momentumque temporis evertendis imperiis suffe„cere. Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, re„rumque nostrarum, si tam tarde perirent cuncta, quam „fiunt, nunc incrementa lente exeunt, festinatur in da„mnum. Nil privatim, nil publice stabile est, tam homi„num, quam urbium fata volvuntur. Sic Romanorum sapientissimus epistola XCI. ante oculos hanc incertam &

ticorum, medicorum, mathematicorum perdidit, quos inter etiam S. Auguſtinus reſervatus dicitur Mſſ. papæ Nicol. V. Bibliotheca poſtea a Sixto IV. aucta, ſub Clement. VII. miſerrime conflagravit cIↃ IↃ xxvII. Ioannes Langus bibliothecæ, qua ipſi, ut & omnibus eruditis vix quicquam aliud charius, bis fecit jacturam: primum Niſſæ incendio ſuborto: & deinde iterum aurigæ incuria, cui libros Viennam crediderat pervehendos. Furioſi anabaptiſtæ, omnes a Deo, ut putabant, docti, inſtinctu Matth. prophetæ præter ſacra biblia nullos exiſtimantes libros neceſſarios, monaſterii bibliothecam in aream delatam Vulcano tradidere. Sic Benedictina D. Petri in monte Blandinio ob Mſſ. famoſa direpta atque deperdita. Alia pulcherrima bibliotheca, in cœnobio Lozenſi, ferro & igne periit miſerrime. Eodem modo antiqua bibliotheca du Liege una cum S. Alberti reliquiis conflagravit. Vt taceam alias, inter quas certe famoſa Thomæ Bartholini bibliotheca annumeranda, de qua ad filios elegans diſſertatio extat. Quale fatum etiam habuere bibliotheca Conſtantinopolitana à Theodoſio juniore inſtructa, bibliotheca Epicuri, libri Protagoræ, Theſaurus Numæ, apparatus genealogicus ab Herode, & tandem Egberti Eboracenſis archiepiſcopi nunquam ſatis prædicanda. Magnæ certe hæ ſunt jacturæ, ſed iis fatis non comparandæ, quibus illuſtris & incomparabilis exagitata fuit bibliotheca Budenſis. Itaq; ut propoſito noſtro ſatisfaciamus, ordine procedemus, tataque maligna, quia non aliter poſſumus, deflebimus. Regnante igitur Ludovico II. ſive juniore Hungariæ & Bohemiæ rege Ladislai VI. & Annæ Aurelianenſis filio, qui prout ſine epidermide natus, ſic immature anno octavo coronatus, immature anno ætatis decimo regno præfectus, immature anno ætatis quinto decimo Mariæ, Caroli V. cæſaris ſorori, maritatus, immature anno XXI. denatus,

tus, immature thesaurum multis laboribus, impensis, atque cura paratum, intempestivo ardore juvenili perdidit. Sed perdidit! Liceat Brassicani verbis damnum hoc „irreparabile deflere. Sed, quod Cicero de conjuratis di„xit, vixerunt, quos jam sublatos esse, significare voluit, „ita recte diximus, nos vidisse, quippe, qui verear, ne pos„sim ullo unquam tempore videre aut consequi. Sed in„teriit ita, ut quoties illius mihi in mentem venit (venit „autem sæpissime) toties etiam Virgilianum hoc occurrat: „Quis talia fando temperet a lacrymis? mallem ego, sic „me Dii ament, hic omnium oblivisci, quam meminisse. O utinam, ignotum illum hominem, qui cum eo, antequam cum barbaris iret depugnandum, instanter petierat, de rebus gravissimis loqui, non recusasset, fortasse non a Solimanno ad Mohaziam victus, cum XXX. millibus cæsus, nec infelici fuga paludibus mersus, suam suosque ex imperio fugasset. Sed fata viam inveniunt, & quidem mala, malo medio. Rasum enim caput ad fatales vias & paludes Sacratum caput deduxit. Sic lætius nunquam regnum perditum, nec tristius unquam tam præclara destructa est bibliotheca. Cum enim, prout diximus, post infelicem Ludovici regis Hungariæ interitum Solymannus Turcarum tyrannus Budam occupasset, misere ea direpta, varieque distracta fuit. Nam per milites barbaros in miserabili hac occupatione regiæ Budæ & Pannoniæ direptione, rarissimi libri, hinc inde venditi & ablati fuerant. In hoc ipso tamen fato nonnullis eruditis hæc felicitas obtigit, ut ex hoc naufragio tabulas aliquas & fragmenta quasi colligerent: inter quos præcipuum merito locum obtinet doctrina ac meritis maximus Augerius Busbeckius, natione Belga, patria Cominæus, qui in duabus suis præcipuis legationibus (Constantinopolitana & Amasiana) jussu Ferdinandi I. Rom. regis ipsi commissis, increcre-

credibili diligentia & impensis, non tantum quicquid ex bibliotheca Corviniana librorum nanciſci potuit, diligentiſſime coëmit, verum etiam inſignem comparavit numerum variorum codicum Mſſ. quos ex Aſia & Græcia Europæa in Auſtriam reverſus, bibliothecæ cæſareæ Vindobonenſi, liberaliter conſecravit. Superſunt illi etiam nunc ſalvi & incolumes, (prout ex relatione magnif. domini conſiliarii & bibliothecarii cæſarei habemus) nec admiranda tantum vetuſtate ſua, & argumenti dignitate, verum etiam manu Busbeckiana, qua tanquam peculari ſuo charactere in fronte & calce ad hunc modum notati ſunt, *Augerius de Busbecke comparavit Conſtantinopoli.* Veſtigia Busbeckiana non ſine laude ſecutus eſt, vir cl. Iohannes Sambucus, Pannonius, Tyrnavienſis, qui Impp. Maximiliani II. & Rudolphi II. conſiliarius fuit, & hiſtoriographus, A. C. CIↃ IↃ LXXXIV. apoplexia Vindobonæ obiit. Hic enim pari liberalitate ſelectiſſimos quosque Græcos, Latinosque, partim ex bibliotheca Budenſi, hinc inde miſere diſtractos venalesque in Hungaria quocunque pretio coëmit, ſuæq; privatæ ſuppellectili librariæ inſeruit, quæ demum poſt ipſius mortem non minus exquiſitæ, quam numeroſæ bibliothecæ imperiali tota inſigni incremento acceſſit. Omnes fere ſuos libros propria manu ſignatos, hac formula notavit: *Iohannis Sambuci Pannonia-Tyrnavienſis.* Nec laude ſua defraudandus Iohannes Faber, epiſcopus Vindobonenſis ſive VViennenſis, qui diſſipatos huc atque illuc bibliothecæ Corvinianæ codices, quos requirere potuit, „coëmit, de quo Lambecium audiamus. Diſſipata autem „jam memorata bibliotheca, emptus eſt idem ille codex „(nimirum S. Ioann. Chryſoſtomi de ſacerdotio) a Ioh. Fa„bro, epiſcopo Vindobonenſi ſive VViennenſi, ut ex ſe„quenti atteſtationis formula, quæ in principio & fine „ejus etiam nunc extat, videre eſt. Emtus eſt ille liber

„per nos doctorem Ioannem Fabrum, episcopum VVien-
„nensem, & coadjutorem novæ civitatis, glorioſiſſimi &
„clementiſſimi Romanorum, Hungariæ, Bohemiæq; &c.
„regis ac archi-ducis Auſtriæ Ferdinandi pientiſſimi a
„consiliis & confeſſionibus: & quidem non ea pecunia,
„quæ ex proventibus & censibus episcopatus provenit,
„sed ea, quam ex honeſtiſſimis noſtris laboribus aliunde ac-
„cepimus. Proinde liberum eſt nobis dare & legare, cui
„voluerimus. Donamus igitur collegio noſtro apud S.
„Nicolaum, ordinamusque, ut ibi in perpetuum studen-
„tibus uſui ſit juxta ſtatuta & præſcripta noſtra. Actum
„Viennæ in episcopali curia I. die Septembr. anno Salv.
„MDXL. Cuſpinianum quoque laudat Lambecius com-
ment. de Bibl. Cæſ. l. 1. §. XXXVI. p. 33. quod ſub ipſo plu-
rimum creverit bibliotheca cæſarea accenſione manuſcri-
ptorum, partim ex monaſticis Auſtriacæ ditionis biblio-
thecis, partim vero ex reliquiis regiæ bibliothecæ Buden-
ſis. Sed non pigeat eorum librorum, qui ante receptam
Budam in cæſarea bibliotheca fuere, mentionem facere.

I. Primus eſt inter hiſtoricos Græcos manuſcriptor,
& complectitur Nicephori Caliſti octodecim priores libros
hiſtoriæ eccleſiaſticæ, elegantiſſimo charactere in mem-
brana exaratos, ea forma, quam vulgo in folio nuncu-
pant. Ex hoc codice, qui unicus forte in orbe terrarum
eſt, prodiit Iohannis Langi verſio latina hiſtoriæ eccleſi-
aſticæ Nicephori, ut ipſe Langus teſtatur in præfatione ad
Imp. Ferdinandum I. his verbis: Ipſe quidem, ſingularis
providentiæ divinæ beneficio, hoſce Nicephori libros,
Græco ſermone compoſitos, elegantiſſimeque manu de-
ſcriptos, temporibus noſtris reſervatos, ad nos perveniſſe
arbitor. Declarat hoc ſatis rei eventus. Quum namque
ante annos multos ex Budenſi regia bibliotheca, quam
Matthias Corv. Pannonum rex, pulcherrimam, græcis &
lati-

latinis libris refertam, inſtituit, ſurreptus, diu in privati hominis bonis fuiſſet: & poſtea per milites Turcicos in miſerabili caſu, & direptione Pannoniæ inter reliquam prædam Conſtantinopolim deportatus, in foro ibi ſcrutario veniſſet, per quam commode accidit, ut a chriſtiano, eodemque ſtudioſo homine emptus, poſtlimio in eandem Pannoniam ſit reverſus. Vbi tandem in dominium præclari & eruditi viri, Georgii Logi ICti, Vratislavienſium S. crucis & D. Ioannis eccleſiarum præpoſiti & canonici, majeſtatis tuæ conſiliarii, conceſſit: unde nobis majeſtate tua jubente ejus latine vertendi poteſtas eſt facta. Confer Lambec. comment. Bibl. Cæſ. lib. I. p. 108.

II. S. Iohannis Chryſoſtomi libri ſex περὶ ἱερωσύνης, ſive de ſacerdotio, ex græco ſermone in latinum translati, membranacei in folio minori, ſeu in quarto majori. Principium libri primi hujus verſionis latinæ, una cum titulo ſuo, hoc eſt: Incipit liber primus Dialogi S. Ioh. Chryſoſtomi Conſtantinopolitani epiſcopi & S. Baſilii Cæſarenſis epiſcopi, collegæ B. Gregorii Nazianzeni, qui intitulatur de dignitate ſacerdotali. Mihi quidem multi fuerunt, amici certi, & amicitiæ jura ſcientes, ſolideque ſervantes, unus autem ex his &c. Vid. Lamb. lib. II. l. c. VIII. §. LXXXI. p. 787.

III. Volumen membranaceum in quarto majori, quo continentur Politicorum Ariſtotelis libri octo, ex græca in latinam linguam eleganter translati à *Leonardo Aretino*, cum duplici præfatione, nempe ad Eugenium IV. pontificem maximum, & ad lectorem; in quarum poſteriori ipſe teſtatur, ſe jam ante etiam tranſtuliſſe libros Ethicorum ad Nicomachum. Curatum à Fabro epiſcop. Vid. Lamb. loco citato §. CCXXII. p. 846.

IV. Volumen membranaceum in quarto majori, regis Hungar. Matth. Corv., ad cujus bibliothecam Budenſem olim pertinuit, inſignibus exornatum, quo continentur quinque diverſa opuſcula; nempe

(I.) Marcellini, comitis Illyriciani, chronicon, cujus titulus & principium: Incipit proœmium Marcellini ſuper chronica ſua, & quæ ſequuntur, ex ipſius chronica deflorata ſunt. Poſt mirandum opus, quod à mundi fabrica usque in Conſtantinum principem, Euſebius Cæſarienſis &c. Definit autem ibi idem chronicon his verbis: Poſt aliquantos dies, mittitur in Africam Ioannes, & Artabanes evocatus præſentale accepit magiſterium. Sequitur deinde epilogus, cujus titulus & principium: Collectio omnium annorum iſtius chronicæ. Colliguntur omnes anni, usque in conſulatum Valentis ſextum &c.

(II.) Gennadii, Maſſilienſis presbyteri, liber de ſcriptoribus eccleſiaſticis, cujus titulus & principium: Incipit liber ſancti Gennadii, epiſcopi Maſſilienſis de illuſtribus viris. Iacobus cognomento ſapiens, Niſibonnæ nobilis Perſarum modo civitatis epiſcopus, &c.

(III.) Iſidori, Hiſpalenſis archiepiſcopi, liber de ſcriptoribus eccleſiaſticis, cujus titulus & principium: Beatiſſimi ac egregii viri, Iſidori, Hiſpalenſis archiepiſcopi, de illuſtribus viris liber. Incipit prologus ejusdem. Quamvis ſuperius plurimi veterum tractatorum &c.

(IV.) Ildefonſi, Toletani archiepiſcopi, liber de ſcriptoribus eccleſiaſticis cujus titulus & principium: Beatiſſimi Ildefonſi, Toletani civitatis archiepiſcopi, de illuſtribus viris liber. Incipit prologus ejusdem: Lege feliciter virorum annotationem illorum, quorum dictis & doctrinis ſancta eccleſia &c.

(V.) Iſidori, Hiſpalenſis archiepiſcopi, liber de ſanctis patribus, veteris & novi teſtamenti, cujus titulus & principium: Egregii viri Iſidori, Hiſpalenſis epiſcopi, de ortu, vita & obitu ſanctorum patrum, qui in vetere ac novo teſtamento virtutibus claruerunt, liber. Incipit prologus ejusdem Iſidori: Quorundam ſanctorum, nobiliſſimorum viro-

virorum ortus, vel gesta, cum genealogiis suis in hoc libello; emtum à Fabro. Lamb. loc. cit. §. CCLVII. p. 874.

V. Volumen membranaceum in folio, eleganter scriptum & exornatu n, quo continentur Plutarchi vitæ quædam parallelæ Illustrium virorum: nempe

Vita Alcibiadis, interprete Donato Acciaolo, & cum ejusd. præfatione ad clarisimum virum Petrum Medicem.

Vita Cariolani, interprete Guarino Veronensi.

Vita Philopœmenis, interprete Guarino Veronensi, & cum ejusdem præfatione ad C. Mandium Veronensem ICtum.

Vita Flaminii, interprete Guarino, & cum ejusdem præfat. ad Robertum Ruffum.

Vita Imperatoris Galbæ, interprete Francisco Philelpho & cum ejusd. præfat. ad illustrem principem Malatestum Novellum.

Vita Imperat. Ottonis, interprete Philelpho, & cum ejusd. præfat. ad Illustrem principem Malarestum Novellum.

Vita Pelopidæ, interprete Antonio Tudertino.

Vita M. Claudii Marcelli.

Vita Thesei, interprete Antonio Tudertino, & cum ejusdem præfat. ad cardinalem Capuanum, Tituli S. Marcelli.

Vita Romuli, & comparatio Romuli atque Thesei, interprete Francisco Philelpho.

Vita Niciæ & M. Crassi, interprete Alamanno Rinuccino & cum ejusd. præfation. ad Petrum Medicem, anno CIↃ CCCC LV.

Vita Agidis & Cleomenis, interprete Alamanno Rinuccino & cum ejusd. præf. ad cl. virum Petrum Medicem anno CIↃ CCCC LVIII.

Vita Tiberii & Caji Gracchorum.

Vita Themistoclis cum præfatione interpretis latini, cujus nomen ibi omissum est.

Vita Camilli, cum præfatione interpretis latini, cujus nomen ibi omiſſum eſt.

Vita Periclis cum præfatione interpretis anonymi.

Vita Fabii Maximi.

Vita Eumenis.

Vita Q. Sertorii, interprete Leonhardo Aretino, & cum ejusd. præfat. ad Antonium Luſcum.

Vita Solonis cum præfatione interpretis latini, cujus nomen ibi omiſſum eſt.

Vita Poplicolæ cum præfatione interpretis anonymi.

Vita Hannibalis & Scipionis cum præfatione interpretis latini ad Patrum Medicem. Vid. Lamb. l. c. §. CCLXXXVI. p. 942.

VI. Volumen membranaceum in folio, quo continentur P. Papini Statii Sylvarum l. V. In cujus voluminis principio legitur hæc inſcriptio: Liber eſt Iohannis Alexandri Brasſicani, philoſophi ac ICti, Budæ anno CIↃ IↃ XXV. die VI. Decembris. Lamb. l. c. §. CCCC XXVI. p. 985.

VII. Vigeſimus nonus codex manuſcriptus theologicus græcus & membranaceus pervetuſtus & optimæ notæ in quarto, conſtatque foliis trecentis. Continentur eò quatuor evangelia, incredibili elegantia, magnaque ex parte aureis literis ſcripta, nec ſolum imaginibus quatuor evangeliſtarum, ſed & aliis multis miniatis picturis, hiſtorias evangelicas repræſentantibus, mire exornata. Imperitia autem illius, qui veterem eorum compacturum renovavit, non mediocriter turbata & perperam transpoſita ſunt. Antiquitus enim priora duo hujus codicis folia fuerunt, quæ nunc perperam ſunt nonageſimum ſecundum & nonageſimum tertium. His quippe continetur Euſebii Pamphili, epiſcopi Cæſarienſis epiſtola ad Carpianum, qua præfatur in decem canones de conſonantia quatuor evangeliorum à ſe compoſitos. Scripta autem ea ibi eſt tota â capite uſque ad

calcem

calcem literis aureis, atque incipit hoc modo: Τῶν θείων καὶ ἁγίων τῶν τ Εὐαγγελιστῶν συμφωνία. Εὐσέβιος καρπιανῷ ἀγαπητῷ ἀδελφῷ ἐν Κυρίῳ χαίρειν. Ἀμμώνιος μὲν ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐπειδὴ ὡς εἰκὸς φιλοπονίαν. Huic igitur epiſtolæ ſine controverſia ſubjungendi ſunt ipſi illi canones Euſebiani, æque ac jam memorata epiſtola, literis aureis exarati, qui extant quatuor illis hujus codicis foliis, quæ nunc quidem ſunt ſeptimum, octavum, nonum & decimum, revera autem deberent eſſe tertium, quartum, quintum & ſextum. Finitis canonibus iſtis, ſequi primò debet hypotheſis, ſive argumentum S. Matth. quod extat fol. 97. & 98. Deinde recenſio capitum ejusdem evangelii, quæ extat fol. 94. & 95. Tertiò imago S. Matthæi, quæ extat fol. 99. Quartò denique ipſum S. Matth. evangelium, cum ampliſſimo commentario marginali, ex variis S. patribus aliisque ſcriptoribus eccleſiaſticis collecto, à fol. 100. usque ad fol. 169. Hinc porro ſimiliter ſequi debent evangel. duo ſecundum S. Marcum & S. Lucam, cum præfixis argumentis ſuis & capitibus, & cum adjuncto amplisſimo commentario marginali. Pertingunt autem illa nunc in hoc codice à fol. 170. uſque ad fol. 299. Poſt tria ergo jam memorata evangelia, ultimo demum loco collocari debet evangelium S. Johannis, cum argumento ſuo atque capitibus & cum amplisſimo commentario, qui illi, æque ac tribus præcedentibus evangeliis, in margine adjunctus eſt. Extat autem illud nunc ibi perperam primo loco, nempe à fol. 13. usque ad fol. 91. Denique ſilentio non prætereundum eſt, extare in eodem eximio codice manuſcripto & quidem fol. 220. p. 2. ante initium evangelii S. Lucæ fragmentum aliquod ſingulare & lectu digniſſimum, de genealogia Chriſti & beatiſſimæ matris ipſius Mariæ, ex Hippoliti Thebani opere chronologico deſumtum; quod a Nicephori Calliſti, Ioh. Sambuci & Henrici Caniſii editionibus impreſſis, non ſolum quadantenus diſcrepat, verum etiam

ali-

aliquanto auctius est. Lamb. lib. III, §. XXIX. p. 41. usque ad 47.

IIX. Trigesimus tertius codex manuscriptus theologicus græcus est membranaceus antiquus in decimo sexto, constatque foliis trecentis tribus. Continentur eo quatuor evangelia, minutissimis literis elegantissime scripta, sed absque canonibus Eusebianis & ullo commentario. Lamb. l. c. §. XXXIII. p. 48.

IX. Sexagesimus sextus codex manuscriptus theologicus græcus & chartaceus antiquus & bonæ notæ in quarto. Constatque centum foliis & primum quidem per Sambucum pervenit in augustam biblioth. cæsar. Continentur eô S. Basilii Magni homiliæ novem in hexaemeron, sive de opere sex dierum, quarum prima incipit πρέπει σοι ἀρχὴ τῷ περὶ τῆς κτίσεως συγγράφειν &c. In fine autem nonæ sive ultimæ homiliæ extat principium epistolæ papæ, Nicolai quinti, ad ultimum imperatorem Constantinopolitanum, Constantinum Palæologum, e latina in græcam linguam a Theodoro Gaza Thessalonicensi translatæ, hoc modo: Ἐπιστολὴ μεγίστου ἀρχιερέως Νικολάου πέμπτου, ὃν μετέφρασεν Θεόδωρος Θεσσαλονικεὺς ὁ Γαζαίων ἐπίκλην. Νικολάος Ἐπίσκοπος, δοῦλος τῶν δούλων τοῦ θεοῦ, τῷ φιλάτῳ ἐν Χριστῷ ἡμῶν Κωνσταντίνῳ παλαιολόγῳ βασιλεῖ Ῥωμαίων ἐπιφανεστάτῳ Αὐτοκράτορι χαίρειν καὶ εὐλογίας ἀποστολικῆς ἀπολαύειν &c. Lamb. loc. cit. §. LXIV. p. 126. seq.

X. Centesimus vigesimus tertius codex Mss. theologicus græcus est chartaceus in folio majori & ante ducentos circiter annos exaratus, a Ioh. Sambuco Tyrnavienſi redemptus, & post hujus mortem cum reliqua ipsius supellectile literaria in augustissimam bibliothecam Cæs. Vindobonensem translatus est. Continentur eô S. Ioh. Chrysostomi homiliæ in evangelium S. Matthæi ab homilia prima, cujus principium: Εὖ οἶδ' ὅτι ἡμᾶς, μηδὲν δεῖσθαι τῶν ἀπὸ τῶν γραμμάτων βοηθείας &c. usque ad finem homiliæ quadragesimæ tertiæ,

tertiæ, cujus principium: Ἄρα γέγοιτ' ἂν ἀνεκλόπεγν ἢ ἀσεβέσεγν &c. Totus codex conſtat trecentis viginti duobus foliis, & generalem hunc habet titulum: τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννυ Ἀρχιεπισκόπυ Κωνσταντινουπόλεως τῦ χρυσορρήμυ ἑρμήνεια εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον ἐν ὁμιλίαις. Lamb. l. 4. §. 123. p. 78.

Plura adhuc volumina in hac bibliotheca extare non dubito, quæ tamen nobis nondum innotuerunt.

Verum non ſolum in hac cæſarea, ſed & in aliis tam publicis quam privatis latuiſſe, & adhuc latere multos libros certum eſt: Ut in bibliotheca Auguſta, quæ eſt Guelferbyti, ubi hodie ſereniſſimorum fratrum biga, Rudolphus Auguſtus, & Antonius Ulricus primi in Germania academiam nobilium aulæ ſuæ feliciſſimo fœdere ſociarunt. Expectamus vero quotidie catalogum librorum Corvinianorum, de quibus dudum nos certos fecerat B. Hermannus Conringius in epiſtola de bibliotheca Auguſta, quæ eſt in arce VVolfenbüttelenſi, ad L. B. â Boineburg. p. 119. „In bibl. Auguſta, ſcribit, Mſſ. inſignis eſt copia: ut quo„rum poſſis ibi numerare bis mille circiter Græcos, La„tinos, Hebraicos, Arabicos, aliarumque linguarum, & „quidem optimæ notæ omnes, complures hactenus typis „non excuſos. In quorum conquiſitione etiam illam feli„citatem ſibi contigiſſe, impenſe lætatur princeps optimus, „quod dum ardua ſereniſſimæ domus negotia Rudolphum „II. & Ferdinandum II. imperatores Vindobonæ adire com„puliſſent, in Hungaria laciniam celeberrimæ quondam „bibliothecæ Matth. Corvini ſibi comparare, quamvis ma„gno ære, conceſſum fuerit. Et noſtra bibliotheca publica Salana, quo fato neſcio, quodam libro beata eſt, in quo oſtenditur inſigne gentilitium Matthiæ Corviniregis Hungariæ, ad quem miſſus hic codex Mſſ. membranaceus a Guarino. Titulus libri ſic ſe habet: *Baptiſtæ Guarini libellus ad nobilem adoleſcentem Maffeum Gambalim, de ordine*

docendi ac ſtudendi. Fuit hic Baptiſta Guarinus filius Guarini Veronenſis, qui eloquentiam, in avorum memoriam deperditam, longo poſtliminio primus reduxit. Patris & filii meminit Onuphrius Panvinius, locum illis concedens inter oratores literatos, eorumque ſcripta, ex quibus etiam noſtrum eſt, pluribus recenſet in antiquitatum Veronenſium lib. VI.

In privatorum quoque bibliothecis egregios fuiſſe codices colligo ex Braſſicani epiſtola ſæpiuſcule jam citata. „Verba ipſa afferamus. Interea tamen animum meum ut„cunque conſolari ſoleo, quod ex munificentia atque li„beralitate optimi regis Ludovici quosdam Græcos auto„res conſecutus ſum, nec protritos, nec etiam aſpernan„dos. Id quod ubi in lucem fuerint editi, (quemadmodum „diis benevolentibus edentur brevi) res ipſa indicabit. Inter hos etiam fuit Salviani opus de providentia Dei, ceu id obſervavimus in epiſtola dedicatoria ad Ludovicum XIII. a Conrado Rittershuſio Salviani miſcellaneis operibus præ„miſſa. Taceo, inquit, quod hoc ipſum inſigne opus de „providentia, gubernatione, judicioque Dei, cum eſſet „primo ex regia bibliotheca Matthiæ Corvini Pannoniæ „regis anno 1530. a Braſſicano prolatum, quinquageſimo „poſt anno Lutetiæ Pariſiorum, in urbe totius regni tui „principe & auctius & emendatius & ordinatius editum „eſt a Petro Pithæo, æterno illo Galliæ veſtræ ornamen„to, ut a doctiſſimis viris appellatur. Bibliotheca Bilibaldi Birckheimeri non minus Mſſ. codicibus ex eadem bibliotheca ornata fuit, ceu teſtatur epiſtola CIX. ad ipſum; quæ extat inter alia opera politica, hiſtorica, philologica & epiſtolica ejusdem, digeſta a Melchiore Goldaſto. Cum „nuper inſpiciendum mihi obtuliſſet, ex bibliotheca tua, „Bilibalde clariſſime, Georgius Lentius, codicem epiſto„larum Baſilii & Gregorii, quem cum ob literarum cha-

ract-

„racteres, tum ob vetuſtatem vehementer videre cupiebam. „Eſt enim, ut mihi conjecturam faciendi viſum eſt, ante „ducentos aut amplius annos deſcriptus, inq; regis Hunga„riæ bibliothecam repoſitus. Confirmor in eo ex epiſtola quadam MSS. ipſius Birckheimeri ad Georg. Spalatinũ, quam nuper hoſpes meus Dn. Ioan. Andreas Schmidt Profeſſor publicus Ienenſis, ex communicatione benevola domini Hekelii accepit. Data Nurenbergæ Idib. Maji anno ſalutis „M D XXIX. cujus hæc ſunt verba: Interim mitto oratio„nem Nazianzeni de officio epiſcopi, ut videas, quemad„modum podagram meam conſoler. Nactus præterea „ſum codicem græcum ejusdem Gregorii, ex Ungariæ „ſpoliis, ultra quinquaginta opuſcula, ejusdem ſanctiſſi„mi ac doctiſſimi viri continentem, ex quibus, ſi Deus vo„luerit, pleraque latine loqui incipiam, licet aſſidue fere „ægrotem. Licet autem theſaurus hic per Aſiam Europamque diſperſus fuerit, in ipſa tamen antiqua ſede reliquiæ quædam ſuperſtites manſere, quæ, prout fama cuncta in majus efferre ſolet, a plurimis auro cariores habitæ fuerunt. Hinc Turcæ, tanquam dracones theſauro invigilantes, nocte dieque illas cuſtodierunt. Hinc eruditis ſaliva fuit mota intimius, quicquid adhuc reſiduum erat, inſpicere. Quod tandem ſub auguſtiſſimo noſtro Leopoldo in legatione VValteri comitis de Leslie, Lambecio bibliothecario & conſiliario cæſareo conceſſum fuit, ceu ipſe totam itineris expeditionem narrat, quam integram ex libro ſecundo de Bibl. Cæſ. cap. IX. ſubjicere placet, ut ex ea quivis cognoſcat, quis animus Turcarum, qui locus, „quæ conditio bibliothecæ tunc extiterit: Poſt meridiem, „inquit, cum uno Ianizzaro & famulo quodam chriſtiano, „Turcicæ linguæ paululum perito, ſecuritatis & interpre„tationis cauſa in ſocietatem aſſumptis, contuli me clan-

„culum ad perluſtrandum palatium regis Hungariæ Mat-
„thiæ Corvini, maxima ex parte nunc ruinoſum & fœde
„deformatum, licet priſtinæ magnificentiæ ejus ſatis mul-
„ta ſatisque perſpicua ſuperſint indicia: Nihil vero tunc mi-
„hi gratius fuit quam videre per occultum quoddam fora-
„men cryptam illam, ſive cellam ſubterraneam, in qua
„bibliothecæ Corvinianæ reliquias ajebant adſervari. Quo
„non absque Turcarum, qui curioſitati meæ ſupervene-
„rant, indignatione proſpere peracto &c. Idem p. 990.
„Hinc igitur d. 6. Martii ipſe Dn. legatus, cum apud Vezi-
„rium ad privatam audientiam eſſet admiſſus, inter alia
„hoc quoque negotium inſtanter urſit, & tandem hoc ge-
„nerale, ſeu potius ambiguum accepit reſponſum, ſibi &
„aliis ſeptem, quos e comitatu ſuo ſelecturus eſſet,
„mane ſequentis diei permiſſum iri, ut antiquum
„palatium Corvinianum pro lubitu inviſerent, &
„contemplarentur. Proximo itaque die conſtituta ho-
„ra matutina, equitavit dominus legatus in arcem
„Budenſem, aſſumptis præter me & interpretem
„Dn. VVoginum &c. Perluſtravimus deinde totum pala-
„tium regis Hungariæ Matth. Corvini, non absque ſingu-
„lari admiratione pulcherrimi proſpectus in Danubium
„& appoſitam urbem Peſthanum. Poſtquam autem per-
„ventum eſt ad illam cryptam, in qua bibliothecæ Cor-
„vinianæ reliquiæ adſervabantur; contra omnem opinio-
„nem facultas intrandi denegata eſt, hoc falſo prætextu,
„quod ille locus publico ipſius magni Vezerii ſigno eſſet
„obſignatus, nec ſine ſpeciali ejusdem mandato ſub pœna
„capitis a quoquam poſſet aperiri. Sic ergo à Turcis de-
„luſi præcipua re infecta in hoſpitium revertimur. Idem
„p. 993. die octavo & nono Martii denuo actum eſt cum
„Vezirio Budenſi de videndis bibliothecæ Corvinianæ re-
„liquiis: qui cum haud obſcure indicaſſet, veram nuperæ

repulſæ

